
FVLDENSIVM ANTIQVITATVM LIBRI IIII.

AVCTORE

R. P. CHRISTOPHORO BROVVERO
Societatis IESV Presbytero.



ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Ioannis Moreti.
M. DC. XII.
Cum Priuilegiis Cæsareo & Principum Belgarum.


PATIENTIA VINCIT OMNIA
S. BONIFACIVS
CAROLOMANNVS
Sermo Domini currat
et clarificetur gloriosum
Euangelium Christi, vt steri
lis non moriar.
Epist. xxv.

REVERENDMO ET ILLVSTRMO

PRINCIPI AC DOMINO D. IOHANNI FRIDERICO à Scwalbach

PRIMATI PER GERMANIAM GALLIAMQVE PRINCIPI IMPERI IMPERATRICIS ARCHICANCELLARIO ABBATI INCLITÆ FVLDENSIS ECCLESIÆ DOMINO AC PATRONO CLEM.

D. D.

QVI interesse parum ad vsum prudentiæ aut virtutis existimant, nosse, quid maiores ante nos gesserint; quâ viâ ad virtutis metam, quibus gradibus ad gloriam ascenderint; ij dignitatis in commune

tuendæ, rerúmque gerundarum rationes velle neſcire, aut vitæ cum laude degendæ fructum contemnere & abijcere mihi videntur. Quomodo enim, non dicam reipublicæ partem vllam benè capeſſat, ſed priuatim vitæ curſum aliquem ille teneat, qui hiſtoriâ, id eſt, luce atque animâ prudentiæ deſtitutus, neque quod ſequatur ac imitetur habet, neque quod caueat, ſatis prouidet? Vrbes exteráſque gentes luſtraſſe, phaleras in aliquam expeditionem ſumſiſſe, peregrinas didiciſſe linguas, iſtuc hodie verò pro nobili ac magnifico ducitur. At præteritæ memoriæ, ac retroactæ ætatis per tramitem virtutis, relegere veſtigia, & priſcorum agnoſcere fidem, imitari candorem, probitatem, eccui magnopere iam cordi, qui non à profano vulgo ſe prorſus abſtineat? Ego certè de veteris Eccleſiæ Fuldenſis ſplendore, aç pietate

maio-

maiorum,nuper apud me ſeriò cogitans, cùm tam multa ignorari à plurimis, aut etiam obliuionis vndis ſpontè dari cernerem; audebo dicere, intimo quodam animi ſenſu permotus ſum: méque exinde recordatione præteriti temporis excitare, & huius ſoli patriæque calore quodam abdito accendere ſuſtinui; ſi qua fortè ſcintilla erumperet, & ignem hunc, qui in parentum pectoribus implicatus mirabiliter exarſit, propitio numine reſuſcitaret. Iſta quidem animo agitabam; & aurem mihi vellebat non ſtolida cogitatio,vt id ab æquis ſperare,apud iniquos etiam conari auderem. Etſi non iis me ceruicibus eſſe rebar, vt in hac perenni religionis occupatione, imò in hac temporum & iudiciorum iniquitate, æquè omnibus laborem hunc approbare poſſem meum. Ergo vel ſecundarum partium operam imponi mihi paſſus ſum,

vt qui historiam diffusam haud possem, antiquitatum quædam condimenta historiæ permista darem. Quo quidem munere, me duplici nomine de re Fuldensi haud malè mereri confidebam: tum, quia languentem & exstinctum propè multorum affectum in præstantissima huius Ecclesiæ sidera suscitare volui; tum etiam ostendere, fructum aliquem ex hoc litterarum & doctrinarum domicilio, quod hac memoriâ sapientissimè C. T. Maiores Patribus Societatis IESV tradiderunt, in publicum redundare posse. Et verò, cùm hominibus religioni nostræ parum æquis, scrinia omnia & penetralia Bibliothecæ prænobilis, cum tantâ optimorum librorum iacturâ, ceu fontes olim patuerint; inuidere nemo potest, vel hos veterum documentorum riuulos, ad nos bonorum studio deriuatos. Sanè magnam, Illustrissime

ſime Præſul, C. T. poſteri gratiam habebunt, ſi ij erunt, qui eſſe debent, quando ea, quæ ad huius Eccleſiæ ſplendorem momentum afferunt certè maximum, quæque ad ſacrorum iura & præteritæ totius ætatis deſcriptionem intelligendam faciunt quoque plurimùm, non chartis antiquis obſita deſcriptáque, non arroſis inuoluta membranis, ſed publicis litterarum monumentis ad imitationem, & Fuldani nominis inſignem commendationem, C. T. fauore ac patrocinio expoſita videbũt. Id quod immortali gloriâ Princeps Balthaſar C. T. anteceſſor, & in votis ſæpè habuit, & paulò ante diſceſſum ſuum, vehementiùs etiam expetiſſe viſus eſt; cùm ipſe memoriam vitæ ſuæ complecti litteris cœpit, & acta deceſſorum ſuorum compendio annotata, eam in rem nobis benignè communicauit. Sciebat enim pru-

** dens

dens Antiſtes, & gubernandi præceptis abundè inſtructus, omnis melioris doctrinæ & diſciplinæ fructum à maiorum exemplis vtiliter hauriri: quæque ipſi ſcriptis monumentis vel hucuſq; propagaſſent, vel vitæ præclaris actionibus expreſſiſſent, tot in medio caſibus rerum humanarum, vix poſſe aliter, quàm litterarum præſidio conſeruari. Et verò huius Ordinis, id eſt, Benedictinæ familiæ, quis neſcit laudem hanc eſſe propriam, vt ambiat meritis & rectè factorum gloriâ, quàm latè patet, orbem Chriſtianũ. Etenim, vt palmas taceam & adoreas in reliquo Occidente partas, certè innumeras abſtulit ex hac Germaniâ noſtrâ magnâ; cuius, inferæ, ſuperæ, regionibus, tot retrò ſæculis, hæc vnica ferè dedit ſcientiæ veræq; pietatis doctores, duces, magiſtros: vnica, inquam, Boreæ populis, citimis, extimis, in magnâ errorum nocte, prætulit veri honeſtí-

neſtique facem. Scilicet hac virtutis arduâ viâ, & non mortali doctrinarum curriculo, communem mortalium menſuram ſupergreſſa, pondera tot cathedrarum ingentia, ſuorum humeris, velut Atlas cælum ſuſtulit; excelſóque loco in repub. Chriſtianâ conſtituta, non populis dumtaxat & vrbibus, ſed Principibus terrarum dominis, benè beatéq; viuendi leges & præcepta dedit. Quare, vt in hoc virtutis & ſapientiæ regno, ſeptingentis ampliùs annis, principatum S. Benedicti poſteritas, alibi gentium, obtinuit: ita & hîc Fuldæ, florem & germen quoddam ornatiſſimorum Aſcetarum extulit; qui multiplici ingeniorum culturâ, & lucubrationum inſtrumento, tamquam ſacrâ panopliâ quadam abundantes, & Eccleſiæ auctoritatem fecêre, & virtuti tantum attulere pretium, vt vtrimque, profligatis erroribus & vitiis, neſcias, maio-

rem ex defensione fructum, quàm ex victoriâ gloriam consecuti sint. Quod igitur Celsitudini vestræ, & Congregationi vniuersæ gratum & faustum sit, tolli hoc & educi, quidquid est partionis, in vestro amplissimo nomine placuit, pignus futurum huius Societatis IESV Collegij, perpetuæ erga Ecclesiam istam benè de se meritam obseruantiæ. Ita voueo, & vnà mecum adprecantur, quotquot de Societate nostrâ hîc pro Ecclesiæ Fuldensis gloriâ, pro iuuentutis vtilitate, & Reip. vestræ communíque omnium salute vigilant. Fuldæ, in Collegio Soc. IESV, anno Christi M. DC. XII. mense Martio; cuius XXII. dies est C. T. indepti principatus anniuersaria.

Reuerend^mæ & Illustr^mæ C. V.

cliens & seruus humillimus

Christophorus Brouuerus.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO
S. D.

MENSARVM *satis est, satis est fatuaque placenta;*
Non fastiditos tot iuuat esse cibos.
Ponere quod lautum gustu, vafrumque sapore,
Difficile est; cibus haud cùm facit ad stomachum.
Nescis, heu nescis Domini conuiuia nostri:
Lentem delicias ipse, fabasque facit.
Sint, qui cortis aues, sint & qui phasidas addant,
Fercula do mensis vilia, CHRISTE, *tuis.*
Pauper & hesternum, Lector, tibi pono minutal;
Arte caret, qua vult perdere mensa famem.

FVLDENSIVM ANTIQVITATVM LIBRI I.

ARGVMENTVM.

ECCLESIÆ *Prouinciaq; solum, & gentis originem, loci deinde cultum, seu naturæ seu artis beneficio surgentem; atque etiam inuecta sacra, religionemq; pandit. Mox ornamenta disciplinæ, exercitationésque doctrinarum aggrediens, Cœnobij struit multiplicem palæstram. Educit hinc agmen tum Cœnobitarum eruditione conspicuorum; tum Antistitum, qui laude memorabili domi forisq; cathedris & infulis etiam Episcopalibus claruêre. Denique Monasterij prærogatiuam, orbem eiusq; conuersiones proponit, quæ citra metam interdum reflexæ, & vt humana sunt, variam in faciem sæpius euolutæ, cursum adhuc habent suum.*

INDEX CAPITVM.

CAPVT

FVLDENSIVM ANTIQVITATVM LIBRI I.

CAPVT I.

Buchoniæ & Fuldensis ditionis origo.

QVOD olim, diuino consilio, in Romani nominis prouincias immissis concitatísque Barbaris euênit, vt feritate exutâ, mansuefactæ iam pridem gentis disciplinam moresq. condiscerent; idem quoque posterâ ætate accidisse cernimus, vt Barbarorum in Barbaros imperia surgerent, quò Christi nomen, immanitate victâ, religioque longiùs iret, & subitis mox incrementis adolesceret. Sic Francis rerum in Thuringiâ dominis esse licuit, quò id loci populis salute supernè datâ, rectius esset, iam Francis victoribus, quàm sub Barbaris regibus extitisset.

Gentium migrationes seruiunt fidei Christianæ augendæ.

Gregor. Turon. histor. Francorum, lib. 3. c. 7.

Obscurum in Thuringiæ Franciæque confinio, & horridum iacebat nemus, quod longissimæ ætatis Francorum populis, licet haud ignotum, serò tamen regnantibus Caroli Martelli liberis, aliquatenus ad famam enituit. Huic Thuringia nuper deuicta, faciles aditus; Saxonia malè pacata, frequentiam conciliabat. Buchoniam saltui nomen indidêre maiores: Bocaunam, Buchoniæ siluam, solitudinem, similiq. varietate, vetustiores appellauêre. Nam spontè plurima fagus hîc enascens, effecit, vt ab hac arbore vocabulũ nemori veniret. Cecinit id Candidus, prisci & nascentis monasterij nobilis scriptor: qui vitam B. Ægilis, tertij hîc Abbatis, versu prosaq. sic exorditur:

Hic iuuenis Noricâ quondam regione serenâ
Nobilis exoritur. illic haud longa moratus

Buchonia saltus. vulgo Buchen.

A fago nomen ha[...]t, quæ Teuton. Buchen.

M[...] Fulden.

 Tempora,

Tempora, progenies patriis euectus ab oris
Ducitur in siluam, Fagi de nomine dictam
Buchoniam, vndisonus serpens vbi labitur amnis
Fulda: vnde iste locus, vbi nunc ingentia cernis
Fuldensis monasterij amplitudo. *Mœnia, primâ olim nomen ab origine sumsit.*

Nil potuit luculentius: eique seruit Fagorum superstes oppidum ad Werram amnem, quod Hassiacæ domui oppignoratum, inflexâ voce Fachium adhuc appellitant. *Fachium. Bocauna.* Bocaunæ verò testem iam quoque laudo S. Ludtgerum, Monasteriensis ecclesiæ primum Episcopum: qui in S. Gregorij Vltraiectensis Antistitis magistri sui vitâ, *Sturmi venerabilis*, inquit, *Abbas vnus ex numero illo electorum Dei, puta, qui ex S. Bonifacij disciplinâ profecti, quantum profecerit in eremo, Bocauna silua in testimonio est; quæ priùs omnimodis inculta erat, ac desertum. nunc autem ab Oriente* *Ecclesiis & monasteriis frequens.* *vsq. ad Occidentem, à Septemtrione vsque ad Meridiem, ecclesiis Dei & electis palmitibus monachorum impleuerunt.* At Buchoniæ nomen ab antiquissimis acceptum, quantum est, retinuit posteritas. Vsurpauit, vt in carmine, sic in sermone vitæ, quem citaui, Candidus: *Monasterium in siluâ Bochoniæ constitutum, secus ripam fluminis Fuldæ; ob cuius vicinitatem, hoc Monasterium, vsitato nomine Fulda nuncupatur; vbi martyr Christi Bonifacius, sacro corpore requiescit.* *Fulda riuus nomen dat monasterio.* Nec abit aliò Rudolphus, Fuldensis monasterij & presbyter, & historiographus; qui, vt diutiùs lateret, sanè non meruerat. Et commendant vocis vsum, quotquot ab incunabulis huius loci in seram ætatem, Breuiaria Annalium, quà Francigenæ, quà Germani scripsêre. Minùs expressit signatè, sed amicum tamen ostendens liberalibus disciplinis, & habitatum sibi, Lupus monasterij Ferrariæ in Galliis Abbas, Rhabani quondam discipulus. Hic ad Altuinum Senonensem monachum, & alibi, *Saltum Germaniæ* vocat. *Epistol. 20. & 40.* Ipse verò S. Bonifacius, epistolâ ad Zachariam Pontificem, *locum Siluaticum in eremo, vastissimæ solitudinis.* *Solitudo Buchonia variè notata.* Verùm Pontificum Regumque primæuæ tabulæ nimiopere nemus hoc extollunt. *Buchoniæ vastam solitudinem* Zacharias Papa, & Magnus Carolus, Pipinus pater, *Solitudinem Buchoniæ* nuncupat. Exordio diplomatis S. Bonifacio dati: *Pipinus rex Francorum, vir illustris, Bonifacio Archiepiscopo, & legato Germaniæ, ab Apostolicâ Sede delecto.*

lecto. Quia veneranda paternitas tua nostram excellentiam postulauit, pro monasterio, quod à te nouiter constructum est in solitudine Buchoniæ, iuxta flumen Fulda; in loco, quem beatæ memoriæ Carolomannus legitimâ donatione tibi concessit. Suffragantur Pontifices: & præcipuè Stephanus in diplomate, quo locum Sedi Romanæ subiicit; iuxtaque Diœcesanorum legibus exceptum, sancit.

At non antiquior tibi Buchoniæ, ais, peruete ris origo? scio ex Taciti Annalibus, & Romanis castris, prælııs, expeditionibus, antiquitatem huc laudemque peti; sed, vt latebrosa hæc cuncta excutiant, inuentisque suis otiosi homines indulgeant, per me semper iis licebit: ego limites æui cogniti, & tritam eruditis orbitam, non excessero. Quòd si sua Claudio Ptolomæo topothesia certa constaret; & prisca locorum symbola tanto flexu non euariassent; faciliùs quidem in publicum, geographicas suas coniecturas, scriptores nonnulli probarent. At res ea iam secùs habet; cùm illius etiam, qui hac in arte æuo nostro familiam duxit, sententiâ, ne decima quidem locorum pars apud Ptolomæum, germano suo situ, veraque regione certò describatur. Alioquin Romanis Buchonici nemoris extrema & peruia loca haud incomperta fuisse, ex præliis, quæ cum Arminio & Cattorum gente conseruêre, non prorsus obscurum esse potest. Tacito quidem auctore, cùm anno V. C. DCCLXXIII. Germanicus Cæsar in Cattos irrupit, primò *Castellum super vestigia paterni præsidij in monte Tauno posuit*. Hinc munitis viis & fluminibus, rapuit exercitum in penetralia Cattorum, *quibus adeò improuisus aduenit, vt, quod imbecillum ætate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit; iuuentus flumen Adranam nando transmiserit*. Hic Taunus, vel, vt alij malint, Taurus mons, occurrit; cuius situm, etsi veteres non præfiniunt accuratè, Hassorum tamen recentiores, in Cattimelibocis ostendunt, seu in inferiore comitatu *Catzenellebogensium*; quo loco nemorosis in iugis Caroli Magni ætate Einrichiæ pagus, seu Henrichiæ dictus saltus, se latè diffundebat, & Francofurtum etiam adibat. Obuersus igitur mons hic præsidiis & statiuis Romanorum, quæ in Germaniæ citerioris limite vigilabant. In eo Drusus castellum habuit, quod potuit facilè, contrà Mogontiaci obiacentibus legionum præsidiis. Atque vt propiùs

Buchoniæ remotior antiquitas.

Mercator præfat. ad tab. Ptolom.

Annal. lib. 1.

Taunus mons an Taurus, vbi?

Tacit. Lipsij Annal. 1. & 12

B. Rhenanus Ortelij Geograph.

Drusi castellum in Tauno.

Adrana flu. Edera. *Fuldæ auxiliarus.*

accedam, flumen Adranam, quod Tacitus appellat, Edera iam est; quæ Fuldæ cognata, ipsius transfusione, Visurgin subit, vbi priùs tamen Fritislaria & Feldtbergo salutatis, se Fuldę miscuit. Ex quorum certè locorum affinitate, etsi non conspicuæ veritatis argumenta, multas tamen probæ notæ coniecturas ducere liceat, Romanos hoc noscitasse solum. Vnde nec spreuerim vt leues, aut damnauerim vt imperitos, qui ex Ptolomæi vestigiis, montium fluminumq. respectu, incolis Buchoniæ *Pheugarum nomen attribuunt; quique ad caput Visurgis, vbi Fulda & Werra cornua minuunt, Drusi trophæa collocant. Etenim quod dixi, Fagorum oppidum huius ditionis non obscurum, Ptolomæi Φεύγαρον, aut quod huic affine, Φηγῶν commodè refert; cuius collocatio ab Appiano & Irenico, licet ad vlteriora Halberstœdium vsque traiiciatur, situ tamen & dimensione locorum vsquequaque non compertis, antetulerim equidem recentiorem chorographiam, qui supra Trophæa Drusi, Pheugarum ad Meridiem, describunt, vbi Werra Visurgin appetit, & apud Fagium oppidum ponte transitur.

** Phagorum fortè nomen polluit Ptolom.* *Drusi trophæa Ptolemæo qua?* *Situs oppidi Fagorum.* *Φηγὸς & Φήγια Eustathio [illegible] confusa loca.*

Verùm longè clariora sancti Bonifacij trophæa tenemus, quæ cælestes ipsi victoriæ, quàm quæ Druso infames cladibus aquilæ, pepererunt. Monstramus illa Thuringiam versus, apud Werram amnem; & in Mattiacis Cattisque, intra Fuldæ ac Adranæ mesopotamiam. In Werræ vlteriore ripâ, VVinefridi, sic prisci nominarunt, oppidum est, vbi traditur S. Bonifacius plerumque domicilium habuisse, antequam Moguntiaci capta sedes. Hinc in eiusdem amnis tractu, Bruslohum maius minusque. Illud antiquissima ecclesia S. Bonifacij memoriâ celebre, Fuldensi monasterio olim paruit, hodieque illic sacerdotia confert Abbas Fuldensis, etsi parum secundo religionis cursu. Et, vt notiora aliisque inuestigata præteream; apud Ederam Fritislaria ciuitas, solo fructifero planoque conspicitur. Hîc Bonifacij studio ductúque, sanctus VVigbertus, Albuinus seu Vitta, Megingozus aliique Apostolici viri, & Præsules egregij complures, adoleuêre. Iuxta in excelso monte, Buriburgum, vetus Episcopi Sedes stabat, cuius hodiéque ruinas illic monstrant. Obseruo posteriore item ætate, Buriburgi castellum, cum stirpe quæ insedit, illamet regione, apud Fridtzlariam reponi. Ceterùm VVig-

S. Bonifacij mansiones. *VVinefriden oppidum à S. Bonifacio, qui VVinfridus aliis communiter nominatur sonare VVan freu, quando pax?* *Borsla magna & parua.* *Buriburgum, ex Hessia & Fuld. ms. eccl. Chronicis.*

VVigbertus, tumultu Saxonico, hinc Buriburgum translatus, inde non magno itineris interuallo Hersfeldiam venit: quæ tunc ecclesia Herolfesfeldica regione, apud Fuldam amnem à Sturmio inchoata, & mox à Lullo suscepta fuit. Hinc inter Fuldam & Hunam amnes, sæpè sancta, sæpè à Bonifacio illustrata Michaëlis Archangeli memoria occurrit. Loco nomen est Michelfrumich. vbi, fama tenet, Sanctum, suarum precum & orationum habuisse stationem. Et Hora pagus, quò item oratum iit, & Episcopi mons, in quo resedit; & non procul inde fons, quo sitim leuauit, in conspectu ciuitatis cernuntur.

Lupus Seruat. c. 13. & 24. S. Wigbertus.

Hersfeldia.

Michelfrumich, al. Micheisfruich, statio & quies apud D. Michaelis

Mons, fons, orationis locus.

CAPVT II.

Buchoniæ veteris situs & regio.

NOMEN, & quidquid eius relictum ex notitiâ priscâ, tenemus; regio quidni iam ipsa peruestigetur? Hanc Buchauiæ nouâ voce, ceu vmbonem describunt in orbiculari clypeo; & mediam, aiunt, iungere sibi à Septemtrione Hassiam; à Meridie Franconiam; ab Occasu VVederauiam, & Hanouiæ comitatum; ab Oriente, Saxoniam & Thuringiam; ditione ac principatu vtique ab iis discriminatam. Sed antiquiora nos rimamur: & Francicâ Thuringicáque gente vtrimque circum iectâ, inquirimus; vtri horum adscribendi, Thuringis, an Francis, antiqui nemoris accolæ? Enimuerò, vt interioris saltus cultum omittam, serò forsan interlucati, extrema siluarum, & vallium riuorúmque opportuniora, finitimis insessa, non tradam ambiguus. Et argumento sunt in S. Sturmi vitâ, tum Saxonum latibula & recessus; tum frequentes hominum conuentus, Francorum hîc imperio & legibus vicatim habiti, ritu pagorum veterum. Cuius generis passim in Germaniâ, Rheni Mosellęque tractu, olim *Gouuas* appellatas, siue Γαῖας, id est, sola culta terrarum, nimium quàm notum est. Sanè hac regione locorum, inter prima, monasterio Fuldensi à rege Pipino donum obuenit, vicus Omeneſtadius in pago Moinigouvve; ceu Mœni fluminis agrum dicerent. quippe Mœnum inuenias, veteri perpetuâ Reginonis & coætaneorum scripturâ, *Mohin*, aut

Buchonia, seu Buchauiæ situs.

Hanouiæ comitatus Hanorũ; qui populi trans Rhenum celebres in Kirchana, & Zigehaina &c. famam retinent.

Pagi.

Gouuæ.

Omeneſtade.

Moinigouue.

M. S. Prumiensi.

Mœnus flu. Mihin, & Moin.

Pagus Austria, seu Franciæ Orientalis.

aut aspiratione demptâ *Moin* nũcupatum. Hinc Martyrologio S.Notheri, qui vixit anno salutis DCCCLXX. S. Kiliani certamen notatur. *In pago Austriæ; id est nouæ Franciæ castro; imò ciuitate, vt Teutonico nomine prodit VVirzburg, iuxta Moin fluuium sitâ.* Quo Candidus etiam spectat, vbi Haistolfi clarissimi Moguntinẽsis Archiepiscopi & Aigilis Abbatis congressum describit:

Post hæc inde means, socium comitante cateruâ,
Iste pater lætum gressum direxit ad vrbem,
Quondam opulentam opibus, opere constructa vetusto
Apparet quæ; namque super glacialis aquaï
Ripam Rheni, in quem fluitat turgentibus vndis;*
Nam parte ex aliâ, castrum, quâ cernitur ingens
Haud procul à ponte sursum, quem sospite regno
Olim rex Carolus fecit, prolabitur amnis
Mogoin, ex quo, vt fama sonat Moguntia dicta est.

* fluitans

Castellum in aduersâ ripâ Moguntiacensi.

Pons Rheni vetus.

Moguntia à Mogoin, seu Mohin flum.

Hamalunburg veteres, seu Hamelburgum regalis villa.

Salegovv pago Francico.

Mœni hospes Sala flu. diuersus à Saxonico.

Saleck arx.

Grabfeldia pagus.

*Iul. Frontinus de Colon & agrorum diuis.

Neque incelebre Hamelburgum Franconiæ iam finitimum oppidum, tunc latè diffusum regale prædium, quod à Pipino priùs donatum, Carolus filius paternæ liberalitati, cum vectigalibus ac fundis accensuit, ipseque *in pago Salegovv super fluuio Salâ situm,* memorat; à cuius riui lapsu, arx principum Fuldensium Saleca fert nomen; vt angulo fluuij Salæ cognomen dari, sentias. Eodem pertinet Grabfeldiæ pagus in Buchoniæ veteris meditullio, à crebris fortè conuallium anfractibus, ceu foueis, *cauas Romani vocabant, arreptâ voce. Arguunt igitur & hisce locis interuenisse cultorum quoque frequentiam, seu à nato Francis hîc imperio, seu à Thuringorum dominatu altiùs exordio repetito, pagorum modus & incolæ. Sed hoc mortalium genus, quod saltui interius, nec longi tractus propinquum amni Fuldæ, Francis, an Thuringis adscribas, distrahimur ancipites. Ducit huc veterum fides, annumerari certiùs Francis; qui inde iam à Clodouei expeditionibus, eiusque liberis, hac transitum, & aditus in Thuringiam habuêre; &, quod Merouingis regibus fixum inuenêre Carolingi, eodem iure situque ab ipsis, probabile, venisse ad posteros.

Buchoniæ incolæ Francine, an Thuringi?

Regionũ partitio alia naturalis, alia ciuilis.

Lib. 4 Geograph.

Scitum apud Geographos, aliter regiones ex gentium incolatu & naturâ, quod Strabo dixit, φυσικῶς ϗ ἐθνικῶς, aliter a rerum dominis aut principibus, ciuiliter distrahi distribuique.

Nam

Nam vt Buchoniam Thuringicæ conditionis antiquitus extitiſſe, facilè perſuaſerim eruditis; ita à Francis victoribus inde auocatam, accepiſſe nomen & leges huius gentis, abundè teſtari licet. Sæculo certè ab ortu Chriſti Domini quinto, Clodoueo iam tum Galliarum potiente, Buchoniam regibus eius gentis notam & expeditam, locuples teſtis eſt Gregorius Turonenſis. Nam Sigebertum Agrippinenſium regulum, Clodouei propinquum, dum filij inſidias, traiecto Rheno, longè declinat, in huius ſe luci opaca abſtruſum iiſſe, narrat; ibique placido ſomno in tentorio defungenti, ſuperueniſſe à Clodericо filio percuſſores, qui exanimatum æterno ſomno mergerent.

Lib 2. hiſtor. Franc c. 40.

Idem Francorum Orientalium ſedes, quoad ſuâ ætate retrò meminiſſe licuit, inueſtigans, ponit eas iuxta pagos & ciuitates in confinio Thuringiæ; vetuſque caſtrum Diſpargum in limite Thoringorum, Clodioni aſſignat nobiliſſimo Francorum regi: vt vtrimque ſaltum fuiſſe interiectum, planiſſimè conſpiceres. Et verò S. Bonifacius, occaſioni promptus Euangelij propagandi in Saxones, hac potiùs regione locorum ſedendum ſibi ſuiſque duxit, Francorum armis partâ ſecuritate. Vnde & Fritiſlaria plurimùm ei adita, Herolfesfeldia quoque tentata, excurſu Moguntiâ facto, quæ ſedes metropolis tunc Franciæ Orientalis.

Lib. 2 c. 9.

Diſpargum. a.ls Ortelij Synon. in Aſciburgio coniectura mera.

Etymon probabile Dietes Purgus vel Burgus.

Plus etiam dixiſſe videbor, vbi ſtabilimenta ſubiecerim Orationi, quæ Francos ipſos Fuldæ facit accolas. Carolomanni itaque & Pipini fundatorum litteris, ipſiuſque magni Caroli diplomate munifico, quo congregationi naſcenti copiam tribuit, ex ſuo corpore legendi Abbatem, dicitur *monaſterium Fuldenſe conſtructum in pago Grabfeldico*. at pagus is Francici iuris index, amnicus extitit, & more gentis, agrorum pabulique certo limite, intra Buchoniam, cohibitus. Sed & vſurpatio nominis in Franciæ Orientalis regionem quamdam abiit, cuius auorum adhuc ætate tam clara fuit memoria, vt in Indice eccleſiarum, quas præpoſitus Eccleſiæ S. Kiliani Wirciburgenſis moderari, aut diſtribuere conſueuit, ad diſcrimen alterius, Eisfeldica parochia nominetur, in Grapfeldiæ tractu ſita. Quo faciliùs conterenda vulgarium ſcriptorum vanitas, neſcio quas fabulas hîc de Noctuarum antris, ac ſpelæis muſſitantium, in quæ D. Bonifacius coloniam hanc ſuam deduxerit.

Francos cenſeri à primâ origine monaſterij.

Grabfeldia pagus Francici iuris.

Nicol. Serar. notat ad epiſtol. 128. Koningshoue in eâ ponit.

Eysfeldt im Grapfeldt.

rit. Et Georgij VVicelij veteres libri meritò præferuntur, qui in huius pagi amplitudine, locum, quo S. Bonifacius monasterij fundamenta iecit, antiquitus à quercubus volunt habuisse nomen, quæ fagis intermixtæ, vt amœnitate suâ ad ripam in plano positæ aduenas inuitabant, ita fortè gentilium quoque superstitioni seruiebant; quibus quercus & robora numinis instar fuisse, protrita est obseruatio. Habemus igitur & pagi frequentiam à Francis describi habitatique; cuius & incolas, vt in Germaniæ prouinciis haud incelebres, & Gregorij Papæ rescriptum, & vitæ S. Bonifacij memoria retinet. Sed præit hîc quoque Rudolphus gnarus antiquitatis, & variarum artium: qui in Rhabani actis, quæ iam damus, vbi ab Fuldensis monasterij incunabulis narrationem orditur, *In ea parte Germaniæ*, inquit, *quam Franci, qui dicuntur Orientales, inhabitant, locus est ex nomine vicini fluminis, Fulda vocatus, qui moderno tempore ab incolis illarum regionum Bochonia appellatur.* Rudolpho consensu respondet Alcuinus Flaccus, huius regionis frequens inquilinus & habitator, etiam loci post funera adamati: qui in versiculis, quibus Acrosticha Rhabani commendat, de hoc alumno discipuloque suo canit:

Monasteriũ in querceto conditum. Eichenloch Quercilocus. *Tacit. Germania.* *Epistola 128. S. Bonifacij.* *Fulda Franciæ Orientali assignata.* *In opere Rhabani de S. Cruce.* *Rhabanus Fuldensis Francus.*

Ipse quidem Francus genere est: atque incola siluæ
Buchoniæ.

Et ne genitale solum longiùs proferres, Rhabanus sibimet parentans, ait;

Fulda hic vrbs per prolepsin.

Vrbe quidem genitus sum, & sacro fonte renatus
In Fulda.

Quod igitur Marianus, Sigebertus, aut recentiores alij, in Thuringiâ scribunt sedem hanc inchoatam, id seu pro loci naturâ, vetustatis longè dissitę respectu, seu potiùs ex vsu suorum temporum, facere credimus, cùm Franciç mutatis iam tum finibus, Thuringorum ditio lõgè celebrior antestaret: id, quod ex Lamberti chronologi monumentis clarè perspicitur. Hinc adeò antiquitus orta illa diœcesium distributio, vt quod in Thuringos patescit trans amnẽ, Moguntinam; quod in Franciam, Orientem versus, Wirceburgẽsem episcopen spectaret. Angustâ quoque riui intercapedine, hinc loca videas cisamnensia Herbipolẽsi; inde alia ex aduersum Moguntinæ olim diœcesi cõtributa,

Fulda, seu Buchonia quomodo Thuringiæ annumerata. *Bipartita diœcesis ecclesiæ Fuldensis.*

CAPVT

CAPVT III.

Primordia fundati conditiq́ monaſterij.

IN origine veſtigandâ, primùm temporis habere rationem cupimus; hanc ex S. Bonifacij actis cùm indagamus, inobſeruabilis occurrit temporum quidam labyrinthus. S. Ludgerus in Gregorio certum facit, D. Bonifacium priuſquam Thuringos & Haſſos Româ reuerſus ſeriò excoleret (nam adiiſſe prius, nec ait, nec it inficias) tredecim ipſos annos in Auſtrali regione Friſiæ, iuxta lacum Almarum, trinis conſediſſe locis: ſeptem apud Wyrdam in Rheni fluuij ripâ; tribus in Hattinghemo iuxta amnem Fhetam; totidem in Feliſâ, propè à paganis. Hinc per Treueros adiiſſe Orientales Francorum regiones, ad Haſſos & Thuringos; & mox animarum ſpoliis diuitem, Carolo Martello innotuiſſe, tricis haud exiguis ab æmulâ pſeudodoctorum & adulatorum gente obiectis. Nec valdè diſcors his S. Willibaldus, qui ex itinere Romano, luſtratis Boiariis, Thuringiam adiiſſe ſcribit, ſed morte Ratbodi compertâ, in Freſonum regionem reflexiſſe, quam olim Doreſtato & Traiecto tenus, primo item ſuo ex Britanniâ aduentu perluſtrarat. Quæ certè narratio, quantopere diſtet à vitâ S. Bonifacij vulgatâ, manifeſtum eſt; quum triennium modò inter Friſicam commorationem, & in Thuringos aduentum interiicit. Quare, qui Surianam, id eſt, Othloni Fuldenſis monachi hiſtoriam ſequuntur, S. Bonifacium ab anno vndeuigeſimo in vigeſimum quartum ſupra ſeptingenteſimum, aut paulo ſecùs, ex Friſiâ in Thuringiam, & Caroli regis notitiam, educunt. Huius controuerſiæ quidquid eſt; nam auctoritas S. Ludgeri, & vitæ Bonifacianæ commentarius, cauſæ dictione inter ſe certabunt; nos temporum epocham tenemus, minimè dubitabilem, freti maiorum litteris & publicis ſcriptorum monumentis. Decennio etenim priùs, quàm martyrio diem finiit Bonifacius, Fuldæ domicilium poſuit, monaſticę colendæ. Cuius quidem ſententiæ fidem amplectuntur publici ſcriptores, & omnium Annalium litterę, quæ annum ſignant conditi Fuldenſis mona-

S. Bonifacij in Thuringiam aduentus.

Almarum S. VVillibaldo.

Elmere, ſtagnum Friſiæ.

In vitâ S. Bonifacij c. 4. ſ. 6. Antiqu. lect. Tom. 4.

Fuldenſe monaſterium, quando conditum.

Rhegino, Marianus, MS Herſfeld. Fuld. Contractus.

monasterij, septingentesimum quadragesimum quartum ab ortu Christi. Palmam hîc præfert domesticus historicus, Rudulphus: *Monasterium constituit S. Bonifacius monachorum, anno ante passionem suam decimo; qui fuit ab incarnatione Dominicâ, quartus & quadragesimus & septingentesimus annus.* Quo nihil dici potuit rotundius. Passum enim, consensio est, anno DCCLV. in Iunio; quibus annis si decadem eximas, prorsus exsiliet numerus anteà positus. Neque interest plurimùm, biennio citiùs à Sigeberto, vel seriùs ab aliis, originem hanc litteris commendari; cùm & Marianus temporibus his fundari cœptum, alij vetustiores libri inchoatum Fuldæ monasterium dumtaxat, vt de amplissimâ re & in maius exaugendâ, infinitè loquantur. Sanè constituti stabilitique loci exordia, quadragesimus quartus supra septingentesimum annus occupat. Quibus autem occasionibus, & per quos tam nobilis disciplinæ famæque moles exsurgere, mediâ solitudine cœperit, dignum est vt iam exequar. Assidua aduersus finitimos Saxones hîc Franco, Francique clientibus Thuringis & Hassis, bellorum erant certamina: illis religionem & numina insitâ leuitate fallentibus, his ob Christianæ fidei non nimiùm iactas firmè radices, in obsequium haud promptissimè accinctis. Altissimæ itaque prouidentiæ duces, Carolomannus & Pipinus, victoriam in Christianâ pietate quàm armis sibi spondentes certiorem, existimabant populos tot annis aduersus Francorum imperium contumaces, in obsequio tunc demum sibi certò futuros, vbi priùs eos Christi iugo quàm imperio suo subiugassent. Nam principatum illum, egregiis nixum radicibus, & præclarè stabilitum nouerant, quem Christi religio, & ab ipso inspirata vera pietas, fundasset. Huic sapientiæ facem prælucebat Bonifacius, qui excelsâ potestate, famaque virtutis Carolum parentem iam pridem ceperat, commendatione Gregorij Pontificis; Apostoli partes zelúmque præclarè hisce regionibus functus. Is, quà religionis incremento, quà superstitionum abolitione, iam longùm in Thuringiâ Franciâque vicinâ, progressus erat. Et monasticen, quam in Angliâ, vnde ortus, à pueris in Ventanâ diœcesi coluerat, item in horridâ hac regione excultum ibat. Ergo gymnasium animo exstructum habebat, ex quo statis virtu-

S. Bonifacius quando passus.

Carolomanno & Pipino fundatoribus, quæ mens?

S. Bonifacij consilium in Fuld monast. condendo.

virtutum auctibus, milites Christianos educeret; quorum operâ, & gentilitatis opes profligaret, & finitimam barbariem, asperitate morum edomitâ, ad sanctioris vitæ studium adduceret. Huc priusquam ex Britanniâ suppetias & auxilia posceret, primo itinere Româ, vt interpretor, rediens, per Boiariorum fines inde nimirum sobolem sepsuit nobili gignendo monachorum armento. Huic prænituit inde beatus Sturmius; quem S. Bonifacius admodum adolescentem Noricâ prouinciâ, siue Boiariorum, vt vsus tunc habuit loquentium, Christianis & nobilibus ortum parentibus, in hæc primùm loca perduxit; & Fritislariæ in monasterij ludo, accuratè ab VVigberto erudiendum curauit. Porrò VVigbertus Anglosaxo, clarâ item maiorum stirpe, laborum atque egregiorum operum se socium iam pridem Bonifacio iunxerat; illúmque Bonifacius Frideslariensi monasterio Abbatem præfecit, quando ipse in Geuuilebi locum, Moguntinam sedem Archiepiscopus obtinuit. Sic enim Lupus Seruatus in editâ nuper Moguntiæ S. VVieberti vitâ: *Neque multo pòst* (Bonifacius) *ad amplissimum pontificalis gradum dignitatis Moguntiaci diuinâ gratiâ prouectus, VVigbertum sacerdotem secundi ordinis, cœnobio suo, cui nomen est gentili Germanorum linguâ Friteslar, magistrum præfecit; vti monasticæ illic religionis normam statumque componeret.* Vbi nolim prætervolet, quòd VVigbertus, vt de Claudiano Viennensi scribit Sidonius,

B. Sturmis à S. Bonifacio educatur.

Frideslaria, aut Fritislar, monasteriũ.

Vitę S Wigberti c 23. 4. 5. v. seq.

Surian. edit. Geruilionia.

Cap. 5.

Antistes fuit ordine in secundo.

Quid enim id aliud, quàm sub primi ordinis ductore Bonifacio, Cathedrali episcopo, Vicarium & Coëpiscopũ, seu Archidiaconum quemdam extitisse VVigbertum? cuiusmodi secundos, & secundi ordinis sacerdotes veteribus appellatos, rectè obseruauit Sidonij interpres. At enim Bonifacium iniisse Moguntinam episcopen, quando celebrem illam, Carolomanni auspiciis, Germaniæ Synodum habuit, consensus auctorum est. Hac quippe Synodo Clemens & Adalbertus hæretici damnati, & Gevviliebus cædis reus, Episcopatu habitus indignus. Huic autem Synodo, quando ob conuentuum & actorum varietatem satis hæc res implicata manet, Othlonus Fuldensis & Lambertus Hersfeldius, ambo non ob-

Ioan. Sauaro ad lib. 4 epistolâ 21.

Othlonus lib 1 vitæ Lambert. Chron. Adi tamen Nicol Serar. Magunt rer. lib. 3. à notat. 31. & seq. in vitâ S. Bonifacij.

Synodus magna German.

scuri

ſcuri ſcriptores, probabiliùs dant quadrageſimum ſecundum annum ſupra ſeptingenteſimum, quàm alij quadrageſimum quartum, meo quidem ſenſu: hoc etenim Carolomannus, voti damnatus, & pœnitentiam regni confeſſus, abdicationem ſæculi & Imperij meditabatur, vt Regino, Contractus, & egregij manuſcripti, annotarunt. Eáque re, qui in poſteros annos hæc producunt acta, haud ſcio, quàm pro temporum calculis aptè & conuenienter ea diſtribuant. Porrò, vt ad Wigbertum & Friteſlarienſem monaſticen reuertar, apparet quidem, ipſis aditæ Thuringiæ & Saxoniæ primordiis, Bonifacium iſtic habuiſſe pietatis & vitæ ſeuerioris officinam. Nam, vti litteræ domeſticæ tradunt, primi inde excurſus in Herolfesfeldiam à Sturmio ſociíſque facti: qui prænobili Abbatiæ Hersfeldienſi priùs originem quoque dedit, quàm Bonifacij iuſſu Fuldæ receſſus attentaſſet. Itaque nemo negauerit, à primâ Thuringorum & Haſſorum conuerſione, Bonifacium Friteſlariæ diſcipulos habuiſſe, eóſque ambidextros, qui dum ipſe, vt quâdam in epiſtolâ ad Eadburgam Abbatiſſam de ſe loquitur, *exſul Germanicus tenebroſos Germanicarum gentium luſtrat angulos*, geminis velut additis alarum talaribus, iam manus porrigerent auxiliares in errorum freto miſerè fluctuantibus; iam ipſi ſolitudinis adminiculo refugi, mentem cæleſtibus, quibus inſueti, denuò redderent: Angeli verè veloces, qui

——— pedibus talaria vincti
Aurea, ſublimes alis, ſiue æquora ſupra,
Seu cælum rapido pariter cum flamine currunt.

Quod inſtitutum vitæ tenuiſſe S. Bonifacium iuxtà ac eius diſcipulos, ex iis quæ loco ſuo de B. Sturmione litteris mandabimus, manifeſtum fiet. Nec ipſe quidem ſiluit Bonifacius in epiſtolâ ad Zachariam, vbi Fuldam ſibi lectam, tamquam ſpeculam, ait, & arcem religionis propagandæ. *Hunc enim locum per viros religioſos & Deum timentes, maximè Carolomannum principem Francorum, iuſto ſe acquiſiiſſe labore, & in honore S. Saluatoris dedicaſſe. Quo in loco Zachariæ conſenſu, propoſuiſſe aliquantulùm, vel paucis diebus feſſum ſenectute corpus requieſcendo recuperare, & poſt mortem iacere. Quatuor enim populos, quibus verbum Chriſti annuntiarit, hîc circùm habitare:* puta Francos, Thuringos, Saxones,

S. Bonifacij epiſtol. lib. epiſt. 78. ſubiicitur fragmentû Concilij Carolomannici, anno 742. vndecimo Kalend. Maij habiti.

Friteſlarienſe Seminarium.

Herolfesfeldia, & Herſfeldenſis Abbatia origo.

Friteſlarienſes monachi Germaniæ Apoſtoli. Baron. Tom. 9. in an. 724. & in editis nuper Mogunt. ep. 14.

Actione & Theoriâ ambidextri. De ἀμφοτεροδεξίοις vel ambidextris Caſſian. collat. VI. cap. x. Iſaiæ cap. 18.

Fulda Sedes conuerſionis gentium, & quies S. Bonifacij.

Buchonia finitimi populi à S. Bonifacio conuerſi vel inſtituti.

nes,& Haſſos. Porrò initium Hersfeldenſis monaſterij, probæ notæ ſcriptores, atque ipſe Lambertus, ad annum reuocant DCXXXVI. quo tempore Sturmio,iam maturus virtute Friteſlariam egreſſus,quæ in Septemtrione Thraſciam verſus millibus triginta circiter abeſt Herolfesfeldiâ, vaſtam hanc eremum, & paganorum deſerta, pugil inuictus laceſſebat. Hinc tandem Bonifacij iuſſu in Italiam profectus,diſciplinam Caſſinenſium hauſit,quorum inſtitutis expolitus,inde in hoc Fuldenſi ſaltu, plenum virtutis opus aggreſſus eſt. Meminit horum ita Rudulphus: *Videns vir beatiſſimus Bonifacius, eccleſiam Dei creſcere,& certantibus ſtudiis,ad vota perfectionis accendi: duplicem viam ad profectum religionis inſtituens, monaſteria conſtruere cœpit; vt ad fidem Catholicam populi non tam eccleſiaſticâ gratiâ,quàm monachorum & virginum congregationibus,raperentur.* Habent ergo noſtri Germani conſilij rationem, quam totius gentis Apoſtolus ſecutus eſt,in monaſteriorum cōditione:& adhuc obtrudi ſibi patientur, monaſteriorum nō alium antiquitus Germaniam vſum ſciuiſſe,quàm puerilis ętatis in liberalibus diſciplinis inſtitutionem? Pergit verò Rudulphus: *Volens ergo vtriuſque profeſſionis ordinem regulariter obſeruari, idoneum vtrique magiſterium ſtuduit adipiſci; miſitque in Caſſinum montem Sturmin diſcipulum ſuum, virum genere & moribus nobilem,vt in monaſterio,quod B. Pater Benedictus inſtituit, diſciplinam regularem, & vitam moreſque monaſticos agnoſceret,paſtorque futurus,diſcipulus fieret: atq; in ſuâ ſubiectione diſceret,quomodo aliis præeſſe deberet.* Addit hinc, pari ſtudio, ab vltimâ exciuiſſe Britanniâ Liobam, aliáſque præclaris dotibus & mirificâ ſanctitate virgines; quas ſanctimonialium cœtui præficeret. Non diſſimulauit item, parens inſtituti Bonifacius, priſcæ diſciplinæ ſeueritatem: quo, Deus bone, viuendi rigore, ſi ſæculi noſtri mores huic ſpeculo opponimus? Nam ad Zachariam ſcribens,in hac vaſtiſſimâ ſolitudine, medióque nationum, quas Euangelij luce colluſtraret, monaſterium conſtruere, monachóſque conſtituere, ait, ſibi decretum ſub regulâ S. Patris Benedicti viuentes; *viros ſtrictæ abſtinentiæ, abſque carne & vino; abſque ſicerâ & ſeruis; proprio manuum ſuarum labore contentos.* Quibus ex rebus planum fit, ex antè præparato, Bonifacium inchoaſſe monaſterij Fuldenſis

B. Sturmio ad Caſſinenſe monaſterium mittitur in Italiam.

Sur. 28. Septemb. c. 10. vitæ S. Liobæ.

Monaſteria antiqua, arces quadam religionis propaganda potiùs, quàm ludi.

S. Lioba vel Liobguba ſanctimonialium in Buchoniâ princeps.

Monaſtica Bonifaciana rigor.

exordia: & Sturmin non contentus erudiisse in Frideslatiensis cœnobij contubernio, ipsos voluit monasticæ & lustrare & degustare fontes. Id quod tamen historia vitæ vulgata, anno constituti monasterij quarto accidisse tradit; id est, quadragesimo octauo sæculi septimi à Christo nascente. Suspicio me quoque sollicitat, epistolam illam, quam Cardinalis Baronius ad annum DCCXIX. ex manuscriptis adtexit ceu à S. Bonifacio ad monachos, quos in Angliâ reliquerat, datam; potiùs esse missam ad congregationem Frideslariensem ab ipso nuper institutam: quandoquidem præter Wigbertum, & ibi Sturmionis & Meginonis mentio fit. * Meginonem verò socium B. Wigberti, agnoscunt vitæ monumenta: sicut in clericis S. Bonifacij numerantur, qui ineundum cum Adelberto hæretico de religione certamen in Germaniâ, dissuadebant, Lullus, Megingozus, Sturmio.

Epist. 17. inter editas.

Frideslariensis cœtus viri illustres.

Megingoudus; & Megingozus idē.

** Megino Vitæ lib. c. 5.*

CAPVT IV.

Monasterij locus & regio ex fundatione monstrata.

ATQVE hæ sunt antegressæ monasterij Fuldensis incunabula rerum occasiones. Consummando negotio auctores extitêre Carolomannus princeps, idem Pipini frater, Martelli filius, & magni Caroli patruus; nec non Zacharias Pontifex origine Græcus, *vir*, vt Anastasius ait, *mitissimus atque suauis, omniq. bonitate ornatus*. Carolomannum Bonifacius non Christianæ modò vitæ præceptis imbuerat, sed philosophari iam tum quoque docuerat; vnde ad omnia inchoatę religionis opera non promptum magis quàm sibi obnoxium expertus, monasticæ rei patronum excellentem habuit. Hinc media inter arma, bellorumque motus, plus scilicet in seruorum Dei precibus, quàm militum suorum dextris, ponebat ille præsidij. Iam verò Carolomanno, per Thuringos & Orientales Francos, ob motus Saxonicos, non infrequens iter erat, vt ex facili, roganti Bonifacio locū & sedes apud Fuldam concederet. Fecit itaque, vt in Grabfeldensi pago fundum & possessiones, cum agrorum mensurâ, certisq. terminis liberaliter attribueret, eâ propè dona-

In Pontif. actis.

Carolomannus à S. Bonifacio institutus.

Othlonus, & Sur. lib 1 vitæ Bonifacij c. 36.

Religione quàm armis fortior.

Fuldensem fundum consecrat.

donationis ſententiâ, quam in harum tabularum ſanctione, Pipinus frater, interuallo repetiit; publiceque iam paſſim legitur. Et quia immorari his, propoſiti non eſt noſtri; promam ex Othlono Fuldenſi presbytero & monacho, qui primus poſt S. Willibaldum, rogantibus huius loci cœnobitis, accuratiùs vitam S. Bonifacij expoſuit, illud caput, quo, libro ſecundo, Fuldenſis monaſterij originem attingit:

Princeps Carolomannus poſtquam omnia Chriſtianæ religionis iura, iuxta S. Bonifacij conſilium correxit; illius etiam vota, in monaſterio Fuldenſi nouiter conſtructo, impleuit. Nam, cùm Abbas Sturmi, illum locum, vbi nunc ſitum eſt idem monaſterium, cum fratribus quibuſdam incolere cœpiſſet; eiuſdemque loci qualitatem S. Bonifacio denuntians, ſatis laudauiſſet: tunc ille ad Carolomannum pergens, ſupppliciter obſecrauit eum, dicens: Perpetuâ remuneratione tuâ omnipotentem Deum exoro, ſi mihi ſuccurrere dignaris, vt in Orientali regno tuo monaſterium conſtruere, monaſticamque vitam inſtituere poßim. Habemus enim in ſolitudine quæ Bochonia nuncupatur, iuxta fluuium qui dicitur Fulda, locum ſatis aptum famulantibus Deo repertum, qui ad veſtram pertinet ditionem. Quem ſcilicet locum à pietate veſtrâ nobis concedi petimus; quatenus in hoc Chriſto ſeruire queamus. Quo audito Carolomannus, nutu Dei, gauiſus eſt; & conuocans omnes palatij ſui milites, petitionem Epiſcopi eis intimauit; atque coram eis locum poſtulatum tradidit Epiſcopo, dicẽs: Locum igitur quem petis, & quem iuxta ripam fluminis Fuldæ ſitum aſſeris, totum, quidquid in hoc ſub meâ poteſtate conſiſtit, ab hodiernâ die in ius Domini trado; ita vt ab illo loco vndique, ab Oriente ſcilicet & Occidente, à Septemtrione & Meridie, marca per tria millia paſſuum tendatur. Hac itaque traditione factâ, miſit etiam nuntios, qui omnes nobiles in regione Grabfeldt habitantes congregarent, eoſque ſuppliciter rogarent, vt omnes qui infra marcam ſuprà nominatam aliquid proprietatis haberent, facerent, quæ & Princeps feciſſet; tradens videlicet in obſequium Domini, monaſteriique à S. Bonifacio conſtruendi. Cumque à nuntiis præſignati omnes fuiſſent congregati, Principiſque petitionem cognouiſſent, mox cum omni deuotione quidquid proprietatis ibidem habuerunt, Deo, ſanctoque Bonifacio, nec non Abbati venerando Sturmi, poſſidendum tradiderunt. Vt autem hæc traditio in perpetuum corroborata permaneret, Carolomannus, cuius inſtinctu hæc

Fuldẽſis monaſterij fundatio.

Carolomanni aſſenſus.

Marca quadripartita.

Grabfeldiæ nobiles ſua quoque Deo conſecrant.

Meminit Gregorius III. in epiſtolâ ſuâ optimatũ Grabfeldiæ, quæ latè patuit.

hæc omnia agebantur, iuſſit chartam ſuæ traditionis ſcribi, quam ipſe ſigillo proprio firmare ſtuduit.

Sext. Iul. Frontin. de Coloniis lib. I.

Illuſtrandæ verò huic donationi, plurimùm faciet, vt opinor, ſcheda inſigni vetuſtate collucens, quæ in huius eccleſiæ monumentis extat. In hac, etſi ex lege limitum, decumanus & cardo ad iugerationis modum expreſſi non ſint, accurata tamen finium rectura, pro ſitu loci deſcribitur per riparum curſus, cauas, montium iuga & riuos finales, more veterum.

Chartula S. BONIFACII de finibus & terminis FVLDENSIS monaſterij.

Marca Fuldenſis quadripartita fines & limitatio, S Bonifacij iuſſu ſcripta.

BONIFACIVS *legatus Germanicus S. Romanæ Eccleſiæ viris religioſis, ac Dominum timentibus in regno Francorum conſtitutis. Non incognitum eſſe reor pluribus, qualiter Carolomannus, vir illuſtris, qui in regno Francorum ſimul cum germano ſuo Pipino dominatur, locum in Buchoniâ ſiluâ, aptum ad monaſterium conſtruendum, nobis conceſſit; & perpetualiter ſeruis Domini condonauit. Ideò placuit nobis, vt eumdem locum, qualiter certis terminis conſiſtit, adnotemus; & idoneis teſtibus, qui in prædicti Principis traditione & veſtitione ipſius loci affuerunt, ſubter firmemus. Eſt ergo terminus eccleſiæ & monaſterij S. Saluatoris, quod ſitum eſt in littore fluminis Fuldæ; primùm in Orientali plagâ, fons riui, qui vocatur Crumbenbach: & ſic vadit per illum riuum, vſquequò intrat in Auſtralem Hunam. Inde tranſit in collem Leobungovv, qui à quibuſdam dicitur Cuſſiſo; & ſic vadit vſque ad introitum Vthinabache, in alteram Hunam. Inde tranſit in caput riui, qui vocatur Rodenbach; inde in caput VVolffesbache; & ſic in riuum eius, vſque quò intrat in Biberaha; & per littus illius deorſum, vſque in oſtia Larbrunnen: inde vadit ad locum, vbi alter Crumbenbach intret in Treisbach: & ſic ſurſum per riuum Crumbenbache, vſque in caput eius. Inde tranſit in ſummitatem Rosberge, & ſic per ſiccum torrentem, iterùm vadit in Hunam: & deorſum per littus eius vſque in oſtia Marbaches: inde ſurſum per riuum illum, vſque in caput eius: inde in caput Beroſbach; inde vadit ad locum, vbi flumen Lutere intrat Fuldam, & ſic ſurſum per littus Lutere, vſque in oſtia Bymbaches; & per riuum eius ſurſum, vſque in caput eius. Inde trans viam, quæ dicitur*

Crumbenbach riui .ſinus.
Huna Auſtralis riuus.
Leobungovv collis, qui & Cuſſiſo.
Vthinabache.
Rodenbach.
VVolffsbach.
Biberaha.
Larbrunnen.
Treisbach.
Rosberge.
Marbache.
Beroſbach.
Lutere.
Bymbache.

Anthan-

Anthannia, vsq. in viam quæ vocatur Ortesouuehe, inde vadit in volutabrum, quod est in monte, qui dicitur Himelesberge. Inde transit in caput riui, qui vocatur Scalkesbach, & sic per littus eius, vsquequo intrat in Fliedena. Inde deorsum, vsque ad ostia Scamunfuldæ; & ab ostio eius sursum, vsquequo ipsum flumen diuiditur in freta: inde transit inter media freta, quæ nasci videntur de flumine Fuldâ; & sic vadit in caput riui, qui dicitur Sudtomilbach: inde pergit ad caput supradicti fontis Crumbenbaches. Sic enim iste locus traditus est à Pipino cum his terminis circumscriptis, Domino & Saluatori nostro; & à prædicto principe Carlomanno; vt sit cõmendatus idem locus, & vtilis Saluatori nostro vsque in finem sæculi, ad congregandos & nutriendos seruos eius, absq. vllâ impeditione vel vsurpatione aliorum. Anthannia. Ortesvvehe. Himelsberge. Stalkesbach. Fliedena. Scamunfulda, postea Scinfulda, & Schonfuld. Sudtomilbach. Traditio loci quo fine facta.

Signum Bonifacij Archiepiscopi, qui hanc chartam pro notitiâ omnium conscribi iussit.

✠

Signum {
Burchardi Episcopi. ✠
Sturmi Abbatis. ✠
Megenhelmi Presbyteri. ✠
Folcheranni Presbyteri. ✠
Megingozi Presbyteri. ✠
*Trountis Præfecti. ✠ *Troantis
Luitfridi Præfecti. ✠
*Rumolfi Præfecti. ✠ *Runcolfi Runzolfi
}

Anno Dominicæ Incarnationis DCCXLVII. *Principatus verò nobilium virorum Karlmanni & Pipini fratris eius anno* VI. *mense Martio* XXII. *die scripta est hæc Notionis charta in Fuldensi monasterio, primùm à Megenhelmo Presbytero, iussione & permissione diuinâ.*

Vbi obiter consuetudo notanda crucis imaginem vsurpandi in Actorum subscriptione; quæ crux nomina subscribentium, vel sequi vel præire solet interdum. Nec ritus is Gretserum nostrum, in opere illo præclaro de sanctâ Cruce, fefellit, qui eum apud Anglos & Francos citeriores etiam obtinuisse lucu- Crux subscribentium actis. Tom. 1. lib. 2. c. 16. & 19. & in epistol. S. Bonifacij 70. 92 93. &c.

luculentè docet. Nam Synodo Theodonis-villæ à Carolo Magno celebratâ, *proceres ſubſcripſiſſe* feruntur, *ſinguli ſingulas facientes cruces*. Et Ingulphus Anglicanarum rerum ſcriptor exempla promit ab vetuſtate, queis liquet Reges & Epiſcopos ſubſcriptores, acta priua, publica, ſigno ſanctæ crucis expreſſo, corroboraſſe.

Zachariæ Pōtificis priuilegia S. Bonifacij rogatu Fulden. monaſterio concesſa.

Operis eſt quoque ſuſcepti, memorare ex priuilegiorum Fuldenſis monaſterij breuiario, quo ſtudio & alacritate Zacharias Pontifex principum fundatorum religionem ſit complexus. Nam eodem pænè verborum tenore, authenticas huc miſit, quo poſteà Stephanus, cuius diploma vulgamus. Etenim Bonifacius donatione à Carolomanno factâ, ilicò ad Zachariam ſcripſerat hoc argumento: Se in vaſtâ ſolitudine locum, quem à præterfluenti riuo nominet, legiſſe; monaſterium Saluatori Chriſto, D. Mariæ, & Apoſtolis Petro & Paulo ex S. Benedicti diſciplinâ collocaſſe; condendo corpori ſepulturam ibi præparaſſe. hunc ipſius patrociniis ac tutelæ cumprimis commendatum cupere; rogare etiam, vt quiſquis beneficium poſuiſſet, huic in alterâ vitâ præmium, qui maleficium, ei vltionis diuinæ piaculum obuenire, vellet, iuberet. Iungitur ſuper hoc datum à Zachariâ priuilegium eiuſmodi, quo vni Pontifici Summo iuris dicundi poteſtas addicitur, ceteris omnibus abrogatur. Epiſcopis etiam & præſtantibus aliis ſacerdotibus, ſacrificandi auctoritas negatur, niſi ad Miſſarum celebranda ſolennia ab ipſo priùs Abbate inuitentur. Deripere quoque de facultatibus eccleſiæ nemini impunè eſſe voluit, propoſitâ anathematis pœnâ, ſi quis contrà niteretur. Quam quidem Zachariæ conceſſionem, vti dixeram, Stephanus quoque Papa ratam fecit. Habemus itaque & veterem loci regionem, & primos Fuldenſis monaſterij conditores, quorum munificentiam gratiamque ſucceſſores liberi ac nepotes mox æquarunt; vel quoque ſuperarunt. Nam ſimul Carolomannus poſitis gubernaculis ex rerum domino factus eſt monachus, anno videlicet Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Pipinus fraternæ ſolicitudinis non expers, & eiuſdem capax religionis, eâdem beneficentiâ, Fuldenſe monaſterium ſuſcepit. Quo in ſtudio Carolum filium reliquit imitatorem: quo ſcilicet

Monaſteriū Fulden Sedi Apoſtolicæ ſine medio ſubiectum.

Epiſcopus in eo non facit Abbate inuito.

Fundatores Fuld. monaſterij.

MM.SS. donationum tabulæ.

Carolomannus factus monachus.

licet regnante, ex mediocris fortunæ ſtatu, eam in amplitudinem res Fuldenſis excreuit, vt ſtructurâ nouâ baſilicæ & officinarum, ac magnitudine vectigalium cetera, quàm latè Germania patet, hoc longè multùm monaſteria ſuperaret.

Carolus Magnus in Fuld. monaſt. magnificus.

Eſt verò cauſa non vna, cur Carolomanni principis religioſiſſimi beatos cineres honorificâ recordatione, cum Volaterrano proſequi, ſit animus; qui monte Caſſino recèns ab ſuâ ætate, oſſa S. Benedicti, à Cardinale Arragonienſi, multis videntibus retecta, narrans, tres ait illic extitiſſe arcas; in quarum primâ & alterâ S. Benedictus & ſoror Scholaſtica; in tertiâ, ſcilicet ad pedes amborum, Carolomannus quieuerit, Martelli F. Caroli Magni patruus, *qui monachus tantâ in S. Benedicti diſciplinam fuerit obſeruantiâ, vt* [a] *Abbatis iuſſu,* [b] *greges eius loci paſceret* [c]. *Quapropter iure quoque connumeratus ſit inter Beatos.*

Anthropolog. lib. 20 in Benedicto.

B. Carolomanni ſepultura & inuentio.

[a] Petronacis.

[b] Immò ſedulus miniſter coco vapulãs adeſſet, vt Rheginonis Chron. ad an. 746.

[c] Claudicantem ouem humeris ſublatam ſtabulo redderet. ex Caſſin. Annal. Plat. lib. 2. c. 26. Naucler. generat. 25.

CAPVT V.

Incrementa Monaſterij.

FALLVNTVR, qui repentinum huic loco dant profectum, eaque faſtigia Carolomanno Pipinoque regibus monaſterio naſcenti imponunt, quæ præter regalis munificentiæ commendationem, ſpeciem operis habent conſummati. At longè verò ſecùs ea res cecidit: nam ſiue locorum ſterilitate, ſiue hominum quos adunabat, multitudine obrutus Bonifacius, ita monaſterium inter initia, ſicut diximus, inſtruxit; vt in modicis tectis, victuque ærumnoſo, cœnobitis ad votiuæ paupertatis experimentum eſſet abundè. Primùm purgando ad culturam ſolo, & ſuccidendo nemore plurimum laboris exhauſtum. Victum inde factitarunt domeſticâ contentione, paſtu pecorum, agrorum cultu, manuum labore, monachi. Nam, etſi quod fundorum, paſcuorum, nemorum, riuorumq́ue poſſidebant eſſet affatim, cogi tamen ab his potiùs fructum, quàm exorari, nec vbertim ilicò prouenire, vulgò cernimus. Vnde tanto origini propinquior Rudulphus Willibaldi narrationem ſecutus in vitâ Liobæ, diſertis verbis, vbi Bonifacium ad martyrium properantem inducit Lullo ſucceſſori Moguntiæ ſuo

Monaſterij Fuldenſis modica initia.

Sur 28. Septemb. c 20. S. Willibaldus in vitâ S. Bonifacij Tom. 4 lection. antiq.

 dantem.

dantem ſuprema mandata, de templis lociſque ſacris, paſſim ab ſe inchoatis, ſigillatim addit mandaſſe *de monaſterio Fuldenſi, quod auctoritate Zachariæ Papæ & fauore Carolomanni regis Auſtraſiæ, in vaſtiſsimâ ſolitudine ſaltus Boconiæ ipſe conſtruxerat: vt, quia monachi locum illum inhabitantes pauperes erant, & necdum alia habebant ſeruitia, ſed ſolo manuum ſuarum labore victitabant, ædificium fundatæ tum ibi eccleſiæ ad perfectionis terminum deduceret, atque poſt mortem ſuam corpus eius illic ſepeliendum transferret.* Hinc adeò mos apud poſteros etiam perſtitit; vt quando iam, quæſitis facultatibus, monaſtice vigebat, Carolo Magno Imperatore cœnobitæ operis illis omnibus præeſſent, quibus frugi familia ſuſtentari ſolet. Extat eâ de re caput XVI. ſupplicis libelli, quem Carolo Magno porrectum in monaſterij turbellâ, iam publicamus. Eo in capite damnatâ ſeruorum improbitate, rei familiaris procurationem, ceteraque domeſtica munia, quamuis vilia, ipſi ſibi depoſcunt vltrò cœnobitæ. Apparet igitur regiam munificentiam domeſticâ frugalitate & religioſâ parſimoniâ non magis ſubleuatam, quàm ad ſummum adductam: ſiue enim multitudinem hîc diuino ſe cultui addicentium, ſiue fortunarum acceſſiones attenderes, breuî vſque eò vtraque auxit & euexit religio, vt inter ipſa primordia, môle ſuâ, noua congregatio laboraret. Quippe Bonifacio poſt martyrium huc tranſlato, & ſepulcro nobili ei erecto, Sturmi Abbas, ipſius vt ſuperſtitis ductu, ſic mortui ſuffragatione, progreſſus habuit longè feliciſſimos. Regum namque gratiâ, & amore apud ſuos, vitæ ſanctimoniâ ſibi conciliato, res vtiq. maximas breuî perfecit. Primùm itaque à Pipinio donata prædia, ab Dagaleichi potentis viri iniuriis vindicauit, publico procerum conuentu, quem Carolus Magnus villâ Longario coëgerat. Inde VI. anno regni Magni Caroli, in Durâ palatio, ab eodem rege conſecutus eſt, vt is in Sturmi & S. Bonifacij gratiam, villas ac prædia, quæ vel in præſens vel in poſterum poſſeſſurus eſſet, à iudicibus & cauſſarum penſitationumque cunctis oneribus abſolueret, maiorum ei priuilegia ſtabiliret, homines eius loci, ſeu ingenuos, ſeu ſeruos, qui intra agros, fines, terras inchoatæ eccleſiæ commorarentur, vniuerſos ipſi, ſucceſſoribuſque ſubiiceret. Hinc ipſe, prouidâ œconomiæ curâ, memor diſciplinæ Caſſi-

Progreſſus.

Dagaleichus Fuldenſ. monaſterio iniquus.

Longarium villa.

Dura palatium, quod Marcodurū.

Incola Buchoniæ, Fuld. monaſterio mancipātur. MS. donationes.

Caſſinenſis, omnia ad victum cultumque neceſſaria ritè atque ordine conſtituit, eamque monaſticæ normam ac viuendi rationem inuexit, vt famâ diſciplinæ ſanè quàm florentiſſimæ permoti exteri viciniique, certatim huc pietatis amore confluerent; ſpretiſque, quæ apud mortales prima ſunt, monachorum inſtitutum ipſi, liberique ſanctè profiterentur. Præclarum huius rei S. Ludgerus edit in B. Gregorij ſui magiſtri vitâ teſtimonium: *Sturmi Abbas*, inquit, *hoc meruit priuilegium à Deo, & ſancto magiſtro, præ ceteris condiſcipulis ſuis, vt ipſum locum, quem magiſter ſanctus elegit ad ſepulturam corpori ſuo, poſſidere mereretur, & initiare: ac ſanctum corpus eius martyrizatum in eodem ſuſcipere: & in tantum prouehere, & glorificare eumdem locum, vt ante obitum ſuum de hoc mundo, quadringentorum circiter monachorum, exceptis pulſantibus, & alijs minoribus perſonis, quorum numerus multiplex erat valdè, in ipſo monaſterio, poſito iuxta fluuium Fulda, pater extiterit & præceptor.* Nec prudentiam eius œconomicam ſiluêre diſcipuli, in ſupplici, quem dixi, libello; vbi capite decimo poſtulant, *vt victum & veſtitum ſicut maiores conſtituerunt, habere liceat; quia primus Abbas*, inquiunt, *noſter Sturmi in monaſterio S. Benedicti per annum conuerſans, huc poſteà rediens, ſecundùm electionem S. Bonifacij; habitum eorum & victum diiudicantis, nobis iſtum conſtituit, cuius rei plures adhuc teſtes ſuperſunt.* O felix votum, & tali voto felicior congregatio, quæ primigeniæ puritatis appetens, fontis illibati ſitiit originem! ad quam vtinam hæc inſtituta ſæculo noſtro perueniant, ſaltem vel aſpirent, optimè iam cum iis quidem agatur. Intereà Sturmi in longum proſpiciens, cùm vndique egregiæ indolis adoleſcentes in cœtum ſuum adſciſcit, tum ex Noricâ prouinciâ Aegilem conſanguineum, magnorum operum & præclari olim exempli futurum Abbatem, in diſciplinam cooptauit; cuius amabilem iuuentam Candidus monachus Fuldenſis attigit: *Vir venerabilis Sturmi*, ait, *cognatus eius, de quo loquimur, eo tempore turbam monachorum, dignis conuerſationibus, regere videbatur. Huic nimirum adhuc puerulus Aeigil de patriâ tranſportatus, & honorificè à parentibus præſentatus eſt: quem paternâ pietate & blanditiis delinitum, ſcholæ congregationi, vbi lex diuina iugi exercitatione diſcitur & docetur, ſociari voluit.* Id quod verſibus alibi expreſſit:

Monaſteriū creſcit cœnobitarum numero, & abdicantium concurſu.

MS. Fuld.

Quadringēti monachi.

Sturmi Abbatis œconomia.

Cura in monaſticis alūnis educandis.

Aegil ſtirpe Noricâ ex B. Sturmionis genere à teneris educitur Fuldæ.

—— blandiloquo Sturmi quem murmure visum
Suscepit: lætisque suis complectitur vlnis;
Ac iuueni consanguineo dat basia pastor.

B. Sturmi gubernatio suauis.

Hoc igitur habitu animi, & morum suauitate Sturmi, tenellum adhuc Christi gregem complexus; dictu incredibile est, quàm facili hac & benignâ gubernandi ratione, morumque eximio candore, omnium ordinum homines sibi monasterioque Fuldensi deuinxerit; vt iam per crebras adeuntium coitiones non fama solùm loci increbesceret, sed cresceret quoque, S. Bonifacio miraculis emicanti oblatis muneribus, pristina piorum liberalitas.

Capvt VI.

Structurarum inchoata opera.

Qvod in ædificiorum distributione, prisci homines naturâ duce, factitabant; idem hîc apparet vsu venisse maioribus: qui in operum suorum molitione, seriem eam ædificando secuti sunt, vt primùm necessitati, mox oportunitati, postremò ornatui & decoro seruiisse; videri vellent. Quas scilicet naturæ metas, Varro duplici summâ, vtilitatis & elegantiæ, complexus est. Non enim domum habere volunt homines, vt sint in tecto & tuto solùm, sed etiam vt voluptas retineri possit; quòd aliud homini, aliud humanitati, satis esse putetur. Ad eum modum, quæ S. Bonifacius ruditer tecta condidit, siue sacra, siue domesticis vsibus aliis destinata, hæc Sturmi primum Abbatem meliora fecisse, & commoditatibus additis, expoliisse constat; Rhatarium onerasse, & impensis quoque immodicis mersisse: Ægilem verò Sturmi consanguineum, summo decoro & magnificentiâ sustulisse & consummasse.

Cic. de perfecto Oratore.
Lib 7. de lingua Latinâ.

Fuldensis structura gradus.

Loci situs & natura vbi cōditum monasterium.

Regio interim à S. Bonifacio sociisque conditoribus, capta probatissimi salubrisque cæli; seu solis adspectum, seu flatus ventorum, seu alias oportunitates spectares. Nam, & apertum Occidentis latus, & Septemtrionaria plaga, probatis Aquilonum flabris vegetantur; & noxium Austrum excludit collis obiectus; alibi, mollibus agitationibus auræ discussæ minimè torpens,

pens, ſed vſque vegetum incolis cælum relinquunt. Inde ad amœni & piſce prædiuitis riui lapſum poſitum monaſterium, accliui in colle aquarum exuberantium iuxtà copiâ, & circùm ſolo pratis paſcuiſque iucundo & irriguo. Quę ſitus ratio ſtructuram alluuione tutam, & à mollitudine liberam efficit; valuitq. circumſcriptioni proferendus per ambitum collis, quem denique Abbas proprio domicilio, & aduenis oppido exſtructo, ad Meridiem occupauit. Porrò Bonifacio ſuperſtite, & templum, & monaſterij cuicuimodi ſurrexiſſe culmina, litteris diplomatum, & in hiſtoriâ vitæ Sturmi, ſatis exprimitur. De templo teſtati quoque ſunt originis propè æquales, Rhabanus & eius diſcipulus Rudulphus, qui celebrant altare ab ipſo S. Bonifacio in abſidâ Orientali exſtructum, dicatumque honori Domini Saluatoris noſtri, & ſanctis duobus Apoſtolis: in cuius abſidæ Septemtrionalem plagam S. Liobæ corpus magnificè illatum, conditumque fuit. Vitium autem breuî feciſſe huius operis primordia, aut obfuiſſe anguſtias, Sturmi reſtauratio docet; qui columnis fulciiſſe templum, & porticum ornaſſe cōdiendo Martyris pignori, ſcribitur. Idem aquis intra ſepta ad varia miniſteria deductis, monachorum quoque domiciliis inſtaurandis, manum adhibuit. Quam deinde curam Baugolffus & Rhatarius, pręſertim oneroſo & perdifficili ſumptu excepêre: qui baſilicam in eam protulere magnitudinem, vt cryptis denique duabus, magnifico opere, hinc ad Occaſum, inde ad Orientem exſtructis, abſoluti templi decus Aegil Abbas auferret. Qui deinde monaſterium quoque vnâ omnium ſuorum voluntate ſummoque conſenſu nouum in Occidente condidit, cùm vetus ad Meridiem, quà iam ex oppido aditus eſt in baſilicam, ſtetiſſet. Hinc de Aegile Candidus ita ſcribit: *Hic idem venerandus vir, licet iam ſenio morbóque tricatus, laſſaſſet; tamen clauſtrum monaſterij, ex nouo conſtruere cogitauit. Vocantur ad conſilium fratres; quæſitum eſt, in quo loco ædificatio clauſtri congruentiùs poſſet aptari: quidam dederunt conſilium contra partem Meridianam baſilicæ, iuxta morem prioris: quidam autem Romano more contra plagam Occidentalem ſatiùs poni confirmant, propter vicinitatem Martyris, qui in eâ parte baſilicæ requieſcit; quorum conſilio adſenſum præbuêre priores.* Habent itaque poſteri, ſapientiſſimum

Oppidum Fuldenſe.

Templi primi, & omniũ antiquiſſimi, memoria.

S. Liobæ ſepultura.

Opera S. Sturmi & ſequẽtium Abbatum.

Baugolfi, Rhatarij,

Aegilis.

Monaſteriũ Fuldenſe in Occidente exſtructum propter memoriã S. Bonifacij.

mum

mum maiorum ſuorum conſilium, cur ab ipſis propè loci incunabulis monaſterij ſepta, vt hodieque cernuntur, affigi placuerit baſilicæ parti Occidentali; quò, ſicut animis S. Bonifacio illi ſemper inhærebant, ita nec corporibus vnquam ab illo vel tantillum eſſent abiuncti. Hæc de ſtructuris, quæ domi ſuſceptæ, ſatis vniuersè ſub quatuor primis Abbatibus; nam de baſilicâ nos in loco, de Rhabani mirificis operibus, Rudulphus proprio, quem iam edimus commentario, loquetur.

Opera foris paſſim inchoata cellarum & eccleſiarum:

Cum onere naſcentis monaſterij.

Cap. 12. ſupplicis libelli.

Inter hæc, conualeſcente numero monachorum & aduenarum, ſeruitiorumque creſcente multitudine, foris in omnem partem deductæ coloniæ; vicinoque ſolo paſſim vel eccleſiæ, vel cellæ exædificari cœptæ, eâ frequentiâ & molitionis ardore, vt oneri & diſpendio hanc feſtinationem ſibi eſſe, primores monachorum ipſi faterentur. Vnde Rathario Abbate, parum ſecundis ſuorum animis, hîc rem gerente, monachorum cœtus apud Magnum Carolum contra eum ſupplicauit: *Vt ædificia immenſa atque ſuperflua, & cetera inutilia opera ea omitteret, quibus fratres accideret vltra modum fatigari, & familias foris diſperire; ſed omnia potiùs ageret iuxta menſuram & diſcretionem.* Atque hoc in genere, vt in aliis item multis, peccatum à Ratthario, tum ipſius quæ pòſt ſecuta eſt, abdicatio ſeu eiectio docuit; tum grauis Luduici Pij Imperatoris querela, Ratharij tempora incuſantis, quòd extra modum ſumptu & magnificentiâ prodiiſſet. Verba eius prolixè à Candido ſcribuntur; nos ex iis pauciora delibamus, quibus Aegilem Abbatem recèns electum affatus eſt: *Immenſa verò ædificia, Pater, & opera non neceſſaria, quibus familiæ foris, & intus fratrum congregatio fatigatur; ex hinc penitus ad menſuram dimitte: & memento, quia ſæpè huius nimietatis querimonia genitoris mei ac noſtras aures inquietabat. Ad hoc enim me licet minùs idoneum, tamen diuina potentia in hoc ſubrogauit Imperium, vt eſſem oculus cæco, & pes claudo; pater eſſem pauperum; & cauſam, quam neſcirem, inueſtigarem: ac per hoc huius religionis non poſſum vtilitatem non loqui.* Hucuſque Luduicus Caroli Magni filius, luxuriem ſumptuum in Ratthario Abbate caſtigans. qui ſic ædificiis curandis intentus erat, vt non domi modò diſciplina periret, ſed inopum & pauperum quoque curæ decederet; ædificiaque ſtruebat, quod ſolent

Luduici Pij Imp. in Fuldenſem congregationem animus.

MS. Vita Aegilis.

Modus & mediocritas ædificiorum, de quo & Cic. 1. de Offic. præcipit.

Ratharij Abbatis ædificatio.

solent improbi domini, non tam suis impensis, quàm miserorum ærumnis. Cuius tamen ipse facti inuidiam posteà, condito in Episcopi monte, Mariæ Dei matri monasterio, exstinxit, & penitus aboleuit.

Purgatio.

CAPVT VII.

Cellarum origo & vsus.

NON prætereundum hoc caput erat, quando Fuldensis ditio tot Cellis abundat, vt quocumque te vertas, in pagorum ac vicorum nominibus, hęc iis fermè vox agnata cohæreat. Quare imperiti rerum, cùm monasticæ celebrem hac regione famam memoriæ subiiciunt, sic statuunt, ceu locis hisce olim monachi tamquam cellis inclusi, residem & otiosam vitam egerint. Quæ opinio hæreticorum calumniis affinis, funditus hîc ex animis hominum euellenda est: quippe, cùm longè diuersam Cellarum originem & vsum ex huius loci antiquitatibus nos eruemus. Etenim, cùm Regum liberalitate & Christianorum fidelium prompto in nascentis hîc pietatis cultores benefaciendi studio, prædia, fundi, villæque complures, iam tum monasterij opibus accessissent; quo fructuosior & fidelior horum esset administratio, maiorum auctoritate consilioque prouisum est: vt cultioribus fertilibusque locis, presbyteros monachos præficerent; & ad continendum in officio seruos & colonos ritè gubernandos, inibi ecclesias exstruerent. Hos verò presbyteros, Præpositos vocabant: quorum id munus erat, parochorum instar veterum, congregationi Fuldensi ministrare sumptum, & præbere ad victum cultùmque necessaria; reficere domesticos vltrò citroque commeantes, hospitio excipere peregrinos. Vt igitur apud Priscos & Latinè loquentes, rariùs cella pro cubiculo secreto; plerumque verò & sæpissimè, pro penu & apothecâ sumitur, in quâ res esculentæ & poculentæ conduntur, & ex quâ vicissim promuntur: ita maiores Fuldensium, cellam appellauêre, in quâ penus, frumentum & annonam sepositam habebant, ad vsum & fratrum & hospitum. Quæ quidem Cellæ à frugi patribusfamilias, iuxtaque religio-

Cellæ rei rusticæ ac familiaris officinæ.

Iis præfecti presbyteri monachique dicti Præpositi.

Munus eorum.

Cellarius hinc apud Columel. Plautum, Martial.

Promus cōdus qui Græcis ταμίας.

Cella nutrices cœnobitarum hospitū.

De cellis extra monaster. conf. cap. Priuilegium. de verbor. signific.

Cellarũ antiquus vsus monstratus.

Cella S. Goaris apud Rhenum.

Sur. 6. Iulij.

S. Ioannis & Hilarij in Treuiris.

S. Iudoci.

Epist. 42 44. 45. 61. 62.

religiosis viris habitatæ; altrices & nutrices quædam erant cœtus monastici. Hanc vsurpationem vocis, multa externa & domestica exempla stabiliunt. Cella B. Goaris, quæ oppido apud Rhenum nunc locum dedit, nihil Caroli Magni quoque ætate fuit aliud, quàm domicilium & sedes hospitalitatis, ex quâ clerici religionis custodes, prætereuntibus victum & alia vitæ necessaria promebant. Eiusdem in Treuiris vsus fuêre cellæ S. Ioannis Euangelistæ & S. Hilarij, nunc inclyta monasteria; ex quibus eius loci Episcopis, Dagoberto regnante, annona præbita. Quin & Lupus Ferrariensis, in Galliâ Abbas, Fuldensis monasterij quondam alumnus, Cellam S. Iudoci Ferrariæ monasterio olim à Ludouico Pio donatam, sed à Carolo filio ad tempus interuersam, egregiè celebrat; & epistolâ XLIII. propriè monstrat eius vsum; cùm Ferrariensi monasterio negat illas esse facultates, vt sine eius Cellæ subsidio, possit in eo durare religio: *Namque inde*, ait, *cera ecclesiæ, fratribus & familiis vestimenta, pisces, caseus, & legumina ministrabantur: quibus omnibus vtinam non ad duplum detrimentum domus nostræ, gementes careamus.* Perinde Walafridus, in Alemanniâ, cellam S. Galli descripsit. Sed, vt externa omittamus, Rudulphum iterùm profero, qui in Rhabani Actis, primùm testatur, prædia per diuersas sparsa prouincias, sic ab illo administrata, *vt alia per laicos, alia verò, præsertim quæ ecclesiis instructæ, presbyteris procuranda atque disponenda committeret.* Addit & illud signatiùs: *Cellas quoque fratrum sibi commissorum ornasse permissu Episcopi, templis, & importatis Sanctorum reliquiis.* Hinc & alio loco vsum aperit, quem anteà prodidimus in Anthado presbytero: *quem & præpositum* scribit *fuisse locorum monasterio subiacentium*; & id habuisse muneris, *vt statis temporibus inde necessaria fratribus administraret.* Commendatur & Cellarum vsus in illâ celebri sanctorum Abbatum collatione, quæ habita Aquis palatij, in domo Lateranis anno Christi DCCCXIV. Imperij Hluduici Pij tertio, VI. Idus Iulij, vbi caput hoc extat; *Vt Abbatibus liceat cellas habere, in quibus monachi sint, aut canonici: & Abbas præuideat, ne minùs duobus monachis ibi habitare permittat.* Prolixiùs rem eamdem Candidus exequitur, originem instituti disertè commendans, in Ægilis Abbatis historiâ: *Cum consilio & consensu fratrum*

Lib. 2. vitæ c. 10.

Lib. 2. antiq. hic.

Cella Fuldẽsis oratoriis & reliquiis instructa.

Prebebãt annonam & victum cœnobitis.

Extat apud Cassianum edit. Plãtini.

trum suorum constituit atque decreuit; vt fratres, qui extra monasterium ministeria prouidere noscuntur, fratribus intra monasterium commanentibus, per singulas anni septimanas, iuxta ordinationem Præpositi vel Decanorum, in cibo & potu, atque aliis quibuslibet commodis monasticæ vitæ congruentibus, super indictam sibi annonam, ad honestam consolationem, non coactè, sed vt eos sumptus permitteret, spontaneâ voluntate seruirent: ita tamen, vt ipse primò omnium huius seruitutis initium in die natalis Domini, ad exemplum ceteris, cum gaudio susciperet. Hæc ideò sanè fratribus extrà manentibus commisit; vt per illa charitatis officia, mercedem consequerentur à Deo; & à præcepto regulæ, quæ iubet, vt fratres sibi inuicem seruiant, longè positi non discreparent. Plenum hoc scientiæ priscæ & accuratæ disciplinæ argumentum; quod in Palæstinæ, Mesopotamię, aliisque Orientalibus monachis, tum Ægyptiorum quoque typo, laudauit egregiè Cassianus: ex quo non vnius generis & moris consuetudines hîc antiquitus susceptas agnoscimus. Quippe monachis, constat, ruri degentibus, certam cellæ pensionem, primò constitutam, omniaque loca, vt & hodie, primigenio monasterio, ceu metropoli suæ mansisse adunata. Deinde & Abbati datum largiùs; easque copias attributas, vnde communi facere benignè posset. Postremò, pro obsequij vigore & charitatis officio, tunc in religione plurimùm vegetæ, præter Canonem, quando id suauis gubernandi ratio, & necessitudo fratrum poscebat, plusculum etiam imperatum in Cellas, & nullo negotio, solatij caussâ præbitum ac pensitatum. Hospitalitatis in Cellis exhibitæ, cùm alia documenta, tum illud ex historiâ vitæ S. Liobæ suppetit; quòd cùm illa nobilis & singulari sanctimoniâ transmarina femina, Fuldense monasterium non raró orationis caussâ adiret; & ei soli, ob S. Bonifacij memoriam, cuius magisterio & exemplis erudita, & iussu ex Angliâ accersita fuerat, monasterij secretum pateret; quoties inquam adiret, discipulas moniales, & pedissequas, vicinâ in cellâ resistere volebat: & quò castiùs limina religiosa obiret, vnâ comitata moniali, interdiu tantùm monasterium intrabat, noctu ad discipulas in cellam hospitalem reuerti solita. Affirmat hoc Cellarum institutum, quartus decimus articulus, Carolo Magno à Fuldensi congregatione propositus; quo tollit hospitali-

Idq; ordine quotbebdomadibus.

Aegilis Abbatis exemplo & instituto.

L. b. 4 de Institut. renuntiat. c. 19. & c. 21. 22.

Bonorũ Fuldensis monastery dispensatio antiquitus vsurpata.

Cellarum hospitalitas.

S. Lioba Fuldense monasterium frequentare solita.

tatis obliuionem; *cupitque peregrinis omnibus perquàm studiosè humanitatis quoduis officium impertiri: quorum si maior frequentia superuenerit, suadet, collatione vndique factâ ab his qui Cellis præsident, annonam meritò cunctis erogari*. Antiquissimam litterarum memoriâ Cellam reperio apud Rudulphum eam, cui Baugolffus Sturmi successor nomen dedit; & posteà à monasterio & primo habitatore, nomen Wolffmunster inuenit, in Hamelburgensi tractu sita. De hac Rhabani tempore scripsit Rudulphus in translatione quâdam Reliquiarum paulò pòst memorandâ: *Cùm appropinquassemus villæ, quæ vocatur Hamalunburgh, sita super fluuium nomine Sala; quæ fuit quondam fiscus regius; & occurrerunt nobis cum cereis & crucibus fratres nostri, qui habitabant in Cellâ, quæ ob hoc, quòd ab eo quondam est habitata, Baugolffi vocatur.* Vbi iam facilis ostenditur via, quâ Cellarum originem & nomina cognoscamus. Ferunt enim, meo quidem animo, vel conditorum vel primorum incolarum, vel etiam rerum quæ in iis vsurpatæ inuentæque vocabula. quod, ne longiùs abeam, in Cammercellâ, Glassercellâ, Pilger, id est, peregrinorum Cellâ, cuius fundi xenodochio seruierunt, Eichecellâ, manifestè ostendo; siquidem illæ rerum symbola gerunt, vulgo notissima. Mackocella, à Magone, cuius concisio Mag, fortè fert nomen. Magonem enim Rudulphus presbyterũ & monachum eximium celebrat, qui S. Liobæ res gestas litteris mandare cœperat. Similis ad aliarum etymon, facilè suppetat inuestigandi ratio. Sed satis in præsentiâ nobis est, Cellarum aliquam, etsi non optimo penicillo, delineasse imaginem; eásque vindicasse ab vsu priuato, transtulisse ad publicam hominum vtilitatem.

Cella Baugolffi VVolffmunster.

Hamalunburgum villa fisci regij.

Cellarum etyma.

Mago presbyter Fuld.

CAPVT VIII.

Disciplina Monasterij Fuldensis præsertim exterior.

DISCIPLINA, quomodo hîc de eâ loqui ingredimur, neruus quidam est, & custos totius monastici instituti; ordinatâ constans & perfectâ vitæ normâ, nec non exemplis & obseruatione morum, quos homines sancti commendarunt: qui optimam viuendi rationem, legibus certis & regularum consti-

conſtitutione, tradiderunt. Hanc ſapientiſſimi religionis magiſtri agnouêre duplicem; interiorem, quæ animam, compreſſo & exſtincto irarum & cupiditatum ardore, non ſine pulchritudine recti & honeſti, continet in officio: exteriorem, cuius partes ſint, omnium membrorum motibus ad æquabilem ſtatum reuocatis, decorum exhibere in omni functione, ſiue publicâ ſiue priuatâ. Laudauit vtramque impensè B. Cæcilius Cyprianus: ** Diſciplina,* inquit, *cuſtos ſpei, retinaculum fidei, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis.* Fortiùs etiam Hugo de S. Victore; diſciplinam, *malorum deſideriorum* dixit *eſſe carcerem, frænum laſciuiæ, elationis iugum; domare intemperantiam, leuitatem conſtringere, incompoſitos animi motus ſuffocare.* Ab exteriore initium facere, & huius ſpecimen aliquod libet proponere: quâ in re non ipſam modò rectè & honeſtè viuendi inſtitutionem amplectimur, ſed nonnulla quoque nobis in medium procedunt inſtrumenta & præſidia, quibus & diſciplina conſeruari, & naſci, propagarique ſolet; ſiue illa doctrinarum ſtudiis, ſiue exemplis, ſeu meditatione rerum diuinarum, ſeu denique operum & morum inſpectione tractationeque nitantur.

[*Diſciplina natura partitioq́.* — Hugo de S. Victor. Inſtit. monaſtic. ad Nouitios, c. 10. — D. Thom. in opuſc. — Bonauent. ſpec. diſcipl. c. 7. & ſeq. — Turrecrem. prolog. ad reg. S. Bened. — * Lib. de diſcipl. & habitu Virg.]

Permagni ſemper in monaſteriis legitimè inſtitutis maiores fecerunt eam cuſtodiam, quâ, clauſtris ſponte adhibitis, & veluti obiectis curioſæ naturæ repagulis, homines qui ſe Deo ſemel totos deuouiſſent, & mundi pompis ac illecebris multam ſalutem dixiſſent, à ſæculi contagio & malorum irritamentis coërciti, vitam in Chriſti obſequio degerent ſecuriorem, & ab iis eſſent periculis longè, quibus adeò vitæ conditio humanæ, & multiplex vndique influens peccandi occaſio, ceteros quotidie mortales implicat.

[*Clauſtri cuſtodia, & fuga tumultuoſæ vitæ.*]

Hinc continentes etiam, & Deo gratiſſimas animas, hoc diſciplinæ genere ſic nouimus delectatas, vt ne matrum vel ſororum quidem conſpectum ſuſtinerent, ſuóſque à noxiarum rerum appulſione ſenſus haud minore curâ arcerent, quàm inſidiatores à theſauro violando ſolent diuites auari. Spartanam ciuitatem commendat Valerius Maximus, quòd ſeueriſſimis Lycurgi legibus obtemperans, aliquamdiu ciuium ſuorum oculos à contemplandâ Aſiâ retraxit, ne illecebris eius capti, ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Nihil vtique huius generis inter iſtam Lacedæmoniorum rempubli-

[*Oculorum continentia.* — Lib. 2. cap. 6.]

cam,& hanc religioſorum familiam,intereſt aliud,quàm quòd illa legibus coacta ſeruire humanis,tandem licentiæ fræna ſoluit;& malè coërcita,poſtremò luxui habenas dedit;hæc Deum ſponte ſecuta, nec humanis vllis ſe ſatis tutam legibus rata, ſe murorum quoque ſeptis obuallauit, quo tardiùs ad ea mundi blandimenta recideret,quæ ſemel in Chriſti gratiam ſpreuiſſet. Quare, vt aureas blandiſſimæ dominæ voluptatis compedes vmquam ne ſentiret,volũtarium hunc carcerem arripuit, velut arcem & præſidium aduerſus virtutis & religionis hoſtes.

Monaſteriũ voluntarius quidam carcer.

S. Bernard. Serm. de S. Andreâ. Idẽ S. Athanaſ. in vitâ B. Antonij.

Meritò itaque præſtantiſſimus huius diſciplinæ magiſter *flagnis comparare ſolet monaſteria, vbi quodammodò incarcerati piſces euagandi non haberent libertatem*. Sic ſapientia diuina tabernaculi ſui theſaurum pellibus,&alio multiplici tegmine,à ſole & imbribus, aliiſque iniuriis aëris defendit: ſic ſponſam ſuam velut fontem obſignari & ſicut hortum concludi voluit:

Cantic. 4.

ſic denique parens artium & inuentionis ipſa natura, pomorum alia carinis putaminum incluſit,alia echinato calice,vel ſpinarum aculeis armauit, præſtantiora nempe fructuum & ipſam corticis medullam remouens à conſpectu, & latebræ cuiuſdam receſſu protegens, vario vſa pro muris & tectis operimento. Documento probabili,vbi humanę fragilitati in prauum vſque procliui aliter conſuli non poteſt,ibi nullum cuſtodię genus abundè duci.

Lib. 11. c. 17.

Mulierum congreſſus & aditus vitati priſcis monachis.

Scitum illud Caſſiani, hauſtum ex ſeniorum diſciplinâ,*omnimodis monachum fugere debere mulieres, & epiſcopos.* Sanè de Fiacrio notæ ſanctitatis eremitâ apud Meldenſes, memoriæ proditum eſt; feminis monaſterij ſepta, quod Virgini matri iſtic extruxerat, vſque adeò voluiſſe interdicta, vt precibus à Deo conſecutus ſit, vti quæcumque pedem proteruè intuliſſet, hanc protinus vltio diuina repelleret.

Laur. Surius in eius vitâ, 30. Auguſti.

Fulda quomodo hoc cautionis genus viguerit, vbi mulieres etiam à templo excluſa.

Hoc igitur cuſtodiæ monaſticæ inſtitutum,tum vbique laudabile, tum Fuldenſis monaſterij exordiis tantâ fuit in obſeruantiâ; vt feminam recipere, non dicam aliquatenus intra ſepta, ſed intra publicæ baſilicæ penetralia,multis ſæculis nefas extiterit atque religio. Cuius rei teſtem familiarem habemus Rudulphũ in memoriâ S. Liobæ,quam Fuldenſium monaſterium ſic ingreſſam fatetur, vt nec priùs, nec poſteà vlli vmquam feminarum id concedi potuerit: *quia loco illi*, inquit, *ex eo quo monachis habitari cæptus eſt, femi-*

femineus negabatur ingressus. Tantùm autem huic Liobæ soli concessus erat; quia S. Bonifacius martyr senioribus eam commendarat, corpusque eius ibi sepeliendum decreuerat. Moris originem antiquæ litteræ, ipsi adscribunt S. Bonifacio: nam caput priuilegij à Zachariâ Pontifice Bonifacio concessi quoddam extitit, quo ęternùm vetitus feminarum ingressus. Quod caput, inde maiores tam sanctè coluere, vt priuilegiis à Martino Papâ, sæculo nono, Abbati Hadamaro; & à Siluestro, Erkenbaldo sæculi decimi ætate; & à Ioanne, Richardo subinde; aliisque ab aliis Pontificibus posteà concessis, & nominatim insertum sit, & religiosè à posteris obseruatum. Hinc adeò in antiquis Abbatum actis legimus, anno recuperatæ salutis M C X X X I I. cùm Lotharius rex solemnem Pentecosten Fuldæ, vnà cum reginâ coniuge exigeret, rem diuinam, non in primario, sed in noui montis vicino monasterio procurasse, eò quòd reginæ in istud aditus esset interclusus. Atque huius generis etiam id monitum est, quod Chronico veteri adspersum eruimus:

Cap. 22. vitę, apud Suriū.

Origo eius moris, & priuilegiis corroborati.

Diplom. MS. in archiuo Fulden.

MS. gesta Abbatum.

Lotharij principis regina templo Fuldēsi exclusa.

Anno M C L X V. *Fridericus Imperator de Saxoniâ, in quâ ieiunauerat, in Vigiliâ Palmarum Fuldam peruenit; & quia regina in comitatu eius erat, vrbem ei intrare non licuit. Montem igitur Episcopi adiens, ibi sequentem diem Palmarum honorificè celebrauit.*

Mons B. Virginis.

Eadem religio in memoriâ Albratæ Comitissæ pulchrè expressa, quam olim monasterij Banze in Franconiâ apud Mœnum celebrabimus altricem & auctorem. Ipsa namque cùm ad S. Bonifacij limina venit, dites illi fundos oblatura, hoc admodum habitu Fuldam introducitur: *Nobilis Comitissa, diues terrenarum facultatum, Alberat nuncupata, voluit particeps fieri orationum fidelium fratrum in Fuldensi monasterio Deo omnipotenti die noctuque deuotissimè famulantium. Cumque se applicaret ad ostia exterioris tabernaculi, id est ad portas ciuitatis, vbi nulla prorsus femina audet progredi, vt vel sic velut Maria introspiciens satiaretur desiderio, quo intrinsecus attrahebatur in Domino, euocat per internuntios Prælatos congregationis, & exponens eis desiderium animi sui, rogat obnixiùs, particeps eorum orationum fieri.* Etsi verò Bonifacium IX. auctorem inuenio, qui rogatu Ioannis Merlauij Abbatis, huius seueritatis rigorem primus emollierit, & feminis aditum ad templi atria patefecerit, neglectæ tamen, seu loco detra-

MS. lib. oblation. c. 4.

Albrata Comitissa Banzensis.

Porta hæc monasterij extima.

Matronalis verecundiæ specimen illustre.

detractæ religionis, quam grauem & manifestam Deus vltionem popoſcerit, maiores ipſi litteris prodidere. Nam geminâ olim clade flammarum baſilicâ vaſtatâ, tandem omnium luctuoſiſſima ſuperueniens, omnis elegantiæ & ornatus priſci veſtigia prorſus obliterauit. Anno quippe MCCCXCVIII. vt vulgata monumenta tradunt, templum, fulmine de cælo tactum, conflagrauit, ſeptimâ die menſis Iunij, id eſt, triduò poſtquam S. Bonifacij feſtâ luce, feminis in baſilicam & monaſterij ſepta, tunc primùm ingreſſus datus. Nam inſtaurato templi & Pœnitentiæ cultu, ritúque condonationum inducto nouo, ne ſexus imbecillior eo fructu careret, certos Bonifacius Papa dies mulieribus indulſerat, nempe Patrocinio & Dedicationi ſacros, queis limina vetita contingere fas eſſet, diplomate eâ de re dato, Pontificatus anno VIII. Chriſti Domini MCCCXCVI. Extat veteris libri operimento, notata de hoc incendio hęc ſcriptura: *Anno MCCCXCVIII. feriâ ſextâ poſt diem S. Bonifacij, quæ erat tunc temporis quarta dies poſt Octauam Pentecoſtes, combuſtum eſt monaſterium Fuldenſe.* Verùm haud paulo teſtatior memoria, quam vetus exhibebat hac de re liber membraneus Hunfeldenſis eccleſiæ:

Animaduerſio diuina ob clauſuram neglectam, & feminis datum ingreſſum.

MS. annotat.

Bruſchius in Ioanne Abbate. Chron. German.

Templi conflagratio

ANNO DOMINI MCCCLXXXXVIII. FERIA IV. IN VIGILIA CORPORIS CHRISTI FVIT FESTVM S. BONIFACII. ET PRIMA SEXTA FERIA SEQVENTE VENIT IGNIS DE COELO, ET CONSVMSIT SOLENNE MONASTERIVM FVLDENSE.

Supernè procurata.

Porrò huius incendij pœnam à Numine exactam, ac propoſito quodam diuino inflictam, non temerè illatam, agnouit Innocentius Pontifex, maiorum relatu; quando peculiari ſcripto miſeratus, collapſas prædiuitis olim monaſterij fortunas, leuat illud exactionum ac tributorum onere, quod eccleſia Wirceburgenſis intentabat; cladémque præſentem memorans, ait, *recèns Fuldenſem eccleſiam maiorem, nutu diuino conflagraſſe, & totaliter conſumptam.* Quod eius diploma datum anno Pontificatus primo, qui fertur Chriſti MCCCCIIII. Conſimilis pœnæ memoriam Venerabilis Beda in Anglorum gentis hiſtoriâ celebrauit, quando Colodanæ vrbis monaſterium prouiſo deſtinatóque incendio periiſſe narrat; quia in eo prorſus *omnes & viri*

A ſimili.

Hiſt. Angl. lib 4. c. 25. Colodani Parthenonis incendium.

& feminæ ad virtutum studia, aut somno torpebant inerti, aut ad mundi inanias nimis quàm vigilabant. Nam & domunculas, narrat, *quæ ad orandum & legendum factæ, versas tunc in comessationum, potationum, fabulationum, & ceterarum illecebrarum cubilia. Virgines Deo dicatas, contemptâ reuerentiâ suæ professionis, quotiescumque vacasset, texendis subtilioribus indumentis, operam lusisse; hisque aut seipsas sponsarum instar in periculum sui status adornasse, aut externorum sibi virorum amicitiam comparasse. Vnde meritò huic loco & habitatoribus grauem venisse de cælo vindictam, flammis sæuientibus præparatam.* Rude tute ais, ac immodicè seuerum istuc sæculum; quod adeò rem leuis noxæ, siue olim in Britanniâ, siue hîc in Buchoniâ, diuinis ignibus iactet expiatam: at miror equidem, quibus existimes igitur, siue viuos pœnis constringendos, siue mortuos suppliciis mactandos apud inferos, qui flagitiis longè grauioribus, ac insignitâ hæresis prauitate sub omnium oculis huiusmodi loca fœdè polluere, atque hodie etiam contaminare pergunt. Præclarè interim, fauente quoque Deo, monasteriis eos affuisse constat Antistites, qui custodiam hanc, ceu religionis præsidium & stabilimentum vitæ purioris, nusquam intermittunt: vtpote in cuius sinu atque tutelâ cœnobitarum securus tranquillusque status acquiescit. Sed tempus est, quia nec in omni genere multa exempla suppetunt, & maioribus vrgeri, quàm consectari leuiora malim, iam illam quoque in diuinis officiis maiorum assiduitatem, attentionem, reuerentiam, quam orationibus, precibus, psalmodiis suis ex D. Benedicti præscripto Fuldenses monachi tribuerunt, sermone perstringere. Nam vt vniuersè sancti Benedicti regulam sequentibus, ita huic surgenti cœtui, erudita quædam & accurata Deum laudandi, opitulandique multorum saluti, disciplina, ratioque orandi & psallendi certa relicta & præscripta fuit. Hanc optimi regulæ interpretes tribus maximè ornamentis afficiunt; putà reuerentiâ status, attentionis vigilantiâ, & conformatione vocis ac cantus. Atque hæc omnia excellenti quodam hîc studio viguisse, tum aliis ex rebus manifestum est, tum ex illo capite supplicis libelli primo, quo cœnobitæ, ereptam sibi patrum alacritatem & frequentiam in officiis diuinis nuper vsurpatam, reddi à Magno Carolo atque reuocari

Castimoniæ domicilia nō impunè contaminantur.

Clausura monastica salutaris. Trident. sess. 24. cap. 5.

Disciplina diuinis officiis & psalmodia adhibita.

S Benedict. reg. cap. 19.

Tripartitis ornamentis. Bonauent. specul. ad Nouit. Turrecrem. in cap. 19. reg. S. Benedict. tract. 76.

Hugo Victorinus lib. 2. de claustro animæ, cap. 22.

interuallo, postulant. Vbi sanè reperias, non mente vagos, vel oculis attonitos, vel vultu stupefactos, vel habitu denique gestuque dissolutos, sed insigni erga genus omne beneficorum volutate, & diuini Numinis maiestatem reuerentiâ modò genua humiles submittere; modò toto se corpore pronos abiicere; modò in longissimi canonis gratuita pensa, Psalmos & orationes pari grauitate iuxtà ac maturitate, supplices extendere: vt secundùm illud Cypriani, *sub Dei conspectu stantes, placere voluisse intelligeres diuinis oculis & habitu corporis & modo vocis.* Ex hac iucundè seuerâ morum pulchritudine, scilicet totus à puero fictus factusque nimirum is erat, qui in hæc vota gestiens exclamauit: *Vtinam vsque in finem vitæ meæ placita tibi, Christe, & honorifica semper decantem, minimus omnium seruorum tuorum & peccator Rhabanus, hymnis, laudibus, corde, ore, manu, & totius gestu corporis.* Et quia in paragrapho XIX. *crucis* **gloriationem* cum Litaniis ab se vsurpatam prisci cœnobitæ vindicant; non præteriero moris id, quod in seram quoque ætatem sæculi à Christo nato XIII. durauit; cùm præstites cœnobij nobilissimi homines, totaque congregatio, die S. Marci, perfrigidâ licet tempestate, magnâ religione, cum crucibus & verendis reliquiis in Heimbachium vsque pagum, nudis pedibus supplicatum contendit. Testis est Marquardus Abbas, qui ad annum Christi M C L. peruenit, cœnobitas hîc, in magno abstinentiæ rigore, annum totum caruisse cœnâ. Id quod moribus antiquis consentaneum, acta docent collationis sanctorum Abbatum, qui sub Luduico pio Aquisgrani conuenerunt, *vbi bis fieri refectionem indulgent diebus tantùm anni solemnioribus.* Insunt item & alia in hoc, quem sæpè iam nomino, supplice libello, quæ commendationem pariant, & laudem haud minorem Fuldensi monasterio. Enitescit enim excellens & eximia quædam pietas animi, prudentia, moderatioque singularis, & admirabilitas solidarum virtutum; siue studium spectes & feruorem, quo incolæ res diuinas complexi sunt; siue vigilantiam, quâ in summâ monasticæ vitæ integritate, cupidos homines, fraudulentos ac nefarios, tamquam pestes à sui corporis societate repulerunt. Iam inibi quanta despicientia rerum humanarum, quâ spernere se cuncta & negligere satis profitentur, ad quæ expetenda morta-

[Margin notes:]
S. Cyprian. lib. de Dominicâ Orat.
Cassian. Collat. 9. Abbat. Isaac c. 26.
Laudatum id disciplinæ decorũ à Rhabano.
Rhaban in fine lib. 2. de Cruce. C. 19. libelli supplicis.
* *glorificationem*
Supplicatio S. Marci nudis pedibus à Congregatione perasta solita.
Abstinentia à cœnâ.
Vide lib. 2. Antiq.
Veteris Congregationis aetes & religio. Cap. 2. 3. 19.
Cap. 7. 9 17.
Cap. 8.

mortales auidè rapiuntur? quæ gratificandi liberalis voluntas? quâ, tum peregrinos hoſpitalitate maximâ proſecuti ſunt; tum domi maiores natu, calamitoſos ac debiles eâ ſibi charitate fouendos duxêre, quam ſuper omnia non cœnobitica magis, quàm ipſa lex commendat Chriſtiana. Verùm non hæc inſtituta mihi narratio de toto genere; præſertim cùm eorum quæ in hac familiâ inueteraſſe conſtat, à bonis temporibus tam multa exciderunt. eâ rę ad hanc potiùs diſciplinæ formam aggredimur explicandam, quę plurimùm ingenij magis ac naturæ, quàm diuinæ gratiæ viribus comparatur.

Cap. 13. 14.

Cap. 5.

CAPVT IX.

Schola Fuldenſis, & doctrinæ ſtudia.

QVOD in illuſtribus reip. Chriſtianæ gymnaſiis, naſcente in Oriente fide, Pantenus, Clemens, Origenes, Alexandriæ; quodque Antiochię, Apollinarius Laodicenus; Conſtantinopoli, Gregorius Nazianzenus Theologus & vir eloquentiſſimus; quódque alibi diuinæ ſapientiæ proceres habuerunt operæ, vt florentiſſimis doctrinarum ſtudiis & propriis quibuſdam ingenij luminibus, religionem Chriſtianam apud rudes illuſtrarent, apud diſcipulos in honorem adducerent, ac denique aduerſus gentilium & hæreticorum proteruiam defenderent; id acceptum à maioribus poſteri munus, cùm aliàs ſemper excoluêre, tum apparatione quoque ſingulari ingeniorum reſuſcitarunt, poſtquam S. Benedicti proles in Germaniâ, Galliáque, Francorum imperio, lætiore germine multiplicari, & ad nouarum gentium populorúmque conuerſionem efflorẹſcere cœpit. Etenim vetus id, & laudatum erat in Eccleſiâ, vt apud Clericos probatæ vitæ, atque etiam in monaſteriis ludi patefierent, in quibus ad optimos iuuentutis erudiendæ magiſtros pubes Chriſtiana ventitaret, & à teneris, præcepta morum, doctrinæ ſacræ ac pietatis imbiberet. Præluxerat hic in Italiâ Viuarienſibus monachis clariſſimus ſenator Magnus Aurelius Caſſiodorus; cuius & veſtigia preſſit S. Benedictus: qui pueritiæ informandæ, locum in ſuo monaſterio dedit, cùm Placi-

Euſeb. eccleſ. hiſtor. lib. 5. c. 10. & 11. lib. 6. c. 12.
Hieron. epiſtol. 64. ad Pamach. 2. ad Nepotian.
Caſſiodor. præfat. Inſtit diuin. lect.
Scholarum Chriſtianarum origo & progreſſus.
S. Baſil. reg. fuſ. diſp. interrog. 5.
VI. Synodi.
Conc. Lateran. ſub Alexandro.
Caſſiodor. cit.
Monaſticarum.
In Viuarienſi.
Gregor. in vit. S. Bened. & regul. cap. 59. & 70.

In Cassinēsi. Placidum & Maurum, eximiâ indole adolescentulos, ad omnem virtutis pulchritudinem, & ingenij cultum educauit. *In S. Galli.* c. 11. vitæ S. Magni. Secutus est S. Benedicti exemplum S. Gallus, qui Othmarum gentis Alemannicæ puerum eximium Grammaticis artibus imbutum, sui monasterij surgentis scholæ magistrum præfecit. Meditatus idem, ne longiùs abeam, in hac Germaniæ prouinciâ S. Bonifacius, qui discipulorum partim ex Britanniâ ad *In Fritzlariensi.* S. Willibald. vitâ S. Bonif. c. 8. antiq. lect. Tom. 4. Wicbertum, partim ex Norico, vicinaque Orientali Franciâ, ad Sturmin Abbatem adduxit; eumque adolescentum florem, & ingeniorum præstantiam, in nouam Buchoniæ suæ coloniam infudit: vt cùm propter & doctorum auctoritatem, & loci *In Fuldensi.* exemplum, ex Italiâ, Britanniâ, Galliâ, variisque Germaniæ locis, vndique discendi caussâ ingeniosi adolescentes huc confluerent, breuî gymnasium hîc diuinarum iuxtà atque humanarum litterarum existeret longè celeberrimum; ex quo non perfectæ modò virtutis cœnobitæ, sed gentium nationumque magistri, & quidam Apostoli, ecclesiarumque Præsules, tamquam ex omnium honestarum artium & disciplinarum officinâ, prodirent. Hoc itaque tam diuino bono, & præbito de cælis *Carolus Magnus & Luduicus Pius quâ munificentiâ in litteratos.* subsidio delectati Franciæ reges, Carolus Magnus & Pius filius Luduicus (qui quantique viri?) amplissimis præmiis, varioque liberalitatis instrumento propositis, excitare monachorum studia, & iuuentutem ipsam, ac iuuentutis educatores & magistros cumulare instituerunt. Docuit nos id præter alios, Lupus Ferrariensis Fuldæ hîc olim Rhabani discipulus; qui ad Lib. Epist. 1. Eginarthum admirabili tunc doctrinâ virum scribens: *Vestrâ,* inquit, *memoriâ per famosissimum Imperatorem Carolum, cui litteræ eousque deferre debent, vt æternitati parent memoriam, studia cœpta reuocari, aliquantulùm quidem extulère caput; satisque constitit, veritate subnixum, præclarum dictum: Honos alit artes; & accenduntur* Adi Annal. Francor. Papirij. *omnes ad studia, gloriâ.* Magnificentiùs id à nepote perfectum, Herricus apud Altisiodorum Galliæ monachus, ad Carolum *Carolus item Caluus doctrinarum patronus.* Caluum ita perscribit: *Multa sunt tuæ monumenta clementiæ, multa symbola pietatis. Illud vel maximè tibi æternam parat memoriam, quòd famatissimi aui tui Caroli studium erga immortales disciplinas, non modò ex æquo repræsentas, verùm etiam incomparabili feruore transcendis; dum, quod ille sopitis eduxit cineribus, tu fomento multi-*

plici, tum beneficiorum, tum auctoritatis, vsquequaque prouehis. Ne enim nostra inertia, quæ suâ sponte amplectitur cæcitatem, velum sibi excusationis de ignorantiâ obduceret, néve de præceptorum inopiâ meritò causaretur; id tibi singulare studium effecisti, vt sicubi terrarum magistri florerent artium, quarum principalem operam philosophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem vndecumque tua Celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapsilitas prouocaret. *Doctores sapientia vndique euocati præmiis.*

Sensit honoris huius, an litterariæ messis, Fulda, ac percepit vberrimum fructum, Luduici Orientalium Francorum principis regiâ munificentiâ. Quippe Scholasticorum ordini, penes quem procuratio iuuentutis erudiendæ, eorúmque successoribus, colonos omnes & mancipi homines attribuit, qui Imperatorum seu Francorum regum obsequiis & ministeriis olim addicti nexíque per sola monasterij sparsim degebant, certâ lege, quâ vetus seruitium, ius ac censum, quem fisco regali inferebant, cuncta Scholasticorum vsui cedere, & iure, quo optimo cuiusuis alterius manu missos, vni monasterio seruire iussit. Quod donationis genus Otto magnus Imperator cum filiis, ceteríque Principes, nouo stabilimento posteris ratum sanctúmque fecerunt. Scholæ verò iam inde à Sturmionis ætate non obscuræ, clarum in Aegilis Abbatis vitâ exemplum habemus: nam Candidus *scholam*, ait, *fuisse congregationi, vbi lex diuina iugi exercitatione disceretur & doceretur*; protectum etiam exsequens versibus: *Luduici regis in Scholasticorum ordinem Fulda liberalitas.* *Incolæ Buchoniæ Monasterio dati deditiíque.* *Schola Fuldensis perantiqua memoria.*

Talibus auspiciis primæuis miles ab annis
Christi, cœpit abhinc qui sit pòst exitus, atque
Qui sibi iam fuerit iuuenili in pectore sensus;
Quæque viro succrescenti constantia mentis,
Si mihi vita comes fuerit, si spiritus intus
Corpus alet, lingua & solitum si munus habebit,
Progressusque dabit summa ac veneranda secundos
Maiestas, eadem paucis superare Camœnis
Incipiam: Abbatis posthac subductus in æde
Hinc puer imberbis scholæ defertur ad arcem,
Lex æterna Dei semper, quâ munere Christi
Discitur à pueris, seniorúmque ore docetur.

Quàm verò huius diligens curæ S. Bonifacius extiterit ipse, docent

Epist. S. Bonif. 17 & 92.

cent ipsius epistolæ, quibus alicubi, Wigbertum presbyterum, & Megingaudum diaconum, *magistros infantium esse iubet*: alibi Pipino regi, qui *infantes discerent litteras*, cupiit esse commendatos. Et quia illoti profanique homines dum puerorum ingenuam institutionem, conuenienter S. Basilij regulis, monasteriis receptam agnoscunt, cœnobia illicò omnia nil nisi scholas ludósve fuisse somniãt, procedat nobis hîc in numerum, quod de S. Galli inclito item monasterio eruditè loci cœnobita notauit; nempe intra illius monasterij ambitum scholam extitisse duplicem pro conditione & varietate auditorum; exteriorem, in quâ magnatum nobiliumque liberi fingebantur; intrariam, quâ, seueritate maiore cùm iuuentus ipsa Deo dicata, tum monachi quà incolæ, quà aduenæ, ad cultum sapientiæ efflorescebant. quam certè Scholarum partitionem Eckerhardo S. Galli Decano debemus; qui Tomo v. Canisiano Antiq. Lection. in B. Notkeri vitâ*, *Scholas claustri, vbi monachici habitus pueri instituebantur*, distinxit ab *Exterioribus*, quas Canonicas ipse nuncupat. quò non inuitè traxerim illud Rhabani nostri:

Schola puerorum in monasteriis. Reg. fus. interrog. 15. & breuior. 292. Adi Chron. Citizense Paul. Langij fol. 768. de veter. monast. Scholarum instituto ord. S. Bened. & Laurent. Sur. ad ann 1552. Jodoc. Merzler præfat ad hortulum Walafridi Tom 6. Antiq lect. *Schola duplex.* *Cap VIII.

Lib 5. de Cruce, fig. 5.

——*Plebsque priora*
Fundamenta trahit, in fundo domatis omnis.

Neque verò vlla prohibet ratio, cur non in celeberrimo Buchoniæ gymnasio, ordinum hoc classiumque discrimen perinde statuamus. Animaduertit tamen Petrus Damiani, *puerorum scholam*, quos ait, *rigorem sanctitatis sæpè eneruasse*, *suo tempore in monte Cassino desiisse*: & in collatione SS. Abbatum Aquis sub Luduico Pio habitâ, vetitum obseruo, *vt schola in monasterio aperiatur alia*, *nisi eorum qui oblati sunt*; id est, Deo in religione consecrati.

Epist. 4. de omnipotent. Dei cap. 16.

CAPVT X.

Scholæ Fuldensis celebritas, frequentia, origo, progressus.

Lupus Ferrariæ monach. epistol. 1. 29. 40.

VOCAT iam hinc me, ab vltimâ vsque Galliâ factus ad hoc Fuldense Lyceum hominum concursus: in quo eluxescit Lupi Ferrariensis monachi admiranda discendi sitis, quam

quam à pueris expertus, cùm ob præceptorum inopiam & collapsa maiorum studia vix expleret, denique Aldricum Senonum Archiepiscopum mæcenatem & patronum nactus est; qui eum Fuldam, tamquam ad humanarum diuinarumque litterarum nobile emporium, sumptu suo misit. Hic autem Aldricus, vt Fuldæ olim monasticæ & ceterarum artium rudimenta deposuerit, suspicari licet, Luduici Cæsaris auctoritate quondam Ferrariæ Abbas impositus. De se verò Lupus: *Dum alij dignam sapientiæ palmam non capiunt, alij famam verentur indignam, à tam præclaro opere destiterunt. Mihi satis apparet, propter seipsam appetenda sapientia: cui indagandæ à sancto metropolitano Episcopo Aldrico delegatus, doctorem Grammaticæ sortitus sum, præceptaque ab eo artis accepi.* Post hæc, vbi ex Galliâ in Transrhenanam regionem se profectum memorat, viciniorem iam factum Einardo, addit: *Nam à præfato Episcopo ad venerabilem Rhabanum directus sum, vti ab eo ingressum caperem diuinarum Scripturarum.* Florebant igitur iam tum scholæ præstantium discipulorum numero, cùm Eginhartus posito Cancellarij fastigio, quod Carolo Imperatore tenuerat, Seligenstadij ad Mœnum clarissimi monasterij & à Buchoniâ non longè dissiti, Abbatem egit. Illustrauit egregiè locum hunc vir, vt quis alius, in huius ordinis antiquitate discutiendâ perdiligens & assiduus, Ioannes Trithemius; qui ob documentorum vbertimam copiam, non consuetudinem ipsam modò, & scientiarum genera vniuersè, sed Fuldensis scholæ tum nobilitatem & magnitudinem, tum fructum & famam in Hirsaugiensi Chronico scitè nobis expinxit: *Erat*, inquit, *his temporibus in monasteriis nostri ordinis consuetudo celeberrima, vt scholæ monachorum in singulis pænè cœnobiis haberentur; quibus non sæculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatissimi; qui non solùm in diuinis Scripturis docti essent, verùm etiam in Mathematicâ, Astronomiâ, Arithmeticâ, Geometriâ, Musicâ, Rhetoricâ, Poësi, & in ceteris omnibus sæcularis litteraturæ scientiis eruditissimi haberentur.* Deinde: *Quoties autem idoneum ad hanc subeundam prouinciam in suo cœnobio monachum Abbas minimè habuisset, de aliquo alio monasterio petere aptum, non erat inuerecundum. Ita Strabus monachus * Fuldensis in Hersfeldiâ, Albinus monachus Anglicus in * Fuldâ, aliíque*

Aldricus Senon. Archiepisc.

Rhabanus Doctor.

Trithem. Hirsaug. Chron. ad an. 838 847.

Eginhartus, vel Einardus ex Cancellario Abbas Seligenstadij.

Sigebert. illustr. Scriptor. cap. 84.

Ad annum 890.

Scholarum monasticarum instituta.

* *Domicilio, non origine.*

* *Et plurimùm apud Turones in Galliâ.*

aliíque

Strabus S. Galli, Albinus seu Alcuinus, ex Angliâ Fuldæ doctores.

alijque complures in aliis monasteriis, docendi ad tempus tenuerunt officium, vbi conuersionis primordia non sumpserunt. Inde originem scholarum huius generis aperiens: *Hæc autem consuetudo*, ait, *sanctissima primùm in Angliâ cœpit, vbi venerabilis ille monachus & presbyter Beda, monachorum institutor factus, multos post se doctissimos reliquit discipulos.* In Angliâ verò, vt à capite rem arcessas, hunc studiorum ardorem Theodorus Archiepiscopus ex monacho Romano Tharsis in Ciliciâ oriundo intulerat, postquam is à Vitaliano Pontifice, Egberti Cantuariorum regis inuitatu in insulam missus, vt rem Christianam constitueret. de quo magnificè Beda: *Numquam prorsus, ex quo Britanniam is, Adriano comite petiit, Anglis feliciora fuisse tempora; dum & fortissimos Christianosque habentes reges, barbaris essent omnibus terrori, & omnium vota ad nuper audita cælestis regni gaudia penderent. Et quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros, qui docerent. Hos quippe litteris sacris simul & sæcularibus abundè fuisse instructos, & discipulorum congregata caterua, scientiæ salutaris quotidie flumina irrigandis eorum pectoribus emanasse; ita vt etiam metricæ artis, Astronomiæ & Arithmeticæ Ecclesiasticæ disciplinam, inter sacrorum apicum volumina, suis auditoribus hi traderent.* Indicio fuisse, quod ad Bedæ ætatem supererat, de eorum discipulis qui Latinam Græcamque linguam æquè vt propriam, in quâ nati, callerent. In quâ narratione stimulus est, vt eminentissima Romanæ Ecclesiæ ornamenta aduersarij religionis nostræ & inuiti agnoscant, & liberalium disciplinarum contemptores horum vestigia vel serò requirant, ac Fuldensis scholæ fontes, qui ex Britanniæ insulâ haud dubiè promanarunt, domestici auidiùs hauriant. Aperuerat eos vtique S. Bonifacius, cùm inde ex Britanniâ peteret adhuc superstes pro Germanicis, opuscula Bedæ tum primùm inclarescentis, quem etiam* litteris ad *Cudbertum Abbatem, & Ecbertum Archiepiscopum, *sagacissimum* appellat *scripturarum inuestigatorem.* Neque dubitauerim Bedę desiderio apud Fuldenses flagrante, & Anglorum studio, quos S. Bonifacius in Buchoniâ reliquerat, Alcuinum, seu Albinum, huc tandem ex Britanniâ accersitum; qui Caroli Magni posteà magisterio, & nobili quoque auditorio apud Fuldenses relicto, clarus, sepul-

turam

Anglicana gymnasia.
Beda ecclesf. hist. lib. 4 c. 2
Theodorus Archiep. litterarum in Angliâ reparator.
Loc. cit.
Anglia doctrinis & litteris, ac rep. florens.

Fontes Fuldensium scholarũ ex Britanniâ, & Vrbe, Italiâque.
S. Bonifacij propria cura.
* Extãt apud Ill. Cardin. Baron. Tom. 9. Annal. ad ann. 731. & in editis iam 8. & 9.
Venerab. Beda S. Bonifacio gratus.
* al. Huetbertum
Alcuinus, Alchuinus Flaccus, Leuita.
Sigebert. de illust. script. c. 82. & in Chron. ad 790.

turam denique in vicinâ Hersfeldensi ecclesiâ accepit, apud parietem basilicæ Australem, hodieque visendam. Eum Cæsar Baronius ex Oderanno decessisse è vitâ scribit, anno DCCCIV. Epitaphium quod rude, nec ætatis longissimæ, affixum illius sepulcro nuper adhuc extabat in basilicâ Hersfeldensi, satis indicat apud maiores, ceu cælitum numeris adscriptum, in magnâ fuisse veneratione:

In Hersfeldensi ecclesiâ sepultus.

Annal. Tomo IX.

ALBINVS EGO ..... QVEM SACRA TVMBA RECONDIT *SVM
DIGNE EXORATVS TRISTIA QVAEQVE* FERO *AVFERO
QVINQVAGINTA MINVS* OCTINGENTOSQVE PER ANNOS *HICOCTINGENTA
NVNC IACVI* FATVM CAESARE DE CAROLO *FACTVM
HICQ. MANET CELEBRIS VIGBERTVS. QVEM QVOQ. LVLLVS
IVSSERAT, HVC TRAXI, SVBVENIENTE DEO.
QVOS QVI MEQVE SIMVL PRECIBVS AGITAVERIT VLLIS
ILLIVS ERGA DEVM NON SVMVS IMMEMORES
ID LIQVIDO POTERIT SIGNIS MONSTRARIER ALMIS
...... BEO FAMVLIS ANXIETATE MEIS.

In carminum Rhabani monumentis diuersum tamen ab hoc Epitaphium inuenimus, cuius ipsum Alchuinum patrem esse suspicamur:

EPITAPHIVM ALCHVVINI.

Hîc, rogo, pauxillum veniens subsiste viator,
Et mea scrutare pectore dicta tuo:
Vt tua deque meis agnoscas fata figuris,
Vertatur species, vt mea, sicque tua.
Quod nunc es, fueram famosus in orbe viator;
Et quod nunc ego sum, tuque futurus eris.
Delitias mundi casso sectabar amore,
Nunc cinis & puluis vermibus atque cibus.
Quapropter animam potiùs curare memento,
Quàm carnem; quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras? quàm paruo cernis in antro
Me tenet hîc requies? sic tua parua fiet.
Cur Tyrio corpus inhias vestirier ostro,
Quod mox esuriens puluere vermis edet?
Vt flores pereunt, vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota perit.

Tu mihi redde vicem, lector, rogo, carminis huius;
Et dic, Da veniam Christe tuo famulo.
Obsecro, nulla manus violet pia iura sepulcri,
Personet Angelica donec ab arce tuba:
Qui iaces in tumulo, terræ de puluere surge,
Magnus adest iudex millibus innumeris.
Alchuuin nomen erat sophiam mihi semper amanti,
Pro quo funde preces mente, legens titulum.

Atque idem hoc Epicedion V.C. Henricus Canisius Tomo VI. antiq. Lection. ex MS. Codice Sangallensi quampridem publicauit, epigraphen addens, quâ traditur *beatæ memoriæ dominus Alchuinus Abba* obiisse in pace XVI. Kalend. Iunias. Cui quidem inscriptioni Hrabani Martyrologium respondet, vbi ad eamdem diem, DEPOSITIO DOMINI ALCHVINI. Non committam, vt insigne elogium alterius quidem loci, at opportunè tamen in re præsenti delibem, quod Spanheimensis Abbas in exordio monasterij Hirsaugiensis vsurpat. Etenim constat amplissimæ religionis hanc familiam ex Fuldensi cœnobio tamquam coloniam in Nemetum fines sub annum salutis DCCCXXXVIII. deductam; & quindecim hinc viros artibus ac innocentiâ spectatos, ad occupandam Hirsaugiam, *Lintberto duce, missos: *Viguit igitur*, ait ille, *eo tempore, in monasterio Fuldensi, maxima religio monachorum, sub regimine Rhabani Mauri Abbatis; quæ se per totam Europam, famâ præuolante, diffuderat in ora omnium; eratque laus & memoria Fuldensium monachorum apud Imperatores, Reges, & Principes, in magno pretio, non solùm propter sanctitatem vitæ, sed etiam propter incomparabilem scientiam Scripturarum, quâ Fuldëses monachi eo tempore præ ceteris multis dicebantur eruditi. Vnde multi ex eis in diuersis ecclesiis ad apicem Pontificatus fuerunt assumpti.* Id quod iterare locis item aliis Auctorem non piget. Suppetit eiusdem argumenti ex Walafridi Strabi, siue Strabonis, nuper editis poëmatis, illustre documentum. Is namque à pueris non Augiæ modò, sanctique Galli gymnasia disciplinarum gratiâ obiisse contentus, Fuldę sapientiæ diuinarumque rerum splendore captus, discendo, nescias, an docendo clarior euaserit. Anno quintodecimo ætatis versus pro temporum illorum captu graues bonosque pangere, & in Augiâ

Hirsaugiensi prænobili monasterio initium dant Fuldenses.

* Luitberto *Fulda claruit omni genere virtutis & eruditionis.*

VValafridus Strabus quo lumine ingenij Fuldæ amicarit.

Tom. 6 Antiq. lection.

Augiâ diuite, Tattonis magiſtri fermè ingenium obſcurare cœpit. Hinc S. Galli ſuo natali monaſterio redditus, ſcriptitandis libris, ceu flumen quoddam exuberantis ſcientiæ è pectore fecundo deduxit. Quo in ſtudio ſcripſit ad Maurum Hrabanum Abbatem magiſtrum ſuum nonnulla quoque poëmatia, quæ Tomo VI. antiquæ Lectionis iam publicata, iuris priuati non faciam. Sed ſcholæ Fuldenſis progreſſionem, ortum, celebritatem, ſuâ, vti reor, ſatis luce perfudimus; eius iamupereſt exercitationes quoque nonnullas ſtylo percolamus.

Iodocus Metzlerus de vir. illuſtrib. S. Galli.

Rhabano magiſtro.

CAPVT XI.

Exercitationes diſciplinarum Fuldæ frequentatæ.

QVOD de Mytelenæis ſcriptum legitur, cùm præclarè didiciſſent ipſi, quantum ad hominum conſeruandam ſocietatem momentum ac vim litterarum ſtudia & liberales artes haberent; quos populos bello ſuperaſſent, his non aliam irrogaſſe pœnam, niſi vt ne filios ſuos litteris erudirent, id hoſtis humani generis, paulò ante enata hæc in Germaniâ tot hæreſeon ac errorum peſtifera monſtra, in pleriſque cœnobitis tentaſſe videtur, vt ne diuinas litteras ac ſacrarum Scripturarum monumenta attingerent, ſeu, pari curâ ſtudioque quo maiores, perdiſcerent ac tractarent; quo & carnis ſeu Veneris imperio ſubditos, & auocantium voluptatum blanditiis faciliùs illigatos haberet: prorſuſque obiiceret bello, quod iam tum Eccleſiæ per Lutherum ſimileſque religionis hoſtes parabat, inermes. Hinc illæ tot nobilium in Germaniâ monaſteriorum ruinæ, ſubitæque clades monachorum extiterunt. Enimuerò, præſtabilius nihil Deus homini mente dedit; cui, cùm perennis & quietis expers ſua quædam adſit agitatio, ita vt opere vacare neſciat, certè ſi aliquid habebit tamquam pabulum ſtudij, atq. ſalutaris doctrinæ, non accedet ad eam rationis inimica voluptas, nec huius eam illecebræ mollient; ſed prauis omnibus cupiditatibus exuta, agitabit conſilio vitæ futuræ præmia, & aduerſus gehennæ dira ſupplicia ſe ſaluberrimâ cogitatione armabit; cum Deo aſſiduè erit, rebuſque ſoluta mortalibus, in

Dæmon hæreſi per ignorantiam monaſteriis inuectam patrocinatur.

Mentis honeſta occupatio fugat carnis, & alias vitiorum illecebras.

hoc virtutis regno, voluptatem secum vmquam ne patietur quidem consistere. At his contrà præsidiis anima vacua, si insidiantibus cacodæmoni ac mundi carnisque cohortibus nudum prębebit latus; iam verò, quot ignitorum iaculorum ictibus, quot gladiatorum saucia vulneribus, quot denique retiariorum irretita plagis, misera humi iacebit? atque deiecta tandem gradu suo, neque ad eminentia vitæ beatioris fastigia sese eriget, neque à turpi deditione cum hoste paciscendâ temperabit. Singularem profectò ac incredibilem propè magnus Cassiodorus erga diuinas humanasque litteras amorem ac voluntatem declarauit, quando Viuariensi monasterio tot voluminum ornamenta conciliauit, totque reconditæ sapientiæ eo in loco fontes reclusit, quot ab vsque Libyæ & vltimis Græciæ finibus, cuiusque generis scriptorum monumenta ab se conquisita, in prænobili illâ bibliothecâ exposuit, quam velut industriæ monasticæ cotem Viuariensibus esse voluit. Vnde nec immeritò cùm alibi sæpè, tum Institutionis diuinarum lectionum libro primo, ardenter eos ad eloquia complectendum diuina, eaque assiduo labore meditandum, inflammat. Nam vt pręclarè S. Hieronymus; amaueris scientiam Scripturarum, carnis vitia non amabis. Hoc igitur ingressi iter, prisci diuinæ sapientiæ cultores, nullum exercitationis genus duxêre, in præteritis, quo mens vel melior effici, vel opera rectiùs publicè priuatimque collocari posset: nec à diuinis laudibus & religionis officiis subcesiui erat temporis tantillum, quod non vel studiis darent & adparatui ingenuarum artium, vel lectioni auditionique diuinarum Scripturarum. Prorsus erant gemini moribus iis, quos B. Augustinus mirificè extollit, *qui contemptus ac desertis mundi huius illecebris in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agebant, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nullâ superbiâ tumidi, nullâ peruicaciâ turbulenti, nullâ inuidentiâ liuidi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & intentissimam in Deum, gratissimum ipsi munus offerebant, à quo ista posse meruerant.* Quin sedularum instar apum, opere nusquam languido, impigrè in hac suâ Fuldensi palæstrâ ascetæ desudabant. Dictabant alij, vel experimenti causâ scriptitabant varios in vtriusque Testamenti paginam

Cassiodori in otio profligando, & negotio litterario promouendo, generositas. Instit. diuin. lect. c. 16.

Eius monastica bibliotheca.

Veteris Congregationis Fuldẽsis studia & occupationes.

Lib. 1. de morib. Eccles.

Cœnobij vitaque communis, pulchra imago.

In Fuldensi monasterio adumbrata, per varias functiones.

ginam commentarios: alij sibi munus exponendi interpretandique deposcebant. Erant qui ex illis perpetuò virentibus, tum Scripturarum, tum sanctorum Patrum hortis tamquam sententiarum suauissimos flores colligerent. Erant etiam qui collatione locorum librorumque fastidium leuarent legentium; similiora veri eruerent, falsi speciem abolerent. Erant denique qui acumine differendi, subtilitate diffiniendi partiendique, & quoduis ambiguum ratione concludendi, philosophādi scientiam paucis eo tempore concederent. Neque in tanto numero eruditissimorum hominum defuisse existimes, qui pro illius sæculi vsu possent non grauissimè & copiosissimè de quauis re apud auditores suos dicere: nam si Trithemio credimus, sæculo Christi octauo, in Fuldensi monasterio vixère supra ducentos septuaginta monachi, viri religione eximij, &, vt ipse loquitur, *pro magnâ parte in sacris Scripturis doctissimi*. Iam verò, si cui prima sequenti, vel natura, vel ingenium, hæc artium ac diuinarum rerum altiora fastigia negasset, huic in secundis tertiisve consistere, & locum inibi honestum occupare, difficile non erat. Adminicula igitur sufficiebant hi primis; alij spargendis in membraneas paginas apicum & diuersi generis characterum notis; alij nobilibus operimentis inuoluendo vel claudendo codices; alij, minio & rubricâ, vt quodque in sententiis aut capite versuum emineret, signando & enotando, illustrabant. Nonnulli, quod temerè coniectum in schedas, vel dictando elapsum, ad purum exscribendo mundabant, & ordine quæq. suo venustè digerebant. Picturâ quoque & multiplici colorum fuco, & imaginum exprimendarum vsu, haud pauci Fuldæ excellentes monachi floruêre. Nec dubium est ex illorum epigraphis, quod in auro aliisque metallicis operibus olim hîc artis & ingenij multifariàm variis in templis extitit, id fuisse effectum industriâ & labore cœnobitarum. Illustre, quo id manifestum fieret, vetustis in membranis hoc documentum inueniebam: *Dictante & ordinante piæ memoriæ Rhabano Abbate, & postmodum perficiente Hadamaro discretissimo Abbate, assignati certi fundi, & census cameræ Abbatis, non solùm ornandæ ecclesiæ, sed aliis vsibus ad Camerarij & ipsius Abbatis nutum seruituræ, ad faciendum omne opus artificum, tam in fabricaturâ, quàm sculpturâ, & cælaturâ, &*

Litterarias &

Chron. Hirsaug. ad ann. 838.

Mechanicas.

Scribendo.

Operiendo.

Notando.

Excipiendo.

Pingendo.

Fabricando.

aratura fabrili. Et mandatur Camerario, ut curet ne sit vacua fabrica Abbatis; sed semper docti opus faciant, & iuniores discant, unde domus Dei cottidiana seruitia habeat, tam in æramentis & cælaturis, quàm in fusili ac fabrili, omnique arte ornatoria. Taceo iam disciplinarum eos anfractus difficilesque vias, quibus tenerior ætas ad sapientiam instituta, Grammaticæ, Musices, Arithmeticæq. elementa percurrit: de quibus iocans Lupus Ferrariensis ad Altuinum monachum Senonensem scribit: *Iam verò penè stomachor,* inquit, *quoniam non scripsisti, quid Probus noster exerceat; scilicet, utrùm in saltu Germaniæ disciplinas liberales, ut seriò dicere solitus erat, ordine currat: an certè inchoatam Satyram, quod magis existimo, struens, Ciceronem & Virgilium, ceterosque opinione eius probatissimos viros, in electorum collegium admittat, ne frustrà Dominus sanguinem fuderit, & in inferno otium triuerit, si verum sit illud Propheticum: Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* Probum hunc, qui scholæ iuuentutis Fuldæ magistrum tunc fuisse censeat, huius ego coniecturam haud improbauero. Saltum verò Germaniæ hanc nostram signare Buchoniam & Fuldense cœnobium, planè certissimum est. Non faciam hîc, quin ex editis olim Albini Flacci versibus, Antiquariorum & Amanuensium celebre Museium, quod maiores* dixêre *Scriptorium*, iterùm deprædicem. Locus iis Fuldæ fuit secessu & reticentiæ studio singularis; cui Flaccus magister hos inscripsit versiculos:

Elemēta prima pueros etiam docendo.

Epist. 6.

Probus Fuldæ Grammatices magister.

Antiquariorū & Amanuensium Fuldæ peculiaris honos.

B. Notkeri vitæ, cap. 20.

HIC SEDEANT SACRAE SCRIBENTES FAMINA LEGIS,
NEC NON SANCTORVM DICTA SACRATA PATRVM.
HIC INTERSERERE CAVEANT SVA FRIVOLA VERBIS
FRIVOLA, NEC PROPTER ERRET ET IPSA MANVS.
CORRECTOSQVE SIBI QVAERANT STVDIOSE LIBELLOS,
TRAMITE QVO RECTO PENNA VOLANTIS EAT.
EST LABOR EGREGIVS SACROS IAM SCRIBERE LIBROS,
NEC MERCEDE SVA SCRIPTOR ET IPSE CARET.

Quâ de re mirificè Aurelius Cassiodorus, Institutionis diuinarum lectionum libro primo. Spirantis affectus orationem ipsius, quî prætercam? *Felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare; digitis linguas aperire; salutem mortalibus tacitam dare; & contra diaboli surreptiones illicitas calamo atramentoque pugna-*

Idq; instituto sancto veterum Patrum.

Cap 30.

Eorum salutaris opera & par ecclesiastis,

pugnare. Tot enim vulnera satanas accipit, quot Antiquarius Domini verba describit. Vno itaque loco situs, operis sui dissеminatione, per diuersas prouincias vadit. In locis sanctis legitur labor ipsius. Audiunt populi, vnde se à prauá voluntate conuertant; & Domino purá mente deseruiant. Operatur absens de opere suo. Nequeo dicere, vicißitudinem illum de Doctorum bonis non posse percipere, si tamen non cupiditatis ambitu, sed recto studio, talia noscatur efficere. Verba cælestia multiplicat homo; & quadam significatione comprobabili, si fas est dicere, tribus digitis scribitur, quod virtus sanctæ Trinitatis effatur. O spectaculum benè considerantibus gloriosum. Arundine currente, verba cælestia describuntur, vt vnde diabolus caput Domini in paßione fecit percuti, inde eius calliditas possit extingui. Accedit etiam laudibus eorum, quod factum Domini aliquo modo videtur imitari, qui legem suam (licet figuraliter sit dictum) Omnipotentis digiti operatione conscripsit. Sedulum in hoc argumento Trithemium velim euoluas, opusculo de laude scriptorum manualium: quorum certè Caroli Magni ætate, Albino nostro, Didymi instar Chalcenteri opus exercente, nitor & artis elegantia cum labore & industriâ certarunt. Quippe litteratissimi Cæsaris munificentiâ, & Albini doctoris inexhausto lectionis studio, corpus vtriusque Testamenti, seu librariorum vitiò, seu temporum iniuriâ variè deformatum, & ab integritate suâ longè quidem abductum, ad veterum exemplarium fidem tunc reuocatum est. atq. ita Caroli iussu Bibliorum editionis vulgatæ passim ad vnguem facta castigatio. Hinc florentissima quædam scriptorum seges, materiáque nouæ solertiæ extitit, insigni non illius æui modò interpretum vtilitate, sed nostri quoque sæculi, quo labor is maiore cum gloriâ fructúque rediit, emolumento. Celeusma verò istuc in gratiam Amanuensium tunc pangere Albinum haud piguit:

nec mysteriis vacans.

Adi opera Trithemij pia.

Caroli M. Capitul. lib. 6. c. 227.

Editionis vulgata Biblica restitutio.

C. Baron. Tom. 9. ad an. 778.

Nauta rudis, pelagi sæuis ereptus ab vndis,
In portum veniens, pectora læta tenet.
Sic scriptor fessus, calamum sub calce laboris
Deponens, habeat pectora læta satis.
Ille Deo dicat grates pro sospite vitâ,
Próque laboris agat fructibus, & requie.

Regredior hinc in memoriam exercitationis, quam S. Hieronymus

Dictandi exercitatio in S. Hieronymo, &

nymus sibi vsurpatam Constantinopoli, Gregorio Nazianzeno magistro, ad Isaiæ sextum meminit, vbi *de visione Prophetæ, breuem,* ait, *se dictasse subitumque tractatum, vt experimentum caperet ingenioli.*

Fuldẽsi gymnasio.

Idem hoc methodi genus, in erudiendis suis, secutum hîc quoque Rhabanum Candidus eius discipulus ad Modestum presbyterum, monachum & collegam, scribit:

Præfat. ad vitam Aegilis Abbatis.

Notum facio tuæ charitati, quòd anno præterito dominus Abbas Hrabanus, cùm illi querebar, quia non haberem quemquam mecum consociorum, cum quo in diuinâ lectione, disputando & legendo, proficere potuissem; tale mihi responsum referebat: Exerce, inquit, temetipsum legendo, & aliquid vtilitatis adde, dictando. Nam dum ego ibidem, vbi nunc ipse moraris, quondam commanerem, librum prosâ & versibus, in laudem sanctæ Crucis, diuinâ gratiâ inspirante, incepi; atque fidelibus legendum studioso labore consummaui.

Rhabani Acrostichides de Cruce.

Disputandi quoque mutuóque congressu ceu cote exacuendi ingenij laudem, non præteriisse eiusdem ætatis cœnobitas, idem Candidus de se ipse prodit in Aegilis Abbatis memoriâ:

Concertatio disputationis.

Diligebat (Aegil) *fratres suos, sicut sancta regula docet, & maximè illos, quos in Dei seruitio, atque diuinâ lectione studiosos esse cognouit. Inter quos sanè meipsum, quamuis indignum & vltimum seruorum Dei seruum, tamen pio patris affectu in suam familiaritatem & gaudium introire concessit. Disputationem quoque sæpiùs, cum Hrabano magistro, qui erat ei speciali familiaritate connexus, excepit; & frequenter in disputando, ad hoc solummodò cum ipso in eius præsentiâ concitauit, vt secundùm sententiam Salomonis, audiens sapiens, sapientior efficeretur.* Atque fuêre haud dubiè multo plura huius generis, apud priscos sapientiæ amatores, animorum atque ingenij exercitamenta; quibus instructi, eorúmque eximio fructu locupletati, dici non potest, quibus animi ornamentis abundarint, quibus prauarum cupiditatum & otij pestibus caruerint. Quare vtinam numquam dissimiles his posteri, litteras, religionem, disciplinam pensi habere plurimùm voluissent, æuum optimo viuendi genere, opibus ac virtute florentes adhuc agitarent.

CAPVT

CAPVT XII.

Exercitationum harum vsu stetisse religionem.

IACOBVS Vitriacus Cardinalis, Friderici secundi ætate, Honorio tertio sedente, floruit. Is in historiâ suâ Occidentali, quâ religiosarum familiarum aut iacentem disciplinam deplorat, aut stantem laudibus attollit, ordinis Nigri, siue sancti Benedicti statum, maiorem in modum labefactatum, hoc mœstior luget, quòd *nulla religio alia tot sanctis viris abundasset, aut tanto tempore rigorem disciplinæ conseruasset, aut tot genuisset Ecclesiæ pastores; qui excellentis vitæ exemplo, & doctrinæ verbo collustratis tam multis regionibus, tot è diaboli faucibus animas eripuissent. Quamdiu enim*, inquit, *gratam Deo, & amicam religioni dilexere paupertatem, ambitionis & solicitudinis securi, vigiliis, ieiuniis muniti, noctu diuque in hymnis, psalmis & laudibus diuinis perseuerantes, lectionibus & sacrarum Scripturarum meditationibus insistentes, in cilicio & cinere & cordis contriti compunctione, non solùm sua, sed totius mundi peccata lugentes, eorum fama sanctitatis, & odor sanctæ conuersationis, non mediocres & infimos solùm afflauit, verùm & Reges, ipsosque Principes summos allexit adeò, vt diuitiis & amplis patrimoniis relictis, & habitu religionis suscepto, post odorem vnguentorum suaueolentium cursu contenderent; beatos etiam se rati, si eleemosynas suas apud ipsos collocassent. Hinc perfectum breui, vt cùm iis temporibus alia monasteria ac religiosorum instituta nata necdum essent, hi immensùm possessionibus aucti, cunctos opum affluentiá superuaderent. Postquam igitur dulce diuitiarum venenum agris, vineis, decimis, & innumeris aliis vectigalibus eorum superfusum, impinguati, incrassati, dilatati maiorem partem recalcitrare cœperunt; &, ne persequar alia, prædæ ac direptioni ipsi cum monasteriis expositi, hoc maiora adière discrimina, quòd qui suspicere, & integros mores laudare consueuerant illustres viri, paulatim euaderent haud minùs ad auferendum proni, quàm olim fuerant ad largiendum prompti.* Hæc ferè Vitriacensis. Enimuerò, vt multum ille vidit, qui duo ista hæc, nimirum *scientiam Scripturarum*, & insignem *erga Deum optimum charitatem*, tamquam fræna & firmamenta ponit, olim

Cap. 20. S. Benedicti monasteriorum disciplina, ante CCCC. annos.

Ordinis in Ecclesiam merita.

Rigor & vitæ seueritas.

Incrementa facultatum & opum.

Ioan. Trithem. de viris illust. ord. S. Bened. & passim in opusc. spirit.

G conser-

conseruatæ disciplinæ; sic, vtriusque remissio interdum, & velut de manibus excusso gubernaculo, quid sperari aliud potuit, quàm quod idem grauissimâ sæpè querelâ Vitriaco consentiens, exaggerat, & multifariàm deplorat? Sed morbi vtique peracerbi vulnera libero stylo quamquam tractauit ille quidem, remedia tamen opportuna posterior ætas vix inuênit. & conualescere per hæresis & superiorum temporum licentiam ægriùs quoque licuit. nam, quemadmodum aiunt, hastilia detorta, vt corrigantur, aduri, & adactis cuneis, non vt frangantur, sed vt explicentur, elidi: sic & ingenia hominum, manifestum est, vitio praua, non citra ægritudinem animi inflecti; sed morâ tamen spatiisque datis emendari. Quamobrem vsu venit non raró, vt quòd in ægris affectisque membris, sicut illa causticis & ferro cùm nequeunt, cataplasmatis & fotu sæpè consanantur; ita animi vitia alleuatio molestiarum, & à noxiis rebus auocatio, extenuent atque diluant. Ita enim homines ferè naturâ comparati sunt, vt cùm ipsi se religionis salutisque causâ Deo in seruitutem dicarunt, æquabili iure & comitate ad officium allici, & beneuolentiâ duci velint. Cùm enim pars eorum imperent, pars obsequij munus, legesque parendi vltrò complexi sint, eaque ratione duriores etiam partes in omni officio sustineant, ánnon agi secum imperiosiùs arbitrentur, si quod legibus institutisque maiorum deuincti, sponte aliàs subire parati sunt, ad id præstandum herili more iam se cogi impellíq. sentiant? Sed euenire tamen sapientissimi monuit legislatoris oratio, cùm tempora miscere temporibus, terroribus addere blandimenta, salutiferum sit; cùm ostẽdere nunc seuerum magistri, nunc pium patris affectum expediat. Auorum certè memoriâ, quid natalibus illustri Abbati in hoc genere vsu venerit, repetere nihil attinet. Is congregationi leges iam pridem desuetas & mores antiquos commendare cupiens, eam in rem maiores natu, & dignitate spectatos in monasterium montis S. Petri conuocârat; & quid voluntatis & animi haberet benignè quidem exponebat, verùm, quàm difficilem consilij sui repererit exitum, vitam quoque suam, vt ęgrè tutatus sit, non domesticis tantùm litteris, sed Hennebergensium comitum publicis monumentis, ab hæretico item Scriptore proditum est.

Morbus, eiusq; qualitas.

Remedij varietas.

C. 2. reg. S Benedicti.

Ioan. Henneberg.

Chron. Henneberg. lib. 5.

Verùm

Verùm de exercitationum vsu, quæ disciplinæ faciunt tuendæ exornandæque, sermo nobis erat. In his diuinarum litterarum assidua tractatio, quàm vsitata maioribus, tam legislatori eam fuisse cordi, luculenta sanè in regulâ suâ posteris documenta reliquit. Nam ad lectioni vacandum diuinæ *sancit, in caput Quadragesimæ singulos de bibliothecâ promi codices, eosdem per ordinem ex integro legi:* denique ephoros constitui, qui notent inspiciántque desidiosos, & aliis, quàm huic sacræ lectioni, intentos. *Quæ enim pagina,* ait idem sanctus Pater, *aut quis sermo diuinæ auctoritatis veteris ac noui Testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum Catholicorum Patrum, hoc non resonat, vt recto cursu veniamus ad creatorem nostrum?* Quibus haud aliena differit, morum grauitate iuxtà ac religione amplissimus Senator Cassiodorus; qui *cœnobitas tamquam religiosos quosdam ciues* alloquens, *vrbem eis datam quamdam propriam gratulatur, in quâ concorditer & religiosè viuentes, cælestis iam patriæ gustum præcipiant animis. In hac vrbe nullum relinqui desidiæ locum; sed esse præstò sanctarum Scripturarum dogmatica instrumenta, suis cum interpretibus; qui veri sint floriferi campi, cælestis paradisi poma suauia; vnde & fideles animæ salubriter imbuantur, & earum linguæ, non caduco, sed fructifero nimis instruantur eloquio. Atque hinc, quo mortiferas mundi delectationes, noxiaque blandimenta faciliùs vincant ceu transitores huius sæculi, ad illud semper festinent remedium salutare, vt legem Domini diebus noctibusque meditentur. Neque enim tunc hostem proteruum apud eos inuenturum locum, cùm totum Christus occupauerit animum.* Sed prolixiora sunt reliqua; vtque hîc omnia recenseam, non patitur instituta scribendi ratio. Illud inter omnes longè verissimum conuenit; mutuo nexu hæc duo religionis bona sic esse colligata, vt, vbi acre studium diuinarum litterarum, animi puritate & ardore pietatis accensum viget, istic ad penetralia sapientiæ, & adyta Sanctorum, non difficile sit peruenire. Quî enim fieri possit, vt cuius assidua mens consuetudine pœnitissimè fruatur, in huius non medullitus abeat amorem & affectum? Spiritus igitur ille inhabitator & rector cælestis huius gymnasij, vbi per Prophetarum & Apostolorum alloquia, animam exercere & erudire volentem inceperit, sensim ab omni terrestrium rerum fæce purgatam abripit;

Diuinarum litterarũ assidua tractatio à S. Benedicto commendata. Cap 48.

Cap. 73.

Diuin instit. lib. c. 32.

Quarũ meditatio iucũda & salutaris.

Animi puritas nutrix intelligentiæ Scripturarum, &

ripit; atque ita ſapere ac ſentire condocefacit, vt quòd præclarè apud Caſſianum Abbas Iſaac obſeruauit, *omnes* [Scripturarum] *Pſalmorum & Prophetarum affectus in ſe recipiens, ſententias eorum non tantummodò per Prophetam, aut in Prophetâ fuiſſe completas, ſed in ſe quotidie geri impleriq́ue cognoſcat*; admirabili, ſcilicet supernè, docentem inter & diſcentem reciprocante commercio. Quas Athenas, aiebat ille, quam ſcholam, quæ alienigena ſtudia huic diſciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Magnentij, Strabi, Luitberti, Haimones, Freculphi, ac ne plura monaſterij huius lumina ante tempus ingeram, inde, inquam, Germaniæ clariſſima pars, tot in Moguntiacenſi cathedrarum primâ, nobiles fulſerunt Archiepiſcopi.

Collat 10. c.12.

Ambarum colligata ſocietas.

Valer. Max. lib.2 c.1.

Adi Paulum Lang. Chr. Citizen. ad an. 968.

CAPVT XIII.

Præſtantium doctrinâ & pietate virorum corona quædam obiter monſtrata.

PRAECLARE S. Ambroſius de Noë & arcâ ſcribens, *probati viri genus*, dixit *virtutis eſſe proſapiam*: vt, qui ſtirpem corporum coniunctione propagatam huic, quam propria conſtánſque virtus progigneret, meritò poſtferret. Quippe virtutis ad nepotes tranſmiſſæ *vna ſecura & inuiolabilis eſt poſſeſſio*, quæ neque naufragio neque incendio amittitur, nec tempeſtatum nec temporum permutatione mutatur, *quâ præditi qui ſunt, apud Chriſtianos verè ſunt nobiles*, poſſidéntque res & fructuoſas & ſempiternas. Quo eorum & genus & ſpecioſæ ſtirpis imagines magis ſuſpiciendæ ſunt, qui vt Eccleſiæ liberos præſtantes gignerent, horúmque ſtirpem immortalitate donarent, vno virtutum partu procreationem ſuam abſoluerunt; eámque ſimilitudinem iis diuinæ mentis impreſſerunt, vt Dei crederes potiùs, quàm hominum ſatu genitos, & diuino quodam partu in lucem effuſos. Atque huius proſapiæ titulos luculento ſermone Eccleſiaſticus adumbrauit; *viros eos* teſtificatus *glorioſos, quorum cum ſemine vſque perſeuerent bona, quorum & ſancta ſit hereditas nepotes eorum, quorum denique liberi propter ipſos ſempiternum æuum immortali cum gloriâ degant*. Atque, vt Coſmum

Proſapia & ſtemma virtutis doctrinæq́; anteſtat liberorũ propagationi.

Hieron. ad Cælantiam.

Ambroſ. cit. cap 4.

Stirpis huius fecunditas.

Cap. 44.

Theologum in Syriâ Ioannis Damasceni magistrum, sine liberis quos ei philosophia pareret, mori noluisse laudatum est; sic ego Magnum Cassiodorum memini, postquam cum Agapito Pontifice de studiis diuinis Romæ inter Barbaros excitandis egisset, angi cœpisse grauissimo dolore, quòd Scripturis diuinis publici magistri deessent. Primùm igitur nobis insulæ Britanniæ, post Deum humanæ salutis prouidum curatorem, laudes gratesque dicendæ; quæ radiantibus sapientiæ & virtutis luminibus, in opaca hæc intimæ Germaniæ nemora infusis, quidquid hîc inertiæ & barbari stuporis extitit, absterſit, illustrauit, & ad capessendam ex litterarum tam humanarum quàm diuinarum studiis egregiam laudem, accendit. Sed immortale præconium ipse meritus vtique S. Bonifacius, qui omnium pietatis & amplificandæ religionis artium, pater, inuentor, & Sturmionis educator, Scripturarum sanctarum eloquia, vt feliciter in Germaniâ exercuit, ita cælesti quodam munere apud discipulos inde fouenda reliquit. Bedæ, post sacram Scripturam solertis ingenij fecunditate, tot commentariorum voluminibus editis, ex longinquo fama iam olim latè percrebuerat, S. Bonifacio dum viueret, non ingrata, vt multiplices in eo doctrinæ fructus suis haud obscurè approbaret. Quæ igitur ex huius disciplinâ vel condiscipulatu, accersendi abusque Britanniâ magistri cura Fuldensem congregationem sollicitabat, hanc vt potuit, primitus explicuit.

Cosmus Theologus.

Cassiodorus Senator.

Anglia quid Fulda debeat:

Quid S. Bonifacio opt. patrono, parenti, quid

Beda venerabilis inuētis. Catal. eccles. Script. Sigebert auct° è Suffrido & Trith. lib. 2. de illustr. viris Ordin. S. Ben. c. 26. & alibi. MS.

ALCVINVS is erat, multo acumine perspicacis ingenij, nec ineruditâ facundiâ, Albini Flacci nomine, & Caroli Magni institutione notus; quin & huius imperio, Parisiēsis vrbis in gremio, altrice tot artium atq. disciplinarum erectâ scholâ, futurus illustrior. Hic, Bedâ iam vitâ functo, postquam peragratâ Galliâ tribus sociis monachis in Austrasiam venit, inde Buchoniam petens, & aliquamdiu Fuldense monasterium, sed leuiter incolens, reconditas sacræ doctrinæ gazas magnâ nominis sui & auditorum celebritate reclusit, & æmulos suæ doctrinæ discipulos vigilantis ingenij, primùm Turonas euocauit; mox incomparabilis scientiæ laudibus cumulatos, hîc post se magistros reliquit. In quibus familiam duxêre Haimo, * Vsuardus, Freculphus, Hrabanus, Hatto, Luitbertus; quorum accuratiùs

Tom 1. & 5. antiq. Lect. V C. Henr. Canis. & Nicol. Serar lib. 4 rerū Moguntiac. in Rhaban & illustr. Baronius ad an. 778. Tom. 9.

Alcuinus Fulda docet, & discipulos in Galliâ expolitos, Fuldensi monasterio magistros remisit.

* Isuardus, Ysuardus.

ratiùs virtutes propriis insignitas elogiis spectandas exhiberem, ni tantorum ingeniorum dotes rarâ styli & lucubrationum varietate Spanheimensis Abbas & recentiores alij occupassent. Quod inde strictim carpemus, subsidio vanescentis memoriæ, id hac iudicij trutinâ ponderandum erit, vt quæ rudis nec perpoliti sæculi ingenia tunc in admiratione fuerunt, ea hodie tamquam expergefactis omnium artium censoribus, moderatioris supercilio iudicis submittamus, temperato non imminuto honoris pretio.

Arnoldus Wion, de illustr. vir. Ordin. S Benedicti.

* *Haimo* apud Honoriũ de eccles. Script. Sigebert. c. 136. vet. *Hoimo*, & *Hommo*. lib. 2. de vir. illustr. c. 32. & 124. *Halberstadiensis Episcopus.*

*HAIMO itaque, cuius & magisterium & religionis natalem immeritò subtrahi Fuldensibus olim Trithemius publicè questus est, magnitudine & præcellentis ingenij gloriâ, hinc ad Hirsfeldiam vicinam euocatus; vbi virtutis & pietatis cum doctrinâ exuberantis opinione ad sapientiæ fastigium euectus, lucubrationum ingenti mole consurgens altiùs, cùm Scripturæ propè vniuersæ arcana commentariis ambiret, ad Halberstadiensis ecclesiæ gubernacula venit, quæ annis XIV. summâ integritatis & sanctimoniæ famâ, feliciter tertius in Episcoporum ordine tractauit. Quin & Hrabanus eum honorificè compellans, æqualem suum libenter agnoscit. Ceterùm, etsi constanter Trithemius passim, Haimonem hunc Abbatem Hersfeldiæ fuisse vult, eum tamen nec Lambertus hoc tempore recipit, nec probat historia publica; siquidem ab anno DCCCXL. vsque ad DCCCXLVI. Brunonem sedisse testatur; quâ tamen annorum intercapedine Haimo factus Episcopus. Rectiùs igitur noster Francosaxonicus: *Anno Domini* DCCCXL. *Heimo Hersfeldensis ecclesiæ monachus, tertius Episcopus Halberstaden. à Luduico filio Pij Luduici mittitur: & anno* XIII. *suæ ordinationis* VI. *Kalend. Aprilis obijt, & Halberstad. sepelitur, in cuius locum Hildigrin Episcopus est ordinatus.*

Lib de vniuerso.

Haimo an Abbas Hirsfeldiæ extiterit?

M.S. Chron.

* *Vsuardus Martyrologij auctor. al. Husuardus.* De eccles. Scriptor. Sigeb. c. 85. Pap. Mas. de illo in Carolo Caluo. Trithem. cit. c. 29. & alibi. Molan. ad Martyrolog.

*VSVARDVS verò, Flori exemplo iussuq. Magni Caroli diffusiùs explicatis Martyrum agonibus, aliorumque Sanctorum actis, succinctè per Ephemerides anteà enarratis, famosissimi nomen operis ad sui commendationem, ecclesię legendum tradidit. Neque huic impar

* Al. *Frecul-fus*, De scriptor. eccles. Sigebert. c. 91

*TRECVLPHVS ex Fuldensi disciplinâ, selectissimi ingenij & eruditæ memoriæ laudem consecutus; cui & Hrabanus lu-

cubrati

cubrati in Genesin operis honorem, inscriptione suâ detulit; & ipse Freculphus Lexouiensem ecclesiam, in Lugdunensi secundâ, iam Rhotomagensi prouinciâ, regionis Nortmanniæ, adeptus, à mundi incunabulis exordio facto, rerum omnium origines & euentus, per sacræ profanæque historiæ sinus, vsque ad Christi Domini natalem, haud sine quæstionum subtilitate posterorum memoriæ subiecit.

Freculphus Lexouiensis Episcopus.

De HRABANO quid memorem? qui à pueris Fuldæ vbi natus & enutritus, atque inde in Galliis apud Turones quoque disciplinarum causâ vixit; & nullius omnino liberali homine dignæ facultatis aut artis expers, ferè nemini concessam hac ætate excellentissimæ doctrinæ palmam, obtinuit: immenso quippe captu, vastoque librorum complexu, docendo, dictando, scribendoq. diuinos apices totis dispersos Bibliorum membris rimatus, portentosi ac fecundissimi ingenij merito, nescias vtrùm illi plus decoris librorum conscriptorũ auctoritas, quàm profundæ & inexhaustæ mentis admirabilitas adiecerit. Vnde cùm publico Fuldæ docendi fungens munere, explicaret itidem immensi ingenij sui diuitias, facilè vicinorum non solùm, sed & remotiorum, in tanto gymnasij splendore, ad se studia atque ora conuertit; vt concursus etiam audiendi causâ ad eum ex totâ Germaniâ Galliaque fierent. Tradidêre proinde meritò ipsius pectori sapientiæ diuinæ ac virtutis refertissimo, ornamenta sua pariter & gubernacula, primùm Fuldensis congregatio, atque deinde ecclesia Maguntiacensis; quod vtrumque munus Abbas & Archiepiscopus, immortali nominis sui gloriâ præclarè sustentauit.

Hrabanus magister quantus. Ex Honorij Sigeberti ill. viris c. 90. MS. & Trithem.

Porrò LINTBERTVM etiam Albini Hrabaniique discipulum, duæ res memorabilem effecerunt; quòd nobili Hirsaugiensi apud Nemetes Abbatiæ primus Abbas, sacræ eruditionis & probitatis aüctoramento, initia dedit; quodque pulcherrimas benè viuendi artes illas, quas nobilis puer è Sueuiâ ortus, Fuldæ imbiberat, non infelice virtutis gloriæque prouentu, in Hirsaugiense monasterium intulit. Etenim anno duodeuigesimo monasticæ initiatus, Baugolfo Abbate, qui S. Sturmioni successerat, per incrementa ætatis Aegilis & Rhabani disciplina sic se erexit, vt Hirsaugiæ degentis famâ sanctitatis & erudi-

Lintbertus Hirsaugia Abbas & inchoator. al. Luitbertus. Chron. Hirsaug. ad an. 838.

tionis

Fama virtutis ac sapientiæ innumeros allicit ad religionem.

tionis per omnem circa regionem se diffundente, multi generosæ stirpis viri liberos suos in ipsius disciplinam traderent; alij quoque non obscuri apud suos, fortunis mundóque valere iussis, Christi & Lintberti sese obsequio consecrarent. Ad Hirsaugiam venisse eum perhibent, regibus carum, ac magnatibus verendum, anno ætatis LX. conuersionis XLII. Abbatis munus gessisse annis sedecim.

CAPVT XIV.

Continuatio illustrium virorum secundæ & tertiæ classis.

Secũda classis Hrabani discipulos exponit.

Catalog. illustr. vir. & lib. 2. de illust. Ordin. S. Bened. c. 41

ORBITAM, sed breuem Flacciani solis, quam curriculo suo descripsit, absoluimus. Albino Flacco, quod litteris valdè compertum sit, haud clarior inuenitur notiórque, qui successerit, doctrinarum magister, quam Magnentius Maurus Hrabanus, cuius è scholâ, vt innumeros prætercam alios, summa hæc neque interituræ laudis ingenia prodiere, Walafridus Strabus, Lupus, Otfridus, Werenbertus & Helpericus, ambo monasterij S. Galli aurea quædam sidera, Hartmundus, Probus, Rudolphus, Candidus, Mago, Modestus, qui ab ortu litterariæ Fuldensis palęstrę secundam velut eruditorum & sapientissimorum virorum classem efficiunt.

VValafridus Strabo, seu vulgò Strabus.

Auctor vel inceptor Glossa ordinaria.

Strabus vnus idemq́; cum VValafrido.

Adi Canisij præfat. Tom. 6. antiq. Lect. Sigebert. c. 71. Surium in Octob. in S. Galli vitâ. Præfat. ad Thegani opusc. Annal. Franc. Pithœanis Fuld.

STRABVS, vt Trithemij verbis vtar, *monachus Fuldensis, natione Teutonicus, Rhrabani scriba, discipulus & notarius; vir certè ipse vndequaque doctissimus, qui diuinarum Scripturarum optimè sensa norat, bono explanante magistro, litteris & diuinis & humanis ad plenum instructus, Theologus, Philosophus & Poëta celeberrimus, ingenio iuxtà linguaq́ue facundiâ promptus.* Non vllo scriptionis genere lætior in posterorum memoriâ victurus, quàm ingentis operæ ex veterum monumentis publicatę Glossæ syntagmate, quam ordinariam vocamus; cuius ipse fundamenta iecit. Sed varium hîc Trithemij errorem caueamus oportet; cùm Walafridum Strabonem passim à Strabo diuidit, & velut ætate disparem, illum S. Galli, hunc Fuldensem monachum, quemque seorsim laudat. Walafridus enim vnus idémque ex monasterij

S. Galli

S. Galli disciplinâ profectus, Fuldæ discipulus olim, atque inde magister floruit; posteà inter suos Decani honore sublatus, apud Augiam diuitem quoque munus Abbatis accepit anno Domini DCCCXLII. atque in eodem munere diem suum clausit, XLIX. eiusdem sæculi, vt ex egregio cœnobitâ Santgallensi, Tomo VI. antiquæ Lectionis ab erudito Canisio obseruatum est. Poëticum hunc lusum ipse de nomine suo fecit:

Decanus S. Galli. *Abbas Augiæ, vulgò Reichenauw.*

Poëmat de Grimaldo.

Edidit hæc Strabo paruissima portio fratrum,
Augia quos vestris insula alit precibus.
Strabonem quamquam dicendum regula clamet;
Strabum me ipse volo dicere, Strabus ero.

Portò quem Strabonis lateri sociauimus, Lupus, ex Senonum Galliæ finibus litterarum gratiâ Fuldam profectus, eruditorum familiaritate quæsitâ, vt vndique feracis ingenij copias adaugebat, sic & librorum veterum corrogatâ supellectile, litteras iam tum obliuione propemodū sepultas instaurabat, quæstionibus, vt indicio sunt epistolæ quæ leguntur, quacumque delatis, ad excutiendum ignauæ mentis torporem. Ita litteris scientiarumque diuitiis abundans hinc in Galliam regressus, regum & nobilium antistitum gratiâ circumfluxit, & eruditionis variæ item elegantiâ regnum illud ornauit. Carolo Caluo rege, & munera ampla in illius regno gessit, & Synodo quoque Suessionensi interfuit, cùm iam Abbas monasterij S. Petri in agro Senonum, quod Bethlehem vel Ferraria dicitur, creatus esset. Quâ de re ipse ad præceptorem suum Rhabanum ita scripsit: *Reuerendissimo patri, eximioque præceptori Rhabano, Lupus salutem. Non potui hactenus gratias vobis agere, tamen quantas affectu habuerim, occultorum cognitor semper inspexit. Deinceps autem, si idem Deus vitam vestram produxerit, optatamque pacem reformauerit, non erit impossibile, quid animo geram, factis ostendere: namque consensu fratrum nostrorum in Kalend. Decembris cœnobium Ferrariense mihi commissum est, dominusque noster Carolus mirâ me dignatione fouens, gratiâ suâ donauit: vestra igitur beneuolentia me, vnaque congregationem mihi creditam, sacris orationibus commendare dignetur, vt sicut studia mea plurimùm eruditione adiuuistis, sic officij difficultatem assiduis precibus temperetis.*

Lupi Ferrariensis monachi Galli præconsum. Ex lib. epist. eius quæ extant. Papir. Masson. in Caluo, &c.

Eius acta.

Abbas Ferrariæ, vel Bethlemitici monasterij.

Rhabano magistro scribit.

Quæ in *Otfridium* verò Deus gratiæ doctrinæque munera

Otfridus in VVissenburg. monasterio claret astronomiâ, & studiis sacris. Trith. in catalog. illustr. vir. *Germanicæ Orthographiæ inuentor.* Boic. rer. l. 2.

cumularit, ingrato silentio premenda non sunt. Hic apud Nemetes in Wissenburgensi cœnobio lumen ingenij tantum ostendit, vt astrorum ac diuinarum rerum peritiâ excellens, admirandâ metrorum felicitate demum in Germanici ac vernaculi sermonis elaborando canone, parum licet fructuosè sudarit, nulli suâ ætate copiâ scientiarum & pangendi facultate secundus. Eum Marcus Velserus, Germaniæ decus, in Boicis attestatur, Germaniæ sermonem scriptu eâ ætate perdifficilem, omnium primum litteris tractare aggressum. Nec S. Galli præclarum hodieque, in Alemanniâ Sueuorum, ordinis S. Benedicti monasterium, Rhabani præcellentis magistri fœturâ caruit; quando ex Fuldẽsis gymnasij sacrario, & *Helpericum* & *VVerenbertum* accepit, egregiæ fecunditatis argumento, qui seueriore simul & amœno succinctus doctrinæ cothurno, non Philosophiæ magis ac diuinæ sapientiæ laudibus, quàm poëtices Græcique sermonis gloriâ claruit.

Helpericus, & VVerenbertus S. Galli.

Hartmundus eiusdem.

Huic, vt olim Fuldæ condiscipulatu, sic ornamentis litteraturæ linguarumque varietate geminus fuit, eiusdem monasterij cœnobita Hartmundus, qui & scriptis in sacra Biblia commentariis Rhabani præceptoris imaginem ad posteros transmisit; quæ sparsim clarior elucescit, cùm discipulorum eius globus, quem Hartmundo subieci, tacito lectoris animo occurret.

Rudolphus excelles Fuldæ scriptor doctorq́;

Sed domesticos inter RVDVLPHVS præstantissimi nominis ab historiâ & interpretatione litterarum sacrarum, nec hîc præteriri debet; quem tanta sapientiæ doctrinæque gloria beauit, vt cùm sui temporis eruditorum longè esset princeps, velut alter Augustinus omnibus se consulentibus de rebus grauissimis luculenta responsa daret; multaque exactæ diligentiæ volumina, iam intermortua, publicaret. Hinc & Luduicus Luduici Pij filius conscientiæ suæ latebras ei apertas habuit, & concionantem audire solitus, etiam scholasticis Fuldæ præfectum, regiâ liberalitate coluit.

Luduici regis concionator.

Ascribus & Ruodbertus cœnobitæ Fulden. Romam legati. Ex ipso opere Acrostich.

Quin & huic annumerandi ASCRIHVS & RVODBERTVS publicis Annalium litteris clari, nec taciti Rhabano præceptori; quos ipse ex Fuldensi monasterio Romam ad Sergium Pontificem misit, vt rarissimæ tunc artis Acrostichidum de S Cruce librum, munus ei sanctóque Petro præsentarent. Quod sanè

munus,

munus, vt mirificè fuit aliàs Alcuino Rhabani magistro probatum, sic ab Odilone Cluniacensi, amplissimo cum auctoris præconio extollitur: *Rhabanus sæculari scientiâ affatim eruditus, fide Catholicus, spirituali scientiâ ad plenū edoctus, tale de laude S. Crucis texuit opus, & texendo perfecit, quo pretiosius ad videndum, amabilius ad legendum, dulcius ad retinendum, laboriosius ad scribendum non potest inueniri.* Illud verò perscriptum & elaboratum, anno ætatis ipsius tricesimo, ex Rudulpho eius discipulo satis liquet.

Rhabani opus de S. Cruce Sergio Papæ oblatum. A S Odilone laudatum Serm. de lau. S. Crucis.

At Rhabanus interim, vbi professorio munere defunctus, studiorum voluptatem laboriosâ gubernandi functione mutauit, Strabo discipulo lampada cathedrámq. cursu tradidit; qui minimè segnis ingenij alacritate, docendi prouinciam amplexus, frugis optimæ specimen præbuit in discipulis, quos hac tertiâ sobole Fuldensis schola peperit. Meminit hanc rem ita Trithemius: *Rhabano in Abbatem sublimato, eius discipulus Strabus, scholæ publicæ prælatus est; qui Gerungum tunc adolescentem, Rhabano præcipiente, singulari* * *diligentiâ prosecutus est. Mos erat in Fuldensi cœnobio, his temporibus, monachos non solùm in Scripturis sanctis instituere, sed etiam in omni sæcularis scientiæ litteraturâ ad plenum erudire. Probè enim iudicabant sapientissimi viri, diuinas Scripturas neminem posse perfectè intelligere, quem litteras sæcularis doctrinæ contigisset ignorare. Extant multa monachorum istius temporis præclara volumina, in quorum comparatione, ea quæ hodie cuduntur, tamquam paleæ vilescunt. Reperi autem inter alia Strabi huius opuscula, libellum de Arithmeticis dimensionibus, quem scripsit ad Gerungum Abbatem S. Aurelij, cui præponit epistolam sic incipientem: Reuerendissimo, merito patri, ætate filio, litterâ discipulo, gratiâ magistro, Gerungo Abbati æternæ beatitudinis præmium possidere.* Hucusque Trithemius.

VValafridus Strabus Rhabano Doctor succedit. itaq́ Tertia classis Strabi discipulos exponit.
Chron Hirsaug. in Gerungo 2. Abbate.
* *dilectione*
Sacrarū litterarum cum profanis associatio Fulda.
Auxesis.

Atque GERVNGVS hic *Hirsaugiensis* monasterij secundus Abbas, in hoc ordine tertio generosæ sobolis à Strabo propagatæ, germen istic lætissimum extulit; quando RVTHARDVM Fuldensis item cœnobij alumnum, & Strabi auditorem, æmulatione sapientiæ, cathedræ imposuit; eumque breuî plenis subselliis tam nobili auditorio frequentique stipatum habuit, vt Fuldense gymnasium ad Hirsaugiam translatum existimares. Nam Ruthardus hic, Trithemio teste, primus in cœnobio

Gerungus Hirsaugiensis Abbas. Ruthardus ex Strabi disciplinâ doctor apud Nemetes celeberrimus.

Chron. Hirsaug. ad an. 863.

S. Aurelij, monachis, diuinas iuxtà profanaſque litteras, more Fuldenſium, docere cœpit; eamque in omni diſciplinarum genere famam eruditionis obtinuit, vt non ex diuerſis modò cœnobiis vndique monachi, ſed ad eum audiendum ſæculares quoque confluerent. Laudem his vigiliis parem addunt, tum ex aliis quæſitam lucubrationibus, tum ex egregij operis conatu, quo primus ipſe S. Benedicti regulam illuſtrare commentario aggreſſus eſt. Iſtuc etiam altioris ſapientiæ, nec ambitioſæ doctrinæ factum, reſponſumque illius memorabile fertur. Quippe Luduicus Imperator, compertâ Haimonis Halberſtadienſis Epiſcopi morte, cùm eius ſedis mitram pedumque Ruthardo deferret; *Epiſcopatum*, inquit, *alteri velim, Imperator, dari iubeas; qui ad eum gerendum, quàm ego, magis idoneus ſit. Equidem vitæ regularis tranquillitatem, & diuinarum litterarum ſtudia, ambitioni & cunctis mundi gazis longè mihi ſemper duxi anteferenda.* Rudulphum quoque medio tempore Fuldæ item diſcipulos eduxiſſe, & magiſterij floruiſſe ornamentis, cùm aliundè affatim, tum ex vitâ B. Solæ, quæ ab eius alumno ſiue Ermenoldo ſiue Ermanrico ſcripta, liquet. Salutatur ibi *Didaſcalus & venerandus magiſter; & in omni arte ex Rhabani doctrinâ peritiſſimus, magni ac multiplicis ingenij vir.*

Ruthardus recuſat Halberſtadienſem Epiſcopum.

De eodem Ioan. Bonifac. Soc. Iesu lib. De rectâ inſtitut.

Rudulphus propagaſſe diſcipulos traditur.

Tom. 4. antiq. Lect. in prologo, & in epiſt. ad Gundramnum.

Stemma quoddam digeſſi, & numeros eorum qui Fuldæ velut officinam ſapientiæ plurifariàm adornarunt; ac, ne quis nobis hanc ſucceſſionem turbet, meminerit in moribus quoque fuiſſe veterum cœnobitarum, antequam ſcholæ probè coaleſcerent, & copiis doctrinæ domeſticis abundarent, emittere ac proferre foras magnæ indolis ac ſpei ingenia, quæ beatis inde ſapientiæ fontibus irrigata, in quamplurimos ſeſe riuos & amnes diuite curſu prouoluerent. Quo modo in antiquis monumentis lego de Raitgario Abbate, qui anno DCCCXVII. florere cœpit: *Rhabanum & Hattonem Turonas in Galliam direxit ad Albinum magiſtrum, vt liberales artes addiſcerent: Brunonem ad Einhardum, variarum artium peritiſſimum doctorem: Modeſtum & Candidum cum aliis ad Clementem Scottum, Grammaticæ ſtudendi causâ.* Verùm hæc atque multò florentiora ſapientum decora alia, ferax hòc doctrinarum & virtutum Fuldenſe gymnaſium eo quidem tempore protulit, ſed non perinde

inde poſtera ætas, ob ſilentium litterarum, exornanda reliquit.

Meginfridi clari apud Fuldenſes hiſtoria ſcriptoris iactura.

Vnius vel MEGINFRIDI Chronicorum monumenta Lutherianæ centuriæ nobis reliqua feciſſent, quam eruditæ iucunditatis officinam clarorum imaginibus refertam, ille poſteris aperiret? De eo Spanheimenſis Abbatis hoc extat iudicium ad annum Chriſti MX. *Claruit etiam his temporibus Meginfridus monachus Fuldenſis Chronographus; qui velut roſa inter ſpinas, ita ſtudioſus inter deſides, carnales, ignaroſque ſui monaſterij monachos, clarus emicuit. Is inter cetera ingenij ſui opuſcula, hiſtoriam ſui monaſterij ab origine diligenter complexus, Abbates ſingulos ſecundùm ordinem temporis ſibi inuicem ſuccedentes inſeruit, & vniuſcuiuſque geſta breuiter annotauit; eorum quoque cœnobium, quibus vel monachos ex Fuldenſi miſſos nouit, vel Abbates, pari ratione meminit; quorum vel ſucceſſiones Abbatum, vel memorabiliora facta interſerendo, compendioſè deſcripſit. Ex cuius viri laboribus, multa me, fateor, in hoc opere noſtro, de Hirſaugienſi hiſtoriâ, neceſſaria commiſcuiſſe.* Chronic. Hirſaug.

VVicelinus.

Ad Meginfridi ætatem retulero Wicelinum, qui floridâ iuuentâ, magnitudine ingenij ſupergreſſus æuum, intempeſtiuo funere raptus eſt. Luxere eum diſcipuli tribus epitaphiis, è quibus vnum hîc pono:

HVC PRECOR INTRANTES, HVC CERNITE *P̄COR EVNTES; *PRECOR
  CERNITE QVID MODÒ SIM, CERNITE QVID FVERIM.
FLORE IVVENTVTIS CESSIT CVSTODIA CLASSIS;
  NVNC CINIS EXIGVVS; PARVVLA CLAVDIT HVMVS.
NOMEN ERAT WICELIN POSITVM CARNALITER OLIM,
  IAM NON DE PLACITO, SI DATVR EX MERITO.
EXEMPLO NOSTRI MEMORES ESTOTE SEPVLTI:
  HVC REDIT OMNIS HOMO FINE SVB OCCIDVO.

Verſiculi alij extollunt hominis eruditionem, & cum eo cecidiſſe volunt Fuldenſis ſcholæ lucem:

NAMQVE FVIT DOCTVS; DOCTRINAE MVNERE LARGVS.
  FELIX TERRA, SVAM CONDVPLICANS SEGETEM.

Nominalia quadà apud priſcos cœnobitas vſitata, cùm

Vnum in hac doctrinâ ſcriptiſque nobilium hominum hucuſque à me pertextâ corollâ, obſeruatu quoque dignum inuenio; quod nominum ornatu peregrino delectati, vel ob inſigne magiſterij, vel imitationem exempli, vel aucti ex eruditionis & virtutis famâ honoris, vel ob aliam non perinde compertam

nobis in præſentiâ cauſam, præter Germanicum, Francicúmque, Latinum in Fuldẽſi monaſterio nomen aſſumpſerint: nam vt Albinum Flaccum in Alcuino, Magnentium Maurum in Rhabano, Strabonem vel Strabum in VValafrido, quæ litterarium album ſapiunt, omittam; in Bonoſo glorioſo, Candido ac Modeſto huius loci cœnobitis exploratum habeo, eorum vernacula nomina, Hatto, Bruun, & Rechio, extitiſſe. Quare & honorariam nominis profeſſionem tuliſſe Flaccum, *Magnentium, Bonoſum, Strabum, Probum, Lupum, abolito apud Francos, nec in ſacro quidem fonte paſſim recepto, Latialium nominum vſu, dubitare nihil attinet. Ac neſcio quidem, an ſanctiore tamen inſtituto, quemadmodum auorum memoriâ, renaſcentibus in Italiâ litteris, eruditi quidam Romæ viri, veterum ingeniorum illuſtria nomina ſibi ipſis indiderunt, cùm in cœtu ſodalium, Iouio teſte, laureati Muſas colerent, ſic & cultioris ingenij maturitate, cœnobitas noſtros, priſcorum doctorum in ſuo gymnaſio cenſeam renouaſſe titulos. Gemina certè nomina ex inſtituto tuliſſe, non accepiſſe temerè data, liquere puto.

pro Francicis seu Theudiſcis adſciuere Latina.

* al. *Magnetium.* lect. in Sigeberto cap. 90. MS. Fuld.

Vt in Italiâ nuperrimè litterati Gentilium.

In elogiis ad Pomponium Lætum.

CAPVT XV.

Abbatum monaſteriiq́; Fuldenſis dignitas & prærogatiua.

QVIA virtutis præmium honos eſt, quam, cùm admirabiles ſui amores excitare per ſe videmus, tum doctrinæ ac ſapientiæ ſi fulta ſit adminiculis, haud facilè dixero, quos ipſa plauſus dare, ſignificationeſque fauoris excitare ſoleat. Experti hoc ſunt, qui ad huius Fuldenſis ampliſſimæ congregationis, ceu reipublicæ clauum ſederunt, quorum quo florentior religionis ac litterarum diſciplinæ gubernatio fuit, hoc ampliora à ſummis Eccleſiæ Pontificibus, & ſpecioſiora à Regibus & Imperatoribus ornamenta in monaſterium hoc, velut honoris quoddam theatrum, congeſta ſunt. Omnia referre longum ſit; diſtringere ſingula, nihil vetabit. Initio tamen hîc conſpicias velim, exiguum loci patrimonium, & agelli, qui in quadrum,

Quã tenuibus initiis, quantis incrementis, Fuldenſe nomen ſurrexerit.

drum, vt irent cæli plagæ, circumquaque se spargeret, angustum angulum; astrictum continentiâ victum, & vix alendæ familiæ parem; modicas seruorum aut ingenuorum clientelas; domum, non dicam ambitioni, sed honori clausam, vni submissionis studio apertam, Benedictini generis ac ordinis veram imaginem; at paululùm vbi se flexisset ætas, omnia hæc prouidente, satagente Deo, succrescere, & mox in excelsum niti: contribui præter aream monasterij, atque agrum circa, nemorum vndique & pascuorum, aquarum, abundè; his accenseri villas coloniasque rusticas, totâ Thuringiâ, Boiariâ, variis trans & cis Rhenum Mœnumque aruis, & alibi, complures: annonæ & fructuum importari tantum, vt hospites, aduenæ, non ipso monasterij dumtaxat gremio, sed rusticis cellarum vbique tectis excipi, pasci, vestiri benignè possent; surgere in altis montibus arces, in imis vallibus fossâ & propugnaculis circumdata oppida: adsistere Abbati, & ministerij caussâ ambire pace belloque, ex equestri nobilitate, & Comitum Ducúmque stirpe clientes, Aduocatos, Camerarios, Pincernas, Vexilliferos. Neque Cattorum, Boiariæ, Saxonúmque, seu Thuringię, Principum; neque Cattimelibocorum, Niddæ, Zigenhainiorum, neque Hanouensium, vel Isenbergiorum, aut Hennenbergensium Comitum, & quorum generosa similis propago, deesse vel arma, vel obsequia. Denique Abbatem, non fortunæ beneficio, vel ardore cupiditatis, sed morum principatu, & priscæ virtutis merito, sedendi honore in imperio, Episcoporum cedere nemini. Primùm igitur à condito monasterio legibus inolêsse tradimus, multorum Pontificum stabiliméto; neminem quanticumque fastigij, nec patriarcham nec præsulem, sed ne diœcesanum quidem in Fuldensi ecclesiâ patrare sacra, nisi Abbate probante, vel ad illud sponte munus inuitante. Id moris etiam eximij, vt vni eius subiaceat regimen Pontifici Romano; nec ab alio, quàm sedis Apostolicæ Præside, honoris expectet munimenta: ad hanc dubiis in rebus, more ceterorum Antistitum appellat: quin & à Regum, Principum, Episcoporum, Comitum, aliorúmve iniuriis, huius tutelâ præsidioque se vindicat; vetúsque fuit, vt *si quis ex corpore monasterij ob criminis atrocitatem, famæ labem contraheret, is non antè pulsationis iudicium subi-*

Patrimoniorum amplitudo.

Latifundia prædiaq; rustica.

Arces, oppida, munitiones.

Principum, Dynastarũ, & nobilium clientela ac ministeria.

ex feudorum recognit. & obseruat. antiq.

Abbatis ornamenta & extraordinary honores.

ex Archiuo Fuld. ecclef. & MSS.

In sacrificiis.

In subiectione.

In confirmatione.

Caussæ dictione.

Iurisdictione ecclesiasticâ. *ret, quàm Romanâ fuisset auctoritate discussus auditusque.* Integrum quoque, hortando, docendo, diuiníque verbi semina spargendo, cœnobitas huius loci & Abbatem, operam vbiuis nauare Ecclesiæ. *Primatu Galliæ Germaniæq; monasteriorum.* At sessionis honos, multis priuilegiis, Archimādritæ, & per omnia Galliæ Germaniæque monasteria, *Primatis cognomento*, datus: nec non potestas in dalmaticâ & sandaliis, *In Pontificalium vsu.* mitratum annulatumque, rem procurandi diuinam. Additum à Siluestro Pontifice, nominatim; vt Abbas Fuldensis inter cun- *In sessione honoratissimâ.* cta Germaniæ cœnobia, publico conuentu, primum ordinem sedendo, iudicando, consilium habendo, tueatur. Id, quod in eâ Galliarum parte obtinuisse quoque rear, quâ Burgundia & regnum Arelatense olim Germaniæ sceptris associata, vnde & titulos petit suos Treuirensis Archiepiscopus: nec primatum Galliarum hîc loci vsurpatum, aliò retulerim. Ea verò constantis fidei amicitiæq; robustæ vincula Romanorum Sedem huic Fuldensi monasterio innexuere, vt litteris Richardo Abbati, & *In honorificâ compellatione.* aliis ante quingentos annos à Ioanne Pontifice datis, audiat *Romanæ Ecclesiæ Fuldensis filia specialis*; donoque, ceu æternæ vrbis *Donatione Romani monasterij S. Andreæ.* ciui, cum omni peculio, fundis, & areâ monasterium S. Andreę obuenerit, Romæ situm iuxta basilicam S. Mariæ ad præsepe. Aliis aucta quoque iurisdicundi potestas, quâ noxas leuiores *Muneribus quasi episcopalibus.* indulgendo, quâ anathemate plectendo sontes, quâ denique tondendo clericos, & minoribus sacris officiis mactando; atque *Regalia Abbatiæ.* adeò Subdiaconos etiam inaugurando. Iam iura Regalia, quæ vocant, omnem in partem latissimè fusa, non attingo, quibus, si vetustiora repetamus, Imperatorum Regumque munificentiâ, vt quisquam alius in Imperio Princeps, ita Fuldensis *Archicancellarij Augustæ titulus.* Ecclesię fuit Antistes, conspicuus. Vnum Archicancellarij Augustæ titulum commemoro, quo ante quadringentos annos emicuit. Hunc, cum prærogatiuâ sedis, Berthoum Abbatem, Lothario Imperatore, ceu à maioribus olim acceptum, vindicasse lego. Porrò in Caroli quarti diplomate rem hanc Impe- *Henricus Abbas Carolo IV. à secretis, qui Archicancellarij Augustæ munus confirmauit nouo ritu.* rio toto confessam notissimamque animaduerto, cùm anno MCCCLVIII. Henrico Abbati à secretis sibi & consiliis, Archicancellariatus officium cum omnibus iis priuilegiis commodisque stabilit, quibus Archicancellarij Imperatricum & Reginarum vti frui solent, illud adiiciens nouum, vt quoties imperij

perij Romani Auguſtam vel Reginam diademate cingi, aut indui purpurâ, ſolemni ritu contingeret, Abbatem tunc id hiturum muneris, vt diadema coronámve pro more deponat, manúque teneat, & rurſum eamdem vertici reddat. Vnde & expreſsè Carolus, quod altiùs repetens non facilè vſurpatum inuenias, Henricum ferè ſalutat, *Sereniſsimæ Annæ Romanorum Imperatricis ſemper Auguſtæ & Bohemiæ Reginæ, conſortis noſtræ chariſsimæ, Archicancellarium.*

Auguſta Imperatricis diadema tractandi.

CAPVT XVI.

De proëdria Abbatum Fuldenſium & ſeſsionis honore.

CETERVM, quia de ſeſſionis & ſellæ faſtigio Fuldenſe nomen carpi, & ambitionis nubilo obfuſcari ſolet, operæpretium in huius moris antiquitatem diligentiùs inquirere, & liberioris oris calumniam, maiorum teſtimonio caſtigare. Primi itaque auorum patrumque memoriâ, honorem eum bonis artibus ſumptum, ſugillare auſi ſunt, Albertus Krantzius, præcipitis cenſuræ ſcriptor, & Sebaſtianus Munſterus, religionis optimæ bis deſertor. Hi verò, cùm vno fermè ore conuentum illum Moguntiacenſem deſcribunt, quo Fridericus Ahenobarbus Henricum filium Conſtantiæ Neapolitanæ vel Siculæ iunxit, ipsâ Pentecoſtes die anni MCLXXXIV. graue memorant honoris certamen iſtic inter Philippum Colonienſem Archiepiſcopum, & Conradum Abbatem Fuldenſem, exarſiſſe; quo principum animis in diuerſa tractis, omnia verecundiæ & modeſtiæ iura inſuper habita, Comitialis honor confuſus, & à monacho occupatus ſit. Quippe dextrum Friderici Imperatoris tegẽte latus Archiepiſcopo Moguntino, ſiniſtrum Agrippinenſi; huius loco recipi voluiſſe Abbatem, & repulsâ notatum, abire coactum Colonienſem: quare & indignantis Archiepiſcopi orationem fuiſſe: *Cedo Abbati, Archiepiſcopus; monacho, *princeps elector; ſed, bonâ veniâ veſtrâ, cœtum dimitto.* Exoratum tamen, calenti ſpatium dediſſe animo; &, quo tutior aduerſus Fuldenſem ſtaret, ingreſſum quatuor millium armis ſtipatum.

Vindicata proëdria Abbatis Fuldenſis.

Krantz. lib. 6. Saxon. cap. 46
Coſmographiæ lib. 3. in German.

Moguntini conuentus acta Frid. Ahenobarb. Imp. 1181.

Certamen inter Philippum Colon. Archiepiſc. & Conradum Fuld. Abbatem.

**Nouitium & non eius aui γνώρισμα.*

I Epipho-

Epiphonema Krantzij eſt: *Væ tibi ſuperbia; quæ in cælis nata, cum auctore tuo ad infernum demergêris, ſemper excrucianda*. Cauſſam hanc diſceptare ſerus æſtimator, fortè nullus aggrediar. Velim interim, quos dixi Scriptores, paulò diligentiùs in antiquos mores huius eccleſiæ & iura inquiſiiſſe; moderatiùs, opinor, volantis calami ſpicula, obſtrigillando terſiſſent. Enimuerò retinendæ priſcæ maieſtatis grauitatiſque, populos, nationes, hominum cœtus atque ſodalitates, tantam habere curam quotidie cernimus, vt paulò minùs interdum pro fortunis ac patriâ, quàm pro auito decore & nominis gloriâ, publicè decertent. Nec ſciſſe ambigamus, cœnobij Præſides, optimis adhuc morum diſciplinis, quid verecundia, quid religioſa modeſtia poſceret: quique fines legéſve, palàm ſeu priuatim, colendi officij in imperio exiſterent. Sed nimirum, publica inſtituta & ſui monaſterij ornamenta olim à maioribus, Regum Principúmque conceſſu tradita ſibi & relicta, priuatâ humilitate potiora duxêrunt; eaque illibata, nec abrupta, ad poſteros deriuanda. Itaque bonus arbiter in hac cauſſâ, vel aduerſariorum confeſſione, ipſe Imperator fuit: qui, vbi Colonienſem, ſi ſubſellio detraheretur, pro inglorio habiturum, facilè intelligeret, rectè tamen ac ordine Abbatem eum capturum fuiſſe locum, pronuntiauit; cùm id eſſe conſentaneum diceret, antiquis reipublicæ moribus, factúmque defenderent ſpectati imperio Principes, & pro Abbatis honore loqueretur multis retrò annis laudata conſuetudo. Venerationem igitur, & honorati iudicij potiùs laudem Conradus mereatur; qui, non ſine rubore, vt ipſi aiunt, inferiorem locum, pacis publicæ cauſſâ, renuit, quàm Philippus Archiepiſcopus; qui comitia deſerens, non ante ſe reddere procerum conſpectui ſuſtinuit, quàm etiam illiberali cauſſâ, alieno loco, gloriam accerſiſſet. Hinc iam, ſi lectorem ad ſuperiorem ætatem quoque deduxero, & honorificam hanc loci proëdriam armis & ſanguine etiam defenſam, ante centum annos, exemplo licet parum probabili, oſtendero, an adhuc recentiorum vanitati priſcorum concedent iura, & parum explorata ratio conuellet maiorum fidem? Sed ipſum Lamberti chronicon adire te malo ad annum MLXIII. vbi exponit, quæ Goſlarienſi conuentu, Widerado Abbati cum Hecelone Hildeshei-

Narrationis vulgaris cõfutatio.

Imperator pro Conrado Abbate pronuntiauit. M.SS. Fuld.

Mos etiam & Principũ ſententia illis fauit.

Seſſionis honos cruentis certaminibus defenſus, ritu non laudato.

desheimenſi Epiſcopo lis interceſſerit. Neque enim eſt mearum partium, caſum illum funeſtum memoriâ repetere, vel oculis legentium ſubiicere, quem, vt in perturbato Germanici regni ſtatu, Rege puero, & in paucorum poteſtatem redacto, Lambertus ore tam libero, quàm ſano iudicio exequitur: traditque Abbatem Fuldenſem vndique iſtic oppugnatum oppreſſumque ſic abiiſſe, vt pecunia tutaretur quem nec lex nec innocentia tueri poterant: & præter atrocitatem rei, *odium quoque grauaſſe nominis monachici, quod inueterata malitia homines ſæculi* (verba vetuſti ſcriptoris ſunt) *ſemper obfuſcare & opprimere conantur*. Reperio denique in antiquis huius Eccleſiæ monumentis, Berthoo Abbati, qui anno ſalutis MCXXXII. præfuit, negotium item fuiſſe cum Archiepiſcopo Magdeburgenſi de excellentiâ ſedis; arbitroque Lothario Imperatore, & Pontifice Innocentio, honorem ei priſtinum, poſtpoſitâ Archiepiſcopi dignitate, adiudicatum.

Idē ſub Berthoo Roma oppugnatur; conſeruatúſque aduerſus Magdeburgenſem Archiepiſcopū,

Res Romæ geſta eſt, quo tempore Lotharius ab Innocentio Imperij diadema accepit. Vetus ſcriptor ita: *Ipſo eodem die conſecrationis Imperatoris & Imperatricis, domino Apoſtolico & ipſis conſidentibus, orta eſt diſſenſio inter miniſtros ipſius Abbatis, & Archiepiſcopi Magdeburgenſis, de primatu ſedendi; cumque pro hac re viciſſim propè vſque ad effuſionem ſanguinis altercarentur, ſuperueniente Abbate, & iuſtâ defenſione pro huiuſmodi rationem reddente, fauente ſibi Imperatore, vt ab initio Fuldenſis Eccleſiæ omnibus anteceſſoribus ſuis conceſſum erat, primatum ſedendi, inuito Archiepiſcopo, obtinuit.*

ab Innocentio Papâ & Lothario Imp.

Neque verear tam eminentis faſtigij ſplendorem, beati Bonifacij memoriæ, aut meritis tot Præſulum, qui ex Fuldenſi monaſterio ad vrbis Moguntiaci cathedram Germaniæ primam euecti, datum olim, aſſerere. Quippe, cùm Fulda mater & alumna; ipſique cœnobiarchi parentes quidam exiſterent eius ſobolis, quæ, felicibus auſpiciis ad Eccleſiæ Moguntinæ totiuſque Germaniæ decus enata; meritò hanc vtrique parenti maiores, ſiue Cęſares ſiue Pontifices, refudiſſe gratiam; vt, qui incunabulis hauriendæ pietatis fuiſſent proximi, nec ſedibus vſurpandi publicè honoris forent diſtincti.

Iuris huius, ſeſſioniſque origo probabilis.

Ab Epiſcopo Eiſtatienſi ſimile.

Id quod in Eiſtatenſis Epiſcopi prærogatiuâ cernere licet; qui ob D. Willibaldi cum S. Bonifacio in religione procurandâ perenne conſortium, præ ceteris Magontinæ ſe-

Philippus Epiſc. Eiſtetē. de S. Walburg. Tom. 4 antiq Lect.

dis suffraganeis, Metropolitani sui dextram tegere, & ceu cancellarius & prolocutor, eius quoque vices gerere; ac denique peculiari ornamento, quod Rationale vocant, hanc in rem insigniri solet.

Capvt XVII.

Qui ex Abbatum numero infulis clari, spectatiq.

Hvnc locum strictè cursimque ingrediar, indicasse contentus hæc ornamenta; certus, non veris suis coloribus expressisse, cùm iusti tituli volumen hæc tam amplæ laudis materia sibi deposcat. Nimirum semina spargimus, quæ in spicas olim & culmos, fertilioribus ingeniorum aruis, adolescant. Ac nouem quidem Moguntiacensis Ecclesia nobis offert, quos illa quantos fastigij & rerum gestarum magnitudine posteris exhibet & ornat, tantos Fuldensis monasterij gymnasium vitæque disciplina olim ei tradidit præstititque. Horum post S. Bonifacium, cui flagrantissimæ gloriæ palma debetur, longè primus

Qui ex Abbatibus Archiepiscopi in sede Moguntina Pontificium tenuerint.

I. Fuldē MSS. & documēta Annalium.

Haistolfvs sæculo Christi inchoante octauo sub DCCCXIII. in Moguntinam sedem ex Fuldensi prouectus; cuius vsq. adeò in vitâ tenax extitit, vt præter artissimam, quam in omni vitâ cum altrice religione societatem retinuit, & intimam cum Aegile Abbate necessitudinem, magnis quoque templorum & basilicarum surgentibus operibus apprimè fauerit, eásque consecrando dicandoque præsens cum Chorepiscopis honestarit.

II. Rudolph. Et nārichic. Lupus epistolà 40. Annal. Frāc. Pithœani. Marian. & M.SS. acta.

Hrabanvs Luduici Pij Augusti Secretarius, etsi doctrinæ ingenti famâ, rebusque monasterij, tot ecclesiis erectis, & Diuorum pignoribus vndique illatis, in immensum auctis, fatur honoris gloriæque, tranquillo vti poterat; incursu tamen siue suorum, siue otij cupidine, nam vtrumque traditur, curas honesto secessu commutauit, sono inde virtutum ab Luduico Germaniæ rege excitatus, & è montis S. Petri monasterio in regiam translatus, Moguntiæ pro Otgario anno DCCCXLVII. v. Kalend. Iulij, Archiepiscopus creatus est. Hic quid Luduici

secundo

ſecundo fauore per nouem annos, concilia frequentando, errorèſque exſtirpando, munificentiæ & liberalitatis argumento vario, geſſerit, neque publicæ fidei, neque priuatæ eius Eccleſiæ monumenta ſilent; & poſtquam hæc nos colore rudi ſcilicet adumbrauimus, bonis poſteà limatiſque præconiis, Serarius noſter, ſuis in Maguntiacis occupans, illuminauit. Maguntic. rerum lib. 4.

III

*SVNDEROLDVS Luidberto Archiepiſcopo ſurrogatus eumdem in numerum prodit, quem Trithemius omni ſanctimoniâ & religione conſpicuum, cæleſtibus adſcribit. Regino tamen Prumienſis, à quo Sunzo dicitur, parciùs ad annum Christi DCCCXC. caſtigatiore lectione: *Vir religioſus*, inquit, *ac ſimplex, ſacris litteris ſufficienter inſtructus, qui in Fuldâ monaſterio ſub regimine Abbatis ab ineunte ætate nutritus & conuerſatus ſit.* Ornatum autem infulis addit, Poppone Thuringorum duce, & Arnulpho rege, quem aliunde Fuldenſium pietatem adamaſſe conſtat, annuentibus. Ea Sunderoldi immortali cum gloriâ coniuncta animi magnitudo fuit, quòd luctuoſo regni Lotharienſis tempore, Nortmannis ingenti terrore extrema Moſæ Rhenique fluminum irrumpentibus, ac mediterranea peruadentibus, ipſe inter alios proceres pro patriâ pugnans, in acie profuſâ vitâ, vix guſtato culminis Archiepiſcopalis honore, in occaſu ſuo, fidi reipublicæ principis ſplendorem retinuit; quin ipſo audaciæ genere, vt ea erant tempora, viros quoque Martiales, caſus ſui vigore prouocauit. Porrò ex Meginfrido, vt ſuſpicor, Trithemius in chronicis Hirſaugienſibus, *Sanctum*, inquit, *Sunderoldum ex monacho Archiepiſcopum Maguntinum, virum vitâ ac doctrinâ reuerendiſſimum*, VI. *Kalendis Iulij, quæ fuit dies Sabbati, Nortmanni occidentes, Martyrem fecerunt.* Nec abnuit in chronico ſuo Sigebertus, affectum martyrio, largiore ſcilicet vocis vſu.

**al. Sunzo Sanctus adſcribitur Trithemio in Chronog. Hirſaug.*

Occubuit pro patriâ, Nortmannorum irruptione. Anno DCCCXCI.

Martyr habitus.

IV.

HILDEBERTVS etiam in Magontinâ metropoli Pontifex duodecimus à S. Bonifacio, exſplenduit raris honorum & publicæ dignitatis inſignibus, imperij, quod Otto Magnus in Germaniam inuexit, conſiliis, operâ, domi, foris impertitâ, non expers. Anno DCCCCXXVI. ex Fuldenſi cœnobio, cuius Abbas, ad Cathedram hanc euocatus; mox eius ornandæ ſtudio flagrare: à maiorum obliuione propè obruta monumenta indagare.

Witikind. lib. 2. Regino Lambertus. M. S. Trithem. in Hirſaug. N Serar. in Moguntiac.

 dagare.

Primi Magontinæ sedis Antistites ab Hildeberto in lucem proferuntur. dagare. Ergo decem primorum Antistitum corporibus in basilicâ S. Hilarij repertis, ea decentiore cultu inde in S. Albani augustam ædem anno DCCCCXXXV. transtulit. Hinc Ottonem sequenti anno regem Aquis cingere diademate, Treuirensi & Coloniensi frustrà renitentibus, loci & virtutis prærogatiuâ meruit. Tribuunt illi Archicancellarij munus gestum, Ottone rege, cum vaticinij laude: obiisse Lambertus DCCCCXXXVIII. rectè prodidit; biennio citiùs, Reginonis appendix.

V. FRIDERICVM Hildeberti successorem, priuatæ litteræ Fuldensibus item alumnis annumerant: sed malè tradunt, Ludouico rege & Gerbergâ Ottonis sorore prognatum; quos anno postero DCCCCXXXIX. communi primùm thoro sociatos, Frodoardus eius ætatis scriptor meminit; nisi, quia ab aliis Ducum Lotharienſium stirpe natus proditur, Giselbertum patrem, an fratrem habuerit: qui Dux Lotharingiæ, Gerbergæ *Fridericus stirpe Ducum Lotharingiæ.* prior maritus extitit. Porrò, vt Fuldæ monachum fuisse sit obscurum, Fuldensibus perfamiliarem Regino docet; qui coniurationis à principibus regni Lotharienſis contra Ottonem initæ *Fuldæ reclusus.* reum, testis est, *intra huius monasterij septa reclusum*, & istic in sequentem annum vsque detentum. Argumentum ipsius munificentiæ extat hodieque Moguntiæ Ecclesia S. Petri, domicilio principis extra muros adhærens, instructaque collegio Canonicorum, quos amplis fundis possessionibusque perpetuùm *Ottonis Magni aduersarius.* sibi deuinctos habet. Id claritudini nominis eius hæsisse aiunt næui, quòd pronus ad res nouandas, subitus præcepsque se Ottoni aduersum ferret; vnde & exsilio obsidióque ciuitatis, & aliis casibus fuit spectatus. Id compendio chronica Reginonis ad annum DCCCCLIV. quo diem suum functus est: *Fridericus Archiepiscopus obiit; vir in sanctâ religione strenuus, & valdè laudabilis; hoc vno visus reprehensione dignus, quòd, sicubi vel vnus regis inimicus emersisset, ipse se mox secundum huic apponeret.*

VI. *Hatto vindicatus à murium fabulâ.* HATTO deinde, vno medio Wilhelmo Ottonis Imperatoris filio, dignus repertus, qui Moguntiam, Abbas nuper, Pontificio commendaret: cui, etsi fœdissima murium fabula, gliscente indies errore, illibatæ gloriæ cursum abrumpit, vindiciis *Lib. 4. in 15. Archiepisc.* tamen suis à Serario nostro assertum, excusso nubilo producimus: fide muneribúsque publicis, Ottonis Imperio inter Germaniæ

maniæ proceres ſpectatum;&,quod mihi antiquorum monumenta ſemper loquebantur, ab omni tam crudelis exitus ſuſpicione intactum. Abbatem adhuc, Otto primus Italiam coronæ & dignitatis ergô petens, anno DCCCCLXI. metatorem hoſpitiis Romæ deſignandis præmiſit,cum euocatorum agmine:idque,vt arbitror,ob gratiſſimam Hadamari Abbatis auunculi memoriam; qui longè gratiâ apud Ottonem floruit inter primos.Inde DCCCCLXVII. Ottonis filio Wilhelmo pontificali faſtigio exæquatus,breui curriculo metas attigit:puta ſexageſimo nono eiuſdem ſæculi relinquens humana.

Reginon. Chronic.
Hatto apud magnum Ottonem quo loco.

VII. ERCHENBOLDVS etiam anno Chriſti MXI. quo Willigiſus, gratiſſimæ memoriæ Præſul, Magontiacenſem eccleſiam moriens deſtituit, ex Fuldenſi monaſterio ad longè clariores titulos accerſitus. Is virtutis,ſapientię,ac religionis famâ ſedem Moguntinam illuſtrauit; hoc, eo loco dignior, quòd à ſancto rege Henrico illi eccleſiæ commendatus, & cleri populique inſigni gratulatione exceptus. Virginis Dei genitricis cultor & amator egregius, cuius animi & propenſi in Dei matris honorem ſtudij, editiore Moguntini pomerij ſolo, in campis apertis,eccleſiam Canonicis conſtituit, quæ olim auctoris conſilio D.Virginis,iam S.Crucis titulum gerit.*MXXI. ſalutis anno moriens,in eccleſiâ S. Ioannis ſummæ iam ædi propinquam ſimplici modeſtoque funere illatus, epitaphio licet rudi breuique, glorioſi tamen Archiepiſcopi nomen meruit. Acciderat illud nuper Moguntiaci memorabile, quòd anno MIX. vt Lambertus obſeruauit,eccleſia maior,quam VVilligiſus recèns exſtruxerat, quâ die conſecrata, eâdem incendio periit. Cùm itaque S. Ioannis anguſtior ædes clero primario per id tempus pro ſummâ baſilicâ eſſet,nimirum poſcebat Erchenboldi pias manus,qui tardè ſurgenti moli faſtigium denique imponeret.

Lambert. Marian.MS. & Mogunt. hiſt.
Eccleſia B. Virginis ſeu S.Crucis Moguntia.
**Al. 1020.*
S.Ioannis, quâ conditus Erchenbaldus.
Baſilica primaria reparatio poſt cõflagrationẽ.

VIII. BARDO cognomine Chryſoſtomus, VVederauiâ Opperſhouiorum domo prænobili,rector monaſterij Fuldenſis, Herſfeldenſis potiſſimùm Abbas, vitæ ſanctimoniâ, & oris facundiâ,quàm opibus & potentiâ clarior. Fuldenſis eccleſiæ rectorem dixi, quia ob lubricum diſciplinæ ſtatum, eius præfecturam geſſiſſe vel cenſuram ſtatuo, nec aliam in partem veteres catalogos accipio. Is anno Chriſti MXXXI. Ariboni in cathedrâ

Script. cit. & S.Gothardi acta,Tom.7. Surij. MS.Fuld.

drâ Moguntinâ ſucceſſor datus, inchoata à deceſſore noui templi opera mox ſuſcepit idem & perfecit. Perfectis operibus, in Conradi Imperatoris, & Henrici Regis, filij, & reginarum, ac vtriuſque ordinis principum illuſtri coronâ, baſilicam, adiutantibus ſeptemdecim Epiſcopis, cum plurimis Abbatibus, ipſe conſecrauit. Quod magnificè Marianus Scotus: *Sanctus Bardo Archiepiſcopus præſente Conrardo Imperatore, Indictione* v. iv. *Idus Nouembris conſecrauit monaſterium S. Martini ſedis Moguntinenſis Archiepiſcopatus, imò omnium Francorum, in honorem S. Martini, cum multis Epiſcopis*. Annum hunc, cum eruditis viris, tradimus Chriſti MXXXVI. & monaſterium, vſu tunc loquendi, primariam eccleſiam, cum toto periſtyliorum & officinarum complexu. Porrò ſalutis anno MLI. illud eximium in Bardone; quod Padebornæ, cùm Henricus III. Imperator, magno procerum comitatu ibi ſolemnes Pentecoſtæ ferias exigeret, Bardo inter officia rei diuinæ in concionem aſcendens, ad proceres populumque manifeſto vaticinio cygneum effatus, nempe, vitæ ſuæ ſupremum diem cecinit, &, ceu breuî migrare vellet, omnium iſtic fidelium ſe precibus commendauit: neque menſem ampliùs ſuperuixit, IV. Idus Iunij, Mariano teſte, vitâ feliciter functus. Sanctitatis ipſius, cùm alibi multa, tum apud luculentum ſcriptorem vitæ D. Annonis, egregia teſtimonia. Primum, quod ipſe D. Anno iecerat ad cœnobitas Sigebergenſes prophetico ioco, Simeonem Treuericum ex Græciâ ſanctum Eremitam, & Bardonem ſanctiſſimum vrbis Moguntinæ decus, qui reuerà ſanctitatis ſuæ meritum ambo pluribus commendent indiciis, omni quidem venerationis officio iure coli; eoſque, quia magni prædicentur, magnis vtique & amplis donariis honorari; ſe poſt mortem his imparem meritis, breuiſſimæ ceræ, linique munuſculis fore contentum. Alterum, frequentiſſimo omnis ordinis, ſexus, & ætatis conuentu, in eccleſiæ Maguntinæ atrio, cùm iuxta tumulum B. Bardonis, magno pietatis ſenſu, & perfuſis vbertim lacrymis Anno diuinam hoſtiam libat, conſpicatus apud ſepulchrum ſedere Bardonis quemdam eleemoſynarium, contractis neruis opem valetudinis iam dudum præſtolantem, auſus eſt increpare B. Bardonem, ceu in olim fidi miniſtri propulſandâ ærumnâ æquo tardiorem.

Dedicatio.

Carol. Sigon. in regno Italiæ lib. 8.

Bardonis vaticinium de ſuâ morte.

Sanctitas eius comprobata. Lib. 2. c. 12. apud Sur. Tom. 6. *S. Simeon Treuericus.*

S. Bardo paralyticum ſanat B. Annonis inclamatione.

diorem. Nec mora, ceu in cælos vſque perlata Annonis increpatio, conſanatus è veſtigio æger, reddituſque ſibi. Denique Bardo quoque S. Annoni in admirabili illo viſo obiectus, quo in pleno ampliſſimorum Præſulum conſeſſu, de næuo iracundiæ commonitus eſt. Sed claudo Bardonis memoriam Trithemij encomio. XX. *annis eccleſiæ Maguntinæ præfuit vir doctus & ſanctiſſimæ conuerſationis, atque poſt mortem Sanctorum catalogo inſertus.* Media baſilica ædis primariæ tumulum obtinet, ſed occupata iam veteris memoriæ crypta, per machinam ligneam, in quâ altare D. Martino ſtat conſecratum.

S. Annoni obiectus apud tribunal Lib. 2. c. 25.

Hirſaug. Chron ad an. 1031.

CAPVT XVIII.

Qui Moguntiæ & alibi ex Abbatibus Epiſcopi claruerint.

SIGEFRIDVS item Abbas Fuldenſis, Eppenſteiniorum illuſtri ſanguine, & propinquus Marchionis Saxoniæ Vtonis, quem Lambertus inter regni proceres & opum & dignitatis faſtigio narrat præcelluiſſe. Hic, anno milleſimo vndeſexageſimo deſinente, Lupoldi Archiepiſcopi Moguntiæ ſedem adeptus, & Epiphaniâ ſequentis anni ab Anſelmo Lucenſi Epiſcopo Nicolai Pontificis Legato, conſecratus. In ea incidit tempora, quibus ob teterrimum ſchiſmatis per Henricum IV. excitati factionem, freto atque æſtui ſimilis, agitatus eſt; atque hinc Homerico Diomedi plurimùm ſimilis, neſcires, quorum partibus intereſſet. Ad tutiora & ſalubria religionis plerumque propenſior, vbi Thuringiæ populorum iura non irritarent, quos libertatis tenaces, decimarum onere perantiquo vectigali, premere amabat, hoc grauiore ſenſu oneris, quòd regem inſuper experirentur infenſiſſimum ſibi Saxones & Thuringi. Ceteroqui moderatione animi & ſubmiſſione faſtigij tantâ, vt cùm in imperio proceribus ipſe & B. Anno longè anteirent, priuatæ tamen, adeoque monaſticæ potiùs vitæ modum teneret, quàm eminentis loci dignitatem. Anno MLXIV. in Palæſtinam & ſacra Ieroſolymorum loca, cum plurimis magni nominis Epiſcopis, itineris illius celeberrimi dux fuit, quod huius ætatis ſcri-

IX.

Lambert. Chron. ad an 1075. & ſequent.

Marian. Scotus

Archiepiſcopus Moguntinus factus ab Anſelmo Lucenſi conſecratur, an. 1059. 1060.

in ſchiſmate lubricus.

Homer. in Iliad 5. de Tydide ὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη. *Melioribus tamen addictior.*

Ieroſolymitana peregrinatio celebris à Sigefrido ſuſcepta cum aliis.

Marian. & Lambert. Chron.

ſcriptores egregiè meminerunt, ob peregrinantium ſplendorem, & mirificos caſus, quos, duodecim millium Arabum agmine triduum obſeſſi, pertulere. Septuageſimo eiuſdem ſæculi, cum B. Annone & aliis Epiſcopis Romam accerſitus, cauſſam apud Alexandrum dixit, quòd largitionibus ſacra vendidiſſet, vſitatâ huic ſæculo licentiâ. Sed raro tum ibi ſatisfactionis genere Lambertus memorat paratum fuiſſe, vltrò ſe Epiſcopatu abdicare, atque otium amplecti priuatæ vitæ; quare & ipſius Romani Pontificis auctoritate, & maturioribus præſentium conſiliis ægrè & vix inflexum, vt inchoatis abſiſteret.

Roma cauſſam dixit ob nundinationem ſacrorũ.

*Callætiam

Biennio itaque pòſt ſimulato in* Galletiam itinere, ceu B. Iacobi Apoſtoli limina peteret, in Cluniacenſe, magnâ tum religionis famâ, monaſterium ſeceſſit; dimiſſiſque qui vnà venerant miniſtris & clientibus, & omnibus quæ poſſidebat abdicatis, ſtatuit ibi ſtrepitu mundi longè dimotus, perpetuùm militare voluntariȩ paupertatis ſtipendiis. Sed neque tunc quidem propoſitum tenuit, tam clero quàm populo flagrantibus ſtudiis Pontificem ſuum reuocante. Id quod ſimpliciùs narrat Marianus Scotus: *Eo tempore Sigifridus Epiſcopus Moguntinenſis cauſſâ orationis in Galitiam ad S. Iacobum perrexit. Cùm autem Cluniacum, Dominicâ die, ante Miſſam S. Michaëlis veniſſet, intrans clauſtrum, reſpuit ſæculum. Sed dum mercenarij Moguntinum Epiſcopatum comparare vellent pretio, Sigefridus in obedientiâ S. Benedicti, quam Abbati debebat, violenter compulſus, Moguntiam* VIII. *Idus Decembris rediit, anno* MLXXVII. Rudulphum Henrici antagoniſtam pulcherrimo facinore regem conſecrauit. Hinc variè Eccleſiarum Germaniæ negotiis fluctuatus, cùm modò Gregorij ſeptimi iras expertus reſipiſcit, modò cleri ſimoniæ & turpis mulierum commercij ſordibus inquinati furori parum obſiſtit, denique pacis & Apoſtolicæ gratiæ tenax, anno Chriſti MLXXXIV. in monaſterio Haſunguno, quod in Thuringiâ apud Cattos nuper exſtruxerat condideratque, vitam finiit: atque inibi ſepultus eſt. Præclarè de illo Bertholdus Conſtantienſis Presbyter, accurati ſaniqúe, ſi veterum quis alius, in hac ſchiſmatis cauſsâ, iudicij ſcriptor. ad eumdem annum, *Sigefridus*, ait, *Moguntinenſis Archiepiſcopus, Gregorio Papæ per multas tribulationes adiutor indefeſſus, requieuit in pace.*

Cluniacenſi ſeceſſu ſe reparat.

Vbi monaſticam retexere parabat.

Script. cit. & Berthold. Conſtantienſis.

Magun-

Maguntiacensis ecclesiæ iam albo percurso, quod quidem Abbates Fuldâ profecti eximiè collustrarunt, exspectari potest, vt si qui inferioris ordinis per eosdem doctrinæ religionis ac sapientiæ gradus ad consimilis honoris ascendêre culmen, indicti expertesque laudis non transmittantur: sed *Haimonem* incomparabilis ingenij virum iam Halberstadiensibus olim reddidimus; *Freculphum* Lexouiensibus; quos ambos in illustribus vitis numerant tolluntque Sigebertus & Trithemius.

Haimo Halberstadij. *Freculphus Lexouij.* Loc. cit.

BRANTHOVM tamen Halberstadiensis ecclesia Fuldæ debet; de quo Lambertus ad annum MXXIII. *Brantho*, inquit, *Abbas Fuldensis, Episcopus factus est Halberstat*. Brandagonis nomen Krantzio placuit, quem annis vult quatuordecim istic præfuisse multiplici egregiorum operum fructu. Eius opera Trithemius numerat, collegium S. Ioannis Baptistæ intra vrbem, alterumque S. Bonifacij in Bosleue, ipsius impensis & liberalitate condita.

Branthous Halberstadij. *Brantho.* *Brando.* *Brantoch.* *Brandagus.* Trithem. Hirs. Chr. in an. MXX. *Opera templorum & collegiorum.*

Cur hîc verò S. GOTEHARDVM, fidus ecclesiæ Hildeneshemensis in Saxoniâ prætercam? qui licet non ex Abbate Fuldensi, ex disciplinâ tamen huius non minùs, quàm Altahensis monasterij apud Bauaros, in tantum gloriæ culmen euectus est, vt Hersfeldensi tandem Abbatiæ vicinæ sociæque factus Abbas, reuocatâ veteri morum disciplinâ, sanctitatis & admirabilium operum famâ huius regionis oras latè compleit. Sedit in Hildesiensi Cathedrâ sæculo decimo ineunte anno MXXII. XVI. annis; tum aliis operibus, tum egregio monasterio, quod iuxta ciuitatem S. Apostoli Bartholomæi honori cõstruxerat, perennis beneficentiæ titulum relinquens: in quo quia tumulatus, hodieque Ad S. Gothardum dici meruit.

S. Gothardus Hildeneshemensis. Vitâ eius Tom. 7. Surij. Lambert. Chron. Hirsaug. ad an. MXX. *Monasteriū ab ipso conditum.*

Et LVITPOLDVS quoque huic siderum choro inseratur iure merito; qui Fuldæ quos doctrinæ sapientiæque fructus decerpserat, Præpositus Bambergæ primùm, inde Moguntiæ Archiepiscopus creatus, anno MLI. publicâ laude florentissimus, toto cum Imperio communicauit.

SIGEFRIDVM hinc denuò Hildeneshemensis sedes XXIV. accepit Antistitem ex Abbate, qui Ottonis & Philippi regum intestinis agitatus discordiis, vbi declinatâ partium inuidiâ, Fuldam, positâ tiarâ, rediit, in monte S. Ioannis propè ab oppido,

Sigefridus Hildesheimensis Episcopus. Chronic. MSS. Iacobi Moguntiæ. Krantz. Metrop. lib. 7. c. 29.

pido, monasticæ priuatæque vitæ quietem, turbidis curis anteponens, denique in primario monasterio cum ceteris Abbatibus communem sepulturam adeptus est.

Gundericus Merseburgē. Episcopus. Hēricus Frisingensis. Chron. Aug. S. Vdalrici Brusch. in monast. Ger. Otto l 7. c. 21

His alij annumerant GVNDERICVM Merseburgensium, & HENRICVM FRISINGENSEM, ex Fuldensi item disciplinâ Episcopos. sed de posteriore vereor, vt Ottonis auctoritate, qui sic loquuntur, sese defendant.

S. Adelbertus Prutenorum Apostolus, an rectè Fuldensibus annumeratur.

De ADELBERTO Prutenorum & Bohemorum Apostolo Trithemius constanter ad annum DCCCCLXXX. Hirsaugiensis Chronici: *Claruit his temporibus*, ait, *Adelbertus ex monacho Fuldensis cœnobij, Episcopus Pragensis: vir doctus ac sanctus, ac fidei Catholicæ propugnator eximius; qui post multos pro Christo labores toleratos, à Prutenis pro fide Christianâ martyrio coronatus est, & in Catalogum Sanctorum relatus, colitur* IX. *Kalend. Maij.* Etsi

Leo Ostiens. lib. 2. Vita S. Adelberti Tom. 5. antiq. Lect. Sur. ad 23. Apr. Tom. 2. Cæs. Baron. Martyrolog. & Tom. 10. Dubrauius lib. 6. historiæ Bohem.

verò publicos testari scriptores nequeam, hîc monasticen agitasse S. Adelbertum; qui tamen Magdeburgi educatum legit, & in Saxoniâ nouem ipsos annos commoratum, discendi caussâ, rationis aliquid habet, cur Fuldensem degustasse disciplinam, haud temerè abnuat. Hoc alioquin vitæ genere mirificè delectatum, & Cassinense, & Romana quoque asceteria, ab Episcopo tum frequentata, significant. Et sæpè veritus hîc sum, vt in aliis, sic & in S. Adelberti actis transcursu memorandis, incuriosiùs peruolasse Trithemium. Quodque apud Leonem

Lib 2. c. 17.

Ostiensem fortè legit, Adelbertum Cassino, monitu S. Nili in vrbem reuersum, cupidumque monasticæ, istic ab illustri Abbate Leone ad S. Bonifacium, cœnobitis adscriptum, id arripuisse mox de cognomine monasterio Fuldēsi, cùm Romanum

Adi Baron. Tom. x. in ann. 977.

illic accipiatur, longè celeberrimum; quod & S. Alexij titulo fuit insignitum. de quo Leo: *Ad S. Bonifacium monachalem vestem accepit; sub Abbate, regulâ duce militauit; pedem iunxit obedientiæ imperio; & tamquam ad epulas, ita ad complenda iussa festinus*; quæque ibi alia meminit, admiranda certè, vilissimis ab eo, charitate duce, ministeriis alacriter obeundis, rudimenta Præsulem posuisse. Negari tamen non potest, in veteri Litaniâ Fuldensis ecclesiæ, carmine contextâ, peculiarem S. Adelberto dari locum:

Præsul Adelbertus Christi pro nomine passus
Adiuuet indignos subsidio famulos;

Ac

Ac :ret dominum, qui saluat sanguine mundum,
Vt sit peccatis propitius hominum.

Prȩter eos, quorum iam seriem aliquam, at perbreuem, concinnauimus, complures ad episcopale fastigium alios ex hac palæstrâ prodiisse scimus; & in Fastis ac Martyrologiis eorum vestigia nominum tenemus, sed magno silentio locorum & ætatum; vt, vbi & quando floruerint, cùm ignoremus, vel inuiti elogiis ipsorum hîc supersedeamus.

CAPVT XIX.

Qui in Imperio gestis praclarè rebus, & opibus armisq; noti Abbates hîc extiterint.

VALDE mihi iam metuendum suspicor, ne, qui ex augustissimâ religionis scholâ armatos Præsules educere studeo, pro plausu risum, in hoc Fuldensium antiquitatum Theatro, merear referamque, apud parum æquos, præsertim huius sæculi criticos; qui, cum habitu ciuili, modestiæ & innocentiæ tamquam togâ velati, sagulum sub palliis sæpè gestant, hoc tamen præ ceteris nostræ religionis hominibus nefas esse ducunt graui sub loricâ Bellonæ matri litare, & Christi sacerdotes, pacis & togæ clientes, ad tela ferrumque aliquando se demittere. Fateor sanè, dum vis & iniuria abesset, caussas longè fuisse, vt pedum gladio, mitram galeâ, togam denique loricâ viri sacrati mutarent. At interim verò absq. gladiis successores suos S. Bonifacius in Germaniâ reliquisset, iam dudum Francorum Regum, & veterum Germanorum Principum latifundia, & regalia munera, tum à superiorum ȩtatum harpyis ante pacem Noribergensem, tum à pestiferâ recèns exortâ Hermogenis manu, tandem faucibus apprehensa, & cum ipsis ecclesiis & monasteriis abducta atque strangulata fuissent. Ac disputent interim per me, quantum lubet, pugnentque, ius gladij Petro Petrique successoribus negatum esse, regni & sacerdotij arbitria vnum in hominem confluere non posse; ego cùm altercandi partes hîc non suscipiam, Dei Optimi Maximi sapientiam & collaudasse & suspexisse contentus ero, qui cùm nascentem ciuitatem

Haeretici pacis habitu belligerum cen numen amat. Stat. lib. 1. Achill.

Principes ecclesiasticos cupiunt exarmatos.

Baron. Tom. 11. Annal. ad ann. 1053. de vtroque gladio materiali & spirituali Ecclesiæ concesso.

Adi Ioan. Polemarium de ciuili clericorum dominio, & ill. Card. Bellar. lib. 5 de Rom. Ponuf. c. 7 8 9.

tem ſuam, per Patriarchas, qui eidem reges & ſacerdotes; per Pontifices, qui eidem iudices & populi duces, fouiſſet & amplificaſſet, eamdem à filio ſuo Chriſto Domino, Rege, Pontifice, nouis iam legibus conſtitutam ac formatam, preſſamque ſubinde gentilium Imperatorum multiplici & diuturnâ perſecutione, ſic tandem extulit; vti Reges ſemetipſi ſceptris & diadematis quaſi ſpoliantes, ſacerdotes deniq. Principes facerent, iiſque Prouinciarum & gerundarum rerum arbitria vltrò deferrent, vt locum tandem in Eccleſiæ capitibus inueniret, quod tot antè ſæculis in ſpiritu viderat Iſaias: *Pro eo quòd fuiſti abiecta, ponam te in ſuperbiam ſæculorum.* Præclarè ante CCCC. annos Otto Friſingenſis, cùm hunc locum ipſum idoneè tractaret, & Dei ciuitatem in ſacris magiſtratibus, & Pontifice Romano, tot opibus & tantâ potentiâ locupletatam vindicaret, longè diuerſo quàm ſolet hac ætate ſenſu: *Vt cognoſcamus,* inquit, *non fortuitis caſibus, ſed Dei profundiſſimis ac iuſtiſſimis iudiciis id factum, vide pridie latitantem, ac quemlibet infimæ conditionis virum fugientem, breui tãtæ auctoritatis fieri, vt Regibus imperet, de Regibus iudicet. Vide tantæ à ſæculo venerationis haberi, vt veniant curui, veſtigiáque pedum eius in ſolio ſedentis adorent, orbis domini.* Cùm itaque ſtabilito iam dudum imperio, & per iuſtiſſimas Regum donationes, liberali cauſsâ, iure in Germaniâ & alibi terrarum conceſſo, Epiſcopi ac nonnulli eminentioris loci Abbates, politicæ poteſtatis iura, regalibus acceptis Principum more ſibi ſubdita teneant, regant, ac moderentur; eaque cauſsâ Imperatori Romano deuoti, per varios vſus pacis bellique reipublicæ, ſæpè ſummo fauente Pontifice, operam ornandæ, augendæ, conſeruandæ, more maiorum, fortiter fideliterque nauarint, valdè rerum imperitus ille ſit æſtimator, qui Principum huius monaſterij fortia, & pro republicâ ex officio ſuſcepta facinora recolens, ne laudi imputet, in vituperium quoque trahat. Equidem, ſi ſanior quiſpiam illam laudabilem primorum patrum, & ſine ſtrepitu, religionis illaceſſitam tranquillitatem, cum hoc anxio nec experte periculi, &, vt ita loquar, tumultuoſo principatus negotio comparans, vtrum ex duobus optabilius ſit, ex me cognoſcere vellet, dicerem cum eo, quem anteà laudaui, magno viro, in cauſsâ non diſſimili: *Videtur quidem ſtatus ille*

Eccleſiæ auctoritas quâ potentiâ exornata communitaq.

Ad ſacerdotes ferè trãſlatâ Imperij ſummâ.

Cap. 60.

Otto Friſing. prolog. lib. 4.

Põtificũ maximi ſumma ſupra Reges elata maieſtas.

Principum Eccleſiaſticorum in Germaniâ præſertim conditio & politia.

D. Thomæ interp. ad 2. 2. q. 40. de bello Epiſc. & clericorũ. art. 2. præſertim qui in temporalibus ſupremi domini.

Adi Ludouicum Molinã de Iuſtitiâ, Tom. 1. tract. 2. diſp. 108.

Primæuis inſtitutis poſthabenda.

ille fuiſſe melior, iſte felicior; ac publicè fortè ſecurior. Et creditu haud difficile, quod Leo Oſtienſis de Manſone Caſſinenſium Abbate tradit, etiam hîc euenîſſe multa, *quæ non tam ſtrenuè*, vt ipſe loquitur, *quàm ſæculariter acta* cẽſeantur. Sed longior, quàm volui, in hoc præmuniendo capite fui, gnarus inimicitiarum, quas cæca mortalium ambitio hæreſi inflammata, hîc gerere aduerſus Chriſti famulos aſſolet.

Lib. 2. c. 16.

THIETO igitur primus in Abbatum claſſe ſit; qui claris memorię priſcæ documẽtis publicas in Regum gratiam pacis belliquè functiones ſuſtinuit. Claruit is anno Chriſti DCCCLVI. quo tempore in Hattonis locum, ſuorum electione, & Regis auctoritate ſuffectus eſt. Rex is Luduicus fuit, Caroli Magni nepos, Pij Luduici filius, Orientalium Francorum, & trans Rhenum Germaniæ dominus. Hic cùm inſigni ferocium nationum potentiâ circumdatus, bellicæ virtutis famam obtineret immenſam, à Galliæ proceribus ad fraterna iura turbanda in arma concitatus eſt. Auſus ergo Carolum cognomento Caluum, intra regni ſui penetralia Nortmannico bello tunc diſtractum, ciuilibus armis laceſſere. Ægrè quidem ipſe, & cunctabundus ad belli motus parum pij proſilierat. Quare & hoc nomine à Luduico nepote, qui rerum tunc in Italiâ pro patre Lothario ex Imperatore monacho, potiebatur, & Nicolao Pontifice nuper electo correptus, & officij admonitus; magnam curam adhibuit, vt per idoneum quem Antiſtitem & Oratorem, Pontificis & nepotis animos ſibi placaret, factique rationem ſui apud eos exponeret. Coierant inde primùm apud Andernacum, anno DCCCLVIIII. in inſulâ Rheni fratrum Regúmque legati; & Baſileam quoque Luduicus adierat, vt iſtic de pace cum Carolo paciſceretur. Intereà, celebri ſuis indicto conuentu, Thieto Fuldenſis cœnobij Abbas, vnus omniũ maximè viſus idoneus, qui Alpibus ſuperatis, Italiam adiret; cauſſamq́. pacis & defenſionem apud Luduicum Regem, & Nicolaum Pontificem, ſuſciperet. Is igitur, quo par adparatu, iter aggreſſus, felici ſucceſſu vtrobique negotio geſto, eodem anno regreſſus, apud Brigâticum lacum Regem offendit; cui, cùm legationis munere expoſito, induſtriam iuxtà ſuam probaſſet, impetrato commeatu, ad Fuldẽſe monaſterium, plenus gloriâ, rediit.

MS. & Annal. Francorum Pithœani.

Bello ciuili à Luduico Germania rege aduerſus Carolum Caluũ excitato.

Lotharius Prumiam monachus incolit.

Thieto Abbas orator de pace in Italiam miſſus.

SIGE-

Sigehardus aduersus Sclauos copias eduxit.

SIGEHARDVS quoque religione domi ſpectatus, ſed publicè pro regni Germanici ſalute & incolumitate aduerſus Sclauos ſumptis armis, Francorum antiquis hiſtoriis illuſtrior, Luduici item Regis amicitiâ, & filij Carlomanni bellicâ ſocietate, nobilis.

HVOGGI Abbas, quâ præſtantiâ muneris in Luduici Arnulphi filij palatio multis anteierit, admonet me titulus in veteri diplomate à Rege datus, quo *venerabilis frater, ſacríque palatij Notariorum ſummus*, ſalutatur.

HILDEBERTVS Sigehardo gloriâ ſuperior, iterùm nobis memorandus; qui, etſi in Moguntinæ eccleſiæ faſtigio clariùs eluxerit, Fuldenſis tamen educatio, tantum illum effecerat, quantus in Imperio domi foriſque poſteà claruit. Hic, quia Ottonem Magnum, Regem, vt diximus, inunxit, à Widichindo Saxone ſcriptore, quem Conradus Vrſpergenſis, & Trithemius imitati, hoc laudis præconium tulit: *Hildebertus Franco genere, monachus profeſſione, nutritus & doctus in Fuldâ monaſterio, & ad id honoris meritò progrediens, vt pater eiuſdem loci conſtitueretur; deinde ad faſtigium ſummi Pontificatus Moguntiacæ ſedis proueheretur. Erat enim vir miræ ſanctitatis; & præter naturalem animi ſapientiam, litterarum ſtudiis ſatis clarus: qui inter cetera gratiarum dona, Spiritum prophetiæ habuiſſe prædicatur.*

Witichin. lib. 2. Vrſpergen. Chron. ad an 937. Trithem. in Hirſaugien. Hildeberti præconium.

Hadamarus Abbas Ottoni Magno carus, & Friderici Moguntini Archiepiſcopi corrector.

HADAMARI etiam Abbatis eodem ſæculo apud Ottonem Magnum, cùm primùm regni gubernacula pro Henrico patre tractare cœpit, & gratia fuit & nomen haud obſcurum, Friderici Archiepiſcopi Moguntini, ſeu priuilegio veteris diſciplinę, ſeu damni dati titulo, ſemel iterúmve domitor & corrector. Magnos conſtat pro generis & honoris amplitudine Fridericum geſſiſſe ſpiritus, calamitoſum tamen aduerſis extitiſſe; & Ottoni Saxonumque nouis honoribus parum amicum. Culpat in illo quoque Witichindus Corbeienſis cœnobita immodicum in nomine monaſtico caſtigando zelum; cùm illorum ſententiæ inter Epiſcopos alios fuiſſe prodit, *paucos ſatius videri vitâ claros monachos, quàm plures negligentes in monaſteriis verſari, immemorem dicti illius patrisfamilias zizania ſeruos colligere prohibentis, ſed volentis vtraque & zizania & triticum creſcere vſque in meſſem.* Porrò ſuſpicionem hinc commouit Fridericus,

ceu

ceu Hadamari Abbatis dignitati, & summæ apud Regem gratiæ infestus, hos ad ipsius Fuldensis monasterij subruenda honoris fundamenta cuniculos admoueret. Quâ de re ipsum audire loquentem Witichindum sit operæ pretium, vt Hadamari claritatem vel hinc agnoscas: *Fuerunt quidam, qui summum Pontificem Fridericum, hoc non purè, sed fictè sensisse fecisséque arbitrati sunt; quatenus venerabilem virum, & regi fidelem Abbatem Fuldensem Hadamarum, quoquomodo posset, dehonestaret. Ipse enim erat magnæ prudentiæ & industriæ; sub cuius temporibus templum famosum Fuldense ex igne consumptum est, & ab eo restauratum, & multò maiore decore perfectum. Hic Pontificem Fridericum sub custodiâ tenuit, secundâ coniuratione culpabilem; primùm honorificè, sed cùm litteras ab eo scriptas deprehendisset, satis seuerè. Pontifex verò dimissus, dum vltionem quærit, & contra tantum virum leges non præualerent, humillima monasteria auctoritate tentauit, vt ad excellentissima æqualiter procederet; sed huiuscemodi simulationes incassùm profusæ. nam Abbas in gratiâ & amicitiâ regis permansit: & caussis interuenientibus, Pontifex, quod cogitauit, non impleuit.* Luculentum hoc à Witichindo de Hadamaro testimonium; vti nec obscurum, quod in Chronicis S. Vdalrici Augustanis, Cardinalium collegio adscribitur. Vtrumque fortè superat Rogeri præclari scriptoris vitæ S. Brunonis Agrippinensium Archiepiscopi: *Hadamarum venerabilem monasterij Fuldensis Abbatem, Romam à Brunone ad Agapetum Pontificem, impetrandi pallij caussâ, honorificâ legatione missum, synodicâ epistolâ ab Archiepiscopo conscriptâ; rediisséque ingenti populi Agrippinensis gratulatione, pallio non solùm cum amplissimo priuilegio impetrato, vt quoties vellet, eo sacerdos vti posset, sed importatis quoque de S. Pantaleonis martyris proprio corpore, sacratis reliquiis*; quarum honori & memoriæ, Bruno nobile deinde cum templo monasterium in Agrippinensium Coloniâ posuit, & dedicauit. Hadamarus autem, pestilentiæ morbo per Germaniam mirum in modum sæuiente, anno Christi DCCCCLVI. extinctus est; vnusque inter Abbates spectabili loco sepulchrum in Occidentali choro, supra S. Bonifacij cryptam accepit, cuius semirutus titulus, nisi vestigio tenus, iam legitur:

h . . . ADAMAR : : : ab : : : BAS.

Margin notes: Lib. 2. sub finem. — *Hadamarus inde Friderico non concors.* — *Ecclesiâ Fuldensem flammis corruptam restaurat.* — Anno Christi 936. — Anno 948 & seq. — MS. — *Cardinalium fertur numero adscriptus.* — Apud Sur in Octob vitæ cap 23. — *Romam Legatus ad Agapetum Pontif. à S. Brunone Coloniensi mittitur, pro pallio & reliquiis.* — Reginon. & Sigebert. an. 953. — *Reuersus peste moritur.*

At ipſius memoriæ ſcriptum, poſteriore tamen ætate, verſu rhythmico epitaphium hoc, in antiquis ſchedis repertum eſt:

Ceſſit naturæ vir laudis non obituræ,
Hadamar ille decens, perpetuoque recens.
Inter primores, ſtellas quaſi Luna minores,
Iſte decus nimium, ſidus & eximium.
Hoc decorante viro, fulſit par Fulda ſaphiro;
Tunc ſpeculanda Sion, nunc miſeranda Sidon.
Ergo vir hic talis, tibi Fulda pater ſpecialis,
Tunc Noëmi clara, nunc ſed amara Mara.
Non tibi decedat, rarò vel ab ore recedat:
Quod fuit ipſe tibi, ſit Deus ipſe ſibi.

Eius item Orientali parte baſilicæ, fronte oſtij ſiniſtri, breuis & religioſo Abbate digna hæc extat memoria:

FLECTE GENV QVI INTRAS, CHRISTVM
TV PRONVS ET ORA
PRO PECCATORE HADAMARO ABBATE.

al. VVernharius antiq. inſcrip.

*WERHNER ſeu WERNERVS Abbas Ottonis ſecundi, qui vetuſtis priuilegiorum monumentis, *fidelem ac dilectum Compatrem*, eum ſalutat, lætâ iuxtà triſtique fortunâ domi, foris, inclaruit. Nam Imperatori obſequiis adeſſe pro communi ſalute patriæ parum ratus, arma viroſque foras in extremas Italiæ regiones pro tuendis Imperij finibus, & annuente ſummo Pontifice, & ſummo Imperatore iubente, protulit. Nam anno Chriſti DCCCCLXXXIII. Calabriam ingreſſus, quam Græci, accerſitis Saracenorum auxiliis, iniquâ ditione premebant, prœlio atrociſſimo implicatus eſt; quo Tranſalpinus exercitus, Romanorum & Beneuentanorum ſubſidiis inopinatò deſtitutus, ferociſſimis Saracenorum armis obiectus, tantâ clade attritus eſt, vt præter illuſtrium capitum & fortiſſimorum virorum ſtragem, Imperator vix fugâ ſalutem ipſe inuenerit. Wernher etiam Abbas, dum pugnantium intermixtus agmini ſe telis hoſtium offert incautiùs, in acie cecidit. Sunt, qui cladis huius magnitudinem cæleſti vltioni, tum vitio quoque deputant ſacrorum præſulum, qui bello Apulo militarunt. Wernherum manu pugnaſſe, incompertum; militaſſe belloque interfuiſſe, & permiſſio, & huius temporis conſuetudo, & principalis faſtigij

VVerhner Ab Calabrica intercit expeditioni. Lambert. an. 982. Leo Oſtien. Chr. l. 2. c. 9. Vita S. Vdalrici. Sigebert. Marian. *Occumbit in acie aduerſus Saracenos.* Adi I. V. C. ſuper Can. Clerici. 50. diſt. & Silueſt. v. Bellum. 3. q. 1. & 2. & ſcholaſt. ad D. T. l. o. cit.

gij

gij conditio, ob cauſſas, quas dixi, noxæ aut culpæ forſan eximant. Laudant domeſtici, Chronica Auguſtana S. Vdalrici; quibus & Wernherus traditur, huius Diui materterâ ſatus; nec non Cardinalium Romæ numero allectus. Idibus Iunij occubuiſſe, Lambertus meminit. Eius retinemus haud vulgaris beneficentiæ monumenta, collegium Canonicorum in Thuringiæ finibus, cognomento Borſla, gratam quondam S. Bonifacio ſedem. Paradiſum etiam, quem vocant, intra monaſterij ſepta, cùm periſtylo aliiſque tectorum ornamentis, tum auguſto S. Ioannis oratorio condito magnificum.

S. Vdalrici conſanguineus, & Ecclesiæ Rom. Cardinalis.

Borſla vel Breſlobum Canon. Colleg. exſtruxit: Fuldæ opera varia.

CAPVT XX.

Continuatio Abbatum togâ & exteriore vitâ præſtantium.

RICHARDI Abbatis ob rem monaſticam egregiè geſtam, memoria me quoque ſollicitat, vt eum ampliſſimæ laudis argumento miſceam; quippe religione & morum diſciplinâ redditâ effecit, vt poſteri politicæ dignitatis amplitudinem, & feliciùs haberent, & ſecuriùs adminiſtrarent: vnde adhuc audias, etiam in magno ſæcularis pompæ luxu, & militaris ac aulicæ vitæ contagio, hoc ſæculo decimo poſt Chriſtum natum, hîc & *cœnobitas Apoſtolicæ conuerſationis, & Abbates eximiæ ſanctitatis.* Iniit ipſe munus ſuum, poſt Henrici Imperatoris exordia; cumq. aduenas trans mare monachos S. Benedicti noſſet, inſigni perfectioris vitæ ſtudio ac ſeueritate diſciplinæ, ex Scotiâ veniſſe in Germaniam, dedit operam, vt ad excutiendum ſuorum torporem, & accendendum exemplo virtutem, complures Scoticæ gentis monachos Fuldam accerſeret; horumque accuratis vitæ doctrinæque ſtudiis, veterem pietatem ac eruditionem apud ſuos excitaret. Id quod Marianus Scotus non ſiluit, qui & Amichadum monachum Scotum in Fuldenſi monaſterio vitæ ſanctimoniâ clarum, celebrat ad annum Chriſti MXLIII. quo & obiit; quippe is priſco ritu iſtic arctiùs incluſus, eâ ſanctitatis opinione vixit, vt ſuper eius ſepulchrum & cæleſtia viſa lumina, hauſtæque voces angelicæ pſalmodiæ.

Richardus Abbas religionis ſuæ ac diſciplinæ amator.

Lambert. Chronic. diuerſ. locis MS. *Romam adit.*

Scoticæ gentis monachos adoptat.

B. Amichadus Scotus Fuldæ claret.

L 2 Porrò

In S. Gothardi vitâ, & Trithem. in Hirsaug. Chron.

Richardus adest Synodo Siligenstadensi.

Porrò Richardo Abbati stimulos hosce pietatis ac noui feruoris subiecisse rear, Synodum illam, quam anno primo indepti muneris, Seligenstadium Aribo Moguntinus Archiepiscopus conuocarat; quamque princeps inter Abbates Richardus, præsentiâ quoque suâ illustrauit. In eâ capita fuerant complura, ad disciplinam Ecclesiasticam & tranquillitatem ecclesiarum tuendam sancita. Richardi quoque nomini fauit Theodoricus Hersfeldensis, vicini monasterij doctissimus monachus; qui ingenij sui monumenta, de S. Benedicto elaborata, Richardo Abbati inscripta voluit. Ipse demum à domesticis *habitum, tonsuram, & regulam S. Benedicti* perfectam cœnobitis suis reliquisse proditur; & duo condidisse monasteria: videlicet, Amerbachense, quod in Franconiæ recessu non procul à Mœno S. Simplicio dicauit; & alterum, quod in ripâ fluminis Fuldæ *haud longè à præcipuo monasterio, S. Andreæ honori exstruxit.* Vitâ functus anno Christi MXXXIX.

Richardus vitam moresq́; suorum composuit.

Duo monasteria condidit.

M S & acta, & Lambert. in Chron.

Romam cum Henrico II. profectus.

Ibidem.

Abbas consecratus est.

ROHINGVS Sigewardi successor, expeditione Italicâ, celebre quoque nomen inuênit; cùm sede Romanâ à Tusculanis Comitibus, per varia comitiorum dissidia & ambitum oppressâ, ad eam vindicãdam, & imperij diadema capessendum, Henricus II. magno cum exercitu in Italiam contendit. Anno itaq. salutis MXLVI. Sutrij Episcoporum habito Cõncilio, cùm placuisset, deiectis aliis, Swidegerum Babenbergensem Episcopum, virum & probitate & litteris insignem, summos honores adire, & Clementis secundi nomen ferre, inde Romam agmine promoto, Rohingus insigni dignitatis suæ commendatione, die Christi natali ineuntis anni MXLVII. in amplissimo Romæ procerum theatro, eodem tempore à Clemente Papâ Abbas consecratus est; quo, ipse Pontifex factus, & Henricus ex Rege Imperator. Neque gaudiis his diu Rohingus superfuit; illis eodem anno, mortalitate expletis.

Widerardus Eppensteinius Sigefridi successor.

Lambert. chron. 1059.

WIDERADVS Abbas, monasterij Fuldensis gubernacula, etsi in fortunæ malignæ nubilo, & difficillimo schismatis tempore, speciosissima tamen opibus, potentiâ, & rei militaris vigore, capessiit, Sigefridi ex Abbate Moguntiacensium Archiepiscopi successor, & Eppensteiniæ stirpis cognatione proximus. Obseruo autem, huius monasterij Antistites, hac ætate armorum

morum & togæ parem sustinuisse curam: quare ad alendam fortitudinem bellicam, & armata obsequia reipublicæ exhibenda, fortissimorum virorum & nobilium clientium circum se semper habuisse manum, ad subita præliorum & solemnia expeditionum paratam; cui ducatum is præbuisse, & cum Imperio præfuisse putetur, qui signiferi Fuldensis nomine à Lamberto celebratur: cuiusmodi duos ipse, animi indole & præliorum auiditate memorat insignes, Reginhardum Comitem, qui anno MXL. Henricum Regem Bohemicâ expeditione secutus, in nemore fortiter prælians occubuit; & Regenbodonem, qui MLXIII. pro Wideradi Abbatis honoribus decertans, in Goslariensi ecclesiâ, ab Hildenesheimensis Episcopi factione, trucidatus est. Signiferum verò tunc eumdem, & belli ducem fuisse, clarè Dodechinus in prœlio Saxonico quodam memorat, vbi de Egberti Marchionis signifero loquens in anno Christi MLXXXIX. *Cædis initium*, inquit, *ipse signifer & dux exercitus sui fecit*. Græci vocarunt Βανδοφόρον, constatque in Francicâ gente fuisse primę nobilitatis, tum ex Ducum creatione, tum scriptoribus iis, qui palmam nobilitatis tribuunt iis, qui bandi aut vexilli gauderent insignibus. Ceterùm, quia Wideradi casus, & res gestæ historiam integram exigunt, faciam, vt ex Lamberto, & prædicabilem viri integritatem, & suspiciendam in paucis pace belloque potentiam, cognoscas. Primùm ab ineunte ætate, narrat, pede grauiter claudicasse, ad Regis comitatum, magnâ vi hominum & bellici apparatus instructum accessisse; Thuringorum gentem, contra Henricum quartum, & Sigefridum Moguntinum Antistitem, ob decimarum acerbissimas exactiones commotam, spem omnem in VViderado & Hirsfeldensi Præsule collocatam habuisse; *quòd hi ecclesias decimales plurimas, & prædia infinita in Thuringiâ haberent*; denique Wideradum fortunis abundasse tam amplis, vt in cunctis Galliarum ecclesiis, Fuldense monasterium emineret. Porrò infausta ætatis suæ aucupia notans, quibus Abbatiæ & Episcopatus in Henrici tertij palatio venales publicè prostabant, Fuldensem quoque *à Roberto Babebergensi Abbate, cognomento Nummulario*, sollicitatam meminit. Quippe Regi centum auri pondo promissa, vt *eiecto eximiæ sanctitatis viro Abbate VViderado*,

Rei militaris freques vsus hac ætate.

Cui pro Abbate Signiferi præfuere, cuiusmodi celebrantur, Reginhardus Comes & M S. Folden. Chron. & in Abbat. indicel 4. antiq. *Regenbodo.*

Signifer idē qui dux belli.

Rigordus in gestis Philippi Franc. Papir. Masson. in codē. Pithœus in lect. var.

Fuld. antistes vexilla bina prætendit insignibus, an à Vexilliferis antiquus?

VVideradi dignitas & amplitudo potentia.

Lambert. in an 1071. *Infamis Abbatiarum & sacerdotiorū nundinatio.*

 sibi

sibi Abbatia Fuldensis traderetur. Verùm & onera militaria, & armorum tractandorum studia, inuitis etiam Antistibus malignè imposita, & ægrè ab illis frustrà renitentibus interdum suscepta, haud pauca documenta sunt, ex quibus elucescat. Nam & Imperatorum ambitione auaritiaque crescente, sæpè ad augendum copiarum numerum, & explendam militum, id est nobilium equestri dignitate, cupidinem, erogare sacra patrimonia, & iis, vt loquebantur, in beneficium tradere coacti sunt: sæpè quin ipsi Præsules durissimis imperiis euocati, neque ætatis neque valetudinis excusatione, contra maiorum disciplinam, vacationem à militiâ impetrarunt; cuius rei in VVederado nostro memorandum prodit exemplum in anno Christi MLXXV. Lambertus, quando Henricus IV. Saxonicæ genti infestus imminebat: *VVederadus Abbas Fuldensis iam per biennium ita paralysi dissolutus erat, vt nisi baculo aut ministrorum humeris innixus, nusquam progredi posset. Eum tamen nec iam molesta valetudo excusare poterat à militiâ, id potissimùm curante Rege, vt omnium Principum suorum titulis ac fascibus quàm maximè insignem faceret expeditionem. Cumque ad locum coadunandi exercitus, feruentissimâ æstate, vehiculo sedens, pergeret, strepitu circumfusæ multitudinis, & vi concitati pulueris suffocatus, penè spiritum exhalauerat. Relatus in monasterium Breittingense ad amnem Visurgin situm, à stupore quidem mentis post paululum respirauit, nullum tamen vltrà verbum proloqui potuit: atque ita deinceps per* VI. *hebdomadas grauissimâ corporis molestiâ decoctus*, XVIII. *Kalend. Augusti, humanis rebus exemptus est. Vir planè feruentis in Deum fidei; suis tamen omnibus admodum inuisus, propterea, quòd in diebus eius Fuldense nomen multis calamitatibus vehementer attritum, & penè omnino obliteratum fuisset*. Atque ita Abbates iam tum istâ ætate Principibus Imperij annumeratos, hancque ipsam, domi, foris inter pacis bellique ministeria dignitatem obtinuisse, compertum est. Iam verò per succedentes ordine Præsules, consimilis argumenti decora, promere non arduum sit; atque in Henricis aliquot, Marquardis, Conradis, Berthois, crescentis quoque potentiâ viribusque Principatus, gestis bellis, exstructis, coëmptis arcibus, conditis oppidis ostendere vestigia: sed antiquiora nos hac lucubratione rimati sumus; quæ vulgatis iam chartis circumferuntur,

Principes ecclesiastici & sacri sæpè ad expeditiones & onera belli à Regibus tracti inuiti.

Cum præsenti iactura dotum ecclesiarũ & vita.

VVederadus ita concidit.

Breittingensi monasterio exceptus.

Abbates eo tempore Imperij Principes.

Qui honos suo incrementis paulatim adoleuit.

Reseruatus aliorũ stylo.

runtur, pleraque ceu nimis obuia notaque refugimus: etsi quoque vehementer piget illorum tẽporum, quibus Henricus IV. & V. huius filius, aliique nonnulli secuti Cæsares, ecclesias Germaniæ ac monasteria sceleratè perditum ierunt; *cùm*, vt ille ait, *passim tunc non quæreretur in Abbatibus eligendis, quis digniùs præesse, sed quis cariùs Abbatiam posset emere.* Vnde non sine ingenti probro Stephanus Halberstadiensis Episcopus in Epistolâ, quæ apud Dodechinum legitur, Henrico V. obiicit inter alia dedecora, ob quę meritò communione piorum eiectus sit, *Abbatiam Fuldensem ab eo nefariè pro adulterio fuisse venditam.*

Schismatis quanta improbitas.
Lambert. in Chron. ad an. 1075.
In anno 1090.
Abbatiæ Fuldensis proscriptio, an prostitutio.

An verò astruendæ Abbatum potentiæ exemplum seruiat, quod magnus hac ætate vir in litteris, vnde, nescio, vsurpauit, cùm Abbatem huius Ecclesiæ scripsit *sexaginta millia bellatorum præbuisse in hostem*, non facilè definiero: quin *sexaginta milites*, legerim potiùs; quomodo equestris ordinis homines appellabant maiores: quorum modus & numerus in externâ præsertim militiâ, vt sumptu constitit non vulgari, ita est, pro meâ obseruatione, moribus huius ecclesiæ Præsulum attemperatior.

Nota anceps potentia Fuldæ Abbatum examinata.
V. C. Iust. Lipsius Centur. III. Miscellan. epist. 27. vbi cit. Alberti Chr.
Equites nobiles, militum tulere nomẽ.

Caput XXI.

Prima declinatio monasterij Fuldensis.

SCITVM illud, ab ipsis rerum primordiis nihil à mali vicinia intactum stetisse. In ipsa sanctimoniæ ac cælestis militiæ castra Lucifer, damnatorum ac perduellium spirituum antesignanus, malum inuexit: primorum parentum incunabulis, suum stygius serpens venenum infudit: in Apostolico collegio, & sanctitatis ipsius contubernio, repertus etiam Iudas dux & signifer quidam sceleris & improbitatis. Sed ne altiora repetam, huius Ordinis institutori ac parenti S. Benedicto ille ipse cœtus, à quo magister vitæque moderator expetitus erat, insidias struxit, & poculum etiam letale propinauit. Quæ cùm ita sint, fragilitatis humanæ haud agere gnari videntur, qui inter homines eam disciplinæ constantiam, ac nusquam decrrantis æquabilem vitæ tenorem flagitant, ceu Angelos quosdam in cælestibus domiciliis, non autem mortales erroribus ac vitiis obno-

Religionibus & familiis quoque sanctissimis obrepere boni maliq; vicissitudinem.
B. Greg. lib. 2. dialog. c. 3.

obnoxios, in magnis huius vitæ tenebris, versari cogitent.

Fuldēsis monasterij exordia spinas rosis internatas.

Huius itaque humanæ inconstantiæ & fragilitatis Fuldense monasterium, etsi inter exordia quasdā velut scintillas iecit; erumpentibus tamen aliquando malis, flammarum exitialium vim, quas hominum temeritas & audacia suscitauit, ægrè vix sistere potuit.

Abbatum crebræ deiectiones.

In leuissimis itaque numerauero crebras deiectiones & honoris abdicationes, quæ Regum auaritiam, & omnia sacra peruertendi libidinem consequi necesse tum erat, quando ducum, aut militum stipendia, & infamium liberorum solatia &

More pessimo eius ætatis.

nutrimenta, non erant alia, quàm Christi cleriq. & monachorum patrimonia. Quo modo post Pij Luduici obitum, Abbatias velut sub hastâ sectas, sæpenumerò prædæ fuisse memorant Francici scriptores, & mox, post Ottonum interitum, sub Henricis, auctionibus subiectas iisse venum, passim apud nostrates lectites: denique posterâ ætate, Aduocatis, quos voca-

Aduocatorū & Ministerialium insolentia.

bant, & Ministerialibus, reuolue singularum ecclesiarum Annales, quid rapacius & auarius? vt meritò hæc munia tandem benè magno redempta, & longè ab illustribus familiis relegata sint. Et tritum hîc illud; *Si multi magnates suum cuique ecclesiæ restituere haberent, ad casas & egestatem reuersuros.* Hac itaque temporum morumque licentiâ, nil expectari potuit aliud, quàm ad gratiam inuidiamque mortalium, cuiuspiam maleferiati arbitrio, deiici legitimos possessores, suffici subinde nouos, ac de-

S. Sturmij persecutio.

mum infima summis, sacra misceri profanis. Vt igitur Sturmionis insectationem, quam illi maleuolorum calumniæ pepererant, in præteritis ducam, illa ante omnes non tacenda dissidij labes, nascenti cœnobio perniciabilis, quâ tota congrega-

Fuld. congregationis schisma contra Ratgarium Abbatem tertium.

tio aduersus Ratgarium tertium Abbatem, quem mirâ nuper concordiâ sibi præfecerat, scissa atque diuisa, in magnas se turbas motusque coniecit. Enimuerò, cùm perennem discordiæ segetem, oues inter & pastorem, satanę ministri alerent, & Ratgarius non pœnitendus alioquin Antistes, in asperiora versus, malum bono vincere nesciret, denique membra tam longè à capite suo abiere, vt nisi Regum auctoritate, huius dissidij vul-

Carolo Magno datus supplex libellus.

nera non coalescerent. Hinc Magno Carolo adhuc superstite, libellus supplex ille datus est, argumento multarum querelarum, quo status monasterij inter ortus sui prima germina flaccescen-

cescentis, & graphicè describitur, & iustè deploratur. Porrò Ratgarius vir genere nobilis, & ad magna natus, non tam culpâ suâ, vt mea quidem opinio fert, quàm interuentorum, exasperasse videtur cœnobitas; qui recentis instituti zelo flagrantes, perire sibi veteris disciplinę rigorem nolebant; vnde, cùm exulceratis, vt fit, vtrimque animis, Præsul summo iure nusquam cedendo, congregationem premit, & omnium à se voluntates abiungit, Luduici Imperatoris ope imploratâ, excedere gubernaculis, & vitam eum complecti priuatam, placuit, postquam xv. annis spectabili magnificētiâ, monasterio pręfuisset. Agnouere eum veteres Francorum Annales, qui ad annum DCCCXVIII. *Ratgarius Fuldensis cœnobij Abbas accusatus à fratribus, & conuictus, deponitur.* Domestici, recenti adhuc vulneris cicatrice, liberè quoque in eius nomen inuecti. Candidus certè, cuius tamen monumenta hac in parte lacera sunt, inter accusationis capita memorat, *austeritatem indiscreti pastoris, quo sedente, non pauci monachi, prætextu alicuius vtilitatis ad alia monasteria extrusi sint, propter quamdam*, vt ipse loquitur, *paruissimam responsionem necessariæ dictionis: &, quod eo tempore dictu & visu miserabile fuit, senes atq. decrepiti absque vllâ miseratione ad locá diuersa trahebantur inuiti.* Hinc in carminum libro Modestus Râtgarium præclaro schemate expinxit, iuxta eum monocerotis imaginem ponens, infesto cornu in ouium gregem incurrentis: additque versus Candidi:

Ratgarij purgatio.

Luduico item filio congregatio supplex Ratgarium abdicat.

In Ratgario, quid culpatum.

Monocerotis schemate austeritas expressa.

Contigit intereà senio morboque peresum
Sturmen, qui fuerat primus fundator & Abbas
Cœnobij Fuldensis, ab hac quoque luce migrasse,
Credimus in lucem semper sine fine manentem.
Cuius post obitum concordi voce boantum
Baugolff eligitur, larga Germanica proles,
Ritè pater, præcessoris porrectus ab ore.
Hoc iam cessante successit Monoceros, qui
Fortè gregem sibi commissum (res fœda refertur)
Nescio quá fronte stimulis agitabat ineptis,
Donec vi nimiá, pastum, fontesque fluentes,
Dulcia namque loca & stabula alta coactus
Deserit, atque fugá regnis decessit auitis.

Ratgarius Monoceros.

Luduici Regis auctoritate depositus.

M Specta-



RATGARII ABBATIS SCHEMA.

Spectator & pars huius diſſenſionis ipſe Rhabanus; qui Ratgarij cultor & alumnus licet adprimè pius, ſciſſuræ tamen huius non celat vlcus in Poëmate, cui de Tranſitu monachorum titulum dedit:

Ex quo ſeditio noxia dudum
Inter nos orta eſt, nemo valebat
Lenire hanc precibus, nec dare finem.
Creſcens ſed nimiùm tempore multo
Aucta eſt, perque dies ſorte malignâ
Vaſtauit populum, patris ob iram.
Dureſcit qui animo, & cedere neſcit.
Trux deturbat oues, cæde cruentat:
Nullius miſeret; ſæuit in omnes.
His commota malis, turba relinquit
Antiquum ſtabulum, fit peregrina.
Læſis vna ſalus pergere longè eſt.

Ceterùm in hac Fuldenſis monaſterij ſolitudine, & turbatioribus cœnobitarum animis, ſaluberrimum adhibuit conſilium Luduicus Imperator, qui florentiſſimæ nuper congregationi grauio-

Cuius iuſſu ſubmiſſi rei componendæ.

grauiora metuens, ilicò sapientissimos moderatores, & labanti sustinendæ disciplinæ non impares, ex Occidente submisit. Fuerunt ij Aaron & Adalfridus, probatâ doctrinâ & integritate monachi, qui cum cohorte præstantium sodalium Fuldam profecti, cuncta ibi in optimam disciplinæ formam redegerunt, & suffragiorum iure ab Imperatore obtento, procumbentem monasterij statum, præclarè restituerunt, auctores, nisi fallor, egregiorum operum, quæ vicinis inde monasteriis, quà pietatis, quà doctrinarum studiis, totâ Germaniâ, non solùm in Fuldensi congregatione, emicuerunt. Testem habeo Candidum huius ætatis scriptorem:

Aaron & Adalfridus Italici monachi aut Galli.

Qui totâ Germaniâ monasteriam exornarunt.

Hinc quoque sublato siluestri Monocerote
Improuisa citò surrexit regia cura;
Hluduici, qui semper erat melioris amator
Vitæ, qui monachos casto dilexit amore:
Quem Deus omnipotens sospem de sede paternâ*
Conlocet in regnum lucis, sedemque beatam:
Misit ab Occiduo hic monachos, qui maximè nostros,
Quin & finitimos fratres, hincque inde cubantes,
Mores & studia, leges & dogmata patrum,
Incœpta incipere, & lapsa renouare docerent.

Hluduicus Pius quantâ religione in vitam monasticam.

*sospitem

Caussam itaque perspicimus huius propensissimi in Fuldensem congregationem Luduici Imperatoris affectus; qui eousq. processit, vt cùm rebus Fuldæ constitutis, iam tum surrogando Abbati, Luduici bonâ pace suffragiorum ius reuocari cœnobitæ cuperent, atque huic rei legatos *Adalfridum*, *Odilthoum*, *Reccheonem*, *aliosque* qui famâ iudicij vel auctoritatis anteirent ceteris, ad eum mitterent, Imperator non benignus modò præsentium votis annueret, sed præclaris vitæ morumque præceptis instructos, ad propria dimitteret. Ratgarius verò magistratu defunctus, exilij quoque pœnam subierat, longiùs fortè deportatus, quò ne rerum nouarum adesset occasio. Sed Aegil Abbas eius in locum suffectus, nobili Christianæ mansuetudinis documento, nec intactus fortè à memoriâ recentium meritorum, tandem apud Luduicum effecit, vt pristinis illum sedibus restitueret. Quod Candidus in Aegilis vitâ notauit: *Inter alia misericordiæ & pietatis opera, hoc misericordiæ bonum probabiliter*

Restituit congregationi ius suffragiorum.

Legati adeũ missi primores.

Aegil Ratgary successor eum ab exilio reuocat.

 liter

liter egisse laudatur; quòd antecessorem suum, quem quondam cum sociis quasi persecutorem fugiendo vitabat, cùm esset causâ illius inquietudinis ab Imperatore in exilium missus, vnà cum fratrum suorum petitione, de exilio liberauit. quorum fidem atque misericordiam adeò mirabatur Augustus, vt diceret, eos iuxta præceptum Veritatis pro persecutoribus suis veraciter exoràsse. Rediit igitur Ratgarius, & in monasterio mõtis B. Virginis, vbi olim & mansio S. Bonifacij, & accolarum Fuldæ prima parœcia, tranquillioris vitæ studio prouectus ad meliora, vt auctor huius monasterij, & nobilium operum inchoator extitit, sic & ibidem tumulum adeptus est, non sine præconio vitæ ad posteros transmissæ laudatioris. Ex sepulchro, quod fanatica rusticorum turba, communi Germaniæ tumultu, superiore sæculo, dissipatis cineribus eius, violauit, lapis superstes ad tẽpli meridiem inscriptus, sic ibi legitur:

Quod clementiæ genus laudauit Cæsar Luduicus.

Ratgarius S. Bonifacij montem, Deiparæ matris honori, cœnobio exornat.

Et exitu laudato vitam claudit.

NOMINE RAITGERI CREDAS CONSVLTA DOCERI:
VNDE VELINT SCIRI NOBILIS ACTA VIRI.
FVLDA TIBI RECTOR PRAVI FVIT ISTE RESECTOR,
TE PIETATE COLENS, NOBILITATE VOLENS.
HOC OPERAM DANTI, QVOD HONORIS ERAT SPECVLANTI,
STAT DOMVS ISTA DEI, QVAE SVA DEBET EI.
DEMVM PRIVATVS VIXIT VIVENDO BEATVS,
LIBERIVS SOLA VERA MERENDO BONA.
AEVO MATVRVS, SINE FINE DEO FRVITVRVS,
QVIPPE DEVM SITIENS, NEC SIBI SVFFICIENS.
FELIX DECESSIT, FELIX IN PACE QVIESCIT,
SVMMA PARANDO SIBI, FVLDA FRVENDA TIBI.

Porrò, quæ deinde fuerit, Aegile monasterium administrante, concordia & pax animorum consecuta, vitæ scriptor prosequitur: *Fuit quippe in diebus eius,* inquit, *fratribus pax, cor vnum, & anima vna in Domino. Nec erat qui turbaret monasterium, in tam delectabili concordiâ roboratum. Obedientiæ bonum non solùm Abbati, sed & sibi inuicem cum summâ reuerentiâ exhibere gaudebant; scientes se per hanc obedientiæ viam ituros ad Deum. Adeò enim hic venerabilis vir, sospes & alacer in hoc suscepto regimine vsque ad finem vitæ suæ perdurabat; vt numquam illi cõgregatio, nec ille congregationi monachorũ vllam molestiam perturbationis videretur inferre.*

Aegile Abbate, quàm floruerit congregatio.

Obedientiâ.

Animorum vnione.

CAPVT XXII.

Prolapſio quædam, ſed mox ſubleuata.

QVAM breui confinio, virtutis vitiique ſedes alternent, ſęculo ineunte decimo apparuit. Quippe Ottone tertio rerum potiente, & mox Henrico Claudo ſuffecto, ex Laurisheimenſi monaſterio, Branthoo exauctorato, Popponis ductu cœnobitę huc diſciplinæ cauſsâ miſſi ſunt. At Branthous, cùm Regis iudicio monaſterium deſerit, vtique lugubrem iſtic rerum omnium faciem reliquit. Nam, quos ea tum ætas Fulda cœnobitas habuerit, ex Meginhero veteri huius monaſterij ſcriptore repetit Trithemius*; additq. Henricum Regem Monaſterio Fuldenſi multa detraxiſſe vectigalia, & poſſeſſiones auitas pleraſque in alia diſtribuiſſe monaſteria. Id, quod pro temporum iſtorum moribus, & Regum in eccleſias auctoritate, tranſlatitium fuiſſe, Henrici teſtantur ipſius acta. Primo quippe regni ingreſſu Synodum Tremoniam in Weſtphaliâ conuocans, grauiter de corruptis eccleſiæ clerique moribus, cum Epiſcoporum cœtu, queſtus eſt. Inde ad morbi depulſionem, ac diſpicienda remedia conuerſus, omnium excitauit animos, negotium hoc Epiſcopis ſedulò commendans. Romæ quoque Auguſtalibus affectus honoribus, cùm orbis vniuerſi eccleſiam, in præſentiâ ſpectatorum Germaniæ Principum, auitis maiorum donationibus, & prouinciis, inſulis, terrarumq. ſpatiis donaſſet, ipſum viciſſim Benedictus Pontifex, vt erat illud æuum, Fuldenſis Abbatiæ moderatione, cum tranſalpinis ceteris Apoſtolicæ ſedi ſubiectis, honeſtauit. Et clara ſunt monumenta vetuſtatis, Walonem Corbeienſis in Saxoniâ prænobilis cœnobij Abbatem, ob vitæ ſolutioris haud leuem culpam ab Henrico dimotum; & * Menuerci Padebornenſis Antiſtitis operâ diſciplinam iſtic loci reſtitutam. Eamdem quoque legem ſubiiſſe, ne dubita, Fuldenſes: & loco ſuo clariùs eluceſcet. Nubes hæc quædam fuit, non ſchiſma, caliganti licet religionis aſtro interpoſita: cuius obſcuritatem oſtendit diſertè ſcriptor vitæ S. Gothardi in viciniâ noſtrâ: *Bernharium quippe Herſfeldenſem*

Henrico Pio regnũ ineunte, Fuldenſe monaſterium inſtauratur, Laurisſâ ſeu Laurisheimio monachis accerſitis.

* Hirſ. Chr. in an. 1010. & 1012.

Ademptæ & ſucciſa monaſterij facultates.

Hẽricum & Cunigundem liquet plurima Fuldenſi eccleſiæ ſub Poppone & Richardo Abbatib. donaſſe.

Ditmarus lib. 7. ex quo Ill. Baron. Tom. XI in an. 1005.

Reformationi eccleſiæ impigrè ſe dedit Hẽricus.

Vitæſcriptor, & Chronographi.

Fuldẽſis Abbatiæ ius illi cedit.

Diploma apud Illuſtr. Bar. Tom XI

VValo Abb. Ditmar. qui ſup an. 1015.

Corbeienſis Abbatiaque reſtituitur.

* *S. Memuuercus Paderborn. inſignis Epiſcop.*

 denſem

densem Abbatem narrat, *opibus licet & dignitate clarum, laxiùs tamen habuisse disciplinam; atque biennio ante obitum, valetudinis caussâ concessisse in monasterium S. Petri, quod ipse trans Fuldam vicino in monte condiderat. Ibi cùm procul curis, inter militum & familiarium scilicet cœtus viuit molliùs, vt communium fratrum in magnâ rerum inopiá querelas irritauit, ita cœnobij primoribus vitæ solutioris aditum aperuit. Vbi igitur cœnobitæ Hersfeldiæ*, loquor verbis antiqui scriptoris, *instar Canonicorum res proprias sibi vsurparent, haberentque & priuatas ædes & equos, & magnam cultiorum vestium copiam, aliaque id genus mundi huius pompas & fastum redolentia; possentque pro suo arbitratu & dare & accipere, & agere conuiuia præter fas & decorum, S. Gothardus, iussu rogatuque Henrici Regis, huc in locum defuncti Bernharij missus est: qui monasticæ famæ decus abolitum illic reparauit; ipsamque ciuitatem Hersfeldiam à superuacaneis & ineptis ædificiis liberatam, monastico cultu, aptisque sedibus instruxit; adductis eò præstantibus integritate morum aliunde cœnobitis, quorum exemplo scilicet inquilini saperent*. Ceterùm obscuriùs nostrates, horum conditionem temporum attigêre; dedecoris metu, an reuerentiâ maiorum. In actis Abbatum sic lego: *Anno Domini* MXIII. *mense Maio, ab Occidente ventus insolitè irruit, hic plura subruens ædificia, & malorum portenta afferens: nam Iunio mense, quamquam splendidè exstructum sub gremio S. Bonifacij monasterium, iussio Imperialis solo tenus exstirpat, quasi barbarico superuolitante incendio. Quin & momento temporis ipse Abbas huius loci, Brantoch nomine, ordine suo & solio sine humano iudicio est destitutus; omnisque ferè congregatio extricata, incertis sedibus fatigabatur: nec non Lauresheimenses fratres, cum suo pastore, in locum nostrum sunt subrogati*. Attamen vel per obscuri sermonis nebulam, intelligitur hîc facilè cum Hersfeldensibus Fuldenses eâdem censurâ oppressos.

Bernharius Hersfeldensis Abbas viuit laxiùs.

Hersfeldensium cœnobitarum dissolutã vitam

S. Gothardus astringit, mutatis ædificiis & religioni aptatis.

Monachos & aliunde adducit.

Fuldæ consimilis reformatio.

Chron. Frãcofar. lib 4.

Aedificia sæcularia subruta Imp. iussu.

Branibous Abbas amotus.

Cœnobitæ dispersi.

Laurissâ, seu Laurisheimensi monasterio euocati noui.

CAPVT XXIII.

Motus sub VViderado Abbate.

ALIA adhuc huius monasterij à capite diuisio, quæ quidem notabilis extiterit, incidit in Wideradi Abbatis regimen, quæ ipsius quibusdam erratis, vt nihil ex omni parte beatum

VViderадi Abbatis procella.

beatum inter mortales, concitata, plus audaciæ, temeritatis, & mali exempli, quàm discriminis habuit; compresso mox, & inter initia castigato iuuenum malè consulto furore, qui auctores seditionis extiterant. Rei gestæ seriem scriptor coætaneus Lambertus, quia prolixè euoluit, ac propè tragicè eamdem exequitur, hûc adire Lectorem equidem malim. Coniuratio certè grauis illa fuit, sed coërcitio immoderatior, cùm ad sæcularia tribunalia tracti viri sacrati & ignominiâ publicâ notati, verberibus plagisque seruilibus excepti, tergo deñique luerunt. Sed hoc quidquid disciplinę serenę nubilum interfusum, Scoticæ gentis monachorum insignis, quæ per hosce annos in Fuldensi congregatione floruit, pietas ac religio discussit. Nam Marianus Scotus, vbi Christi amore peregrinum solum natali antetulit, B. Amichadi reuerentiâ memoriaque tactus, Fuldæ includi se voluit; atque ita decennio præclari ingenij animique sui dotibus monasterium hoc illustrans, seuerioris vitæ doctrinæque multifariàm hîc igniculos sparsit iecitque. Ipse in sancti Amichadi discessu: *Ego Marianus Scotus decem annis inclusus super pedes (B. Amichadi) stans quotidie cantaui Missas.* Verùm nec ita quidem plenè sese erigere monastice potuit, quin, superantibus interdum vitiis, mores antiqui profluerent, & cupiditatibus sanè multi fræna laxarent. Faciem illam monasticæ labentis vicinus nobis Lambertus ad annum MLXXI. expressit. Nec reor communis periculi exsortes Buchonios degisse, quando vndecimo sæculo superueniente, queri audio liberè domesticos, omnia tristia, cunctasque calamitates, quoddam habuisse Fuldæ regnum: & Gotifridum quoque Abbatem, ob Henrici factionem, loco motum. Censuram tamen in corrigendi auctoribus pretium est annotare. quæ longè fuit certè à sæculi nostri conditione. Quid enim huius ætatis à Luthero censores, à Caluino reformatores? pennas nimirum incidi oportere cœnobitis, ne renasci possint; exsecari eorum artus, vt ne vmquam coalescant. Quin voti ac operæ fuerit has Libani cedros, has felicissimas arbores in Ecclesiâ Dei, abusque radice truncare, quò crescendi spem posteris omnem prorsus eripiant. Renouant igitur ipsi quotidie, & vt sunt mirabilium rerum captatores, à Pharaonis ætate miracula repetunt, imitantes scilicet macras illas & ob famem

In anno 1063.

Scoti monachi Fuldam adeunt, in quibus & Marianus.

In anno 1059.

Corruptela cœnobiorum.

Earum censura, & corrigendi modus salubris. Vt contrà hæreticorum exitialis.

famem inexplebiles regis Memphitici boues, quæ conſumpto immenſaque ingluuie vorato nitido & opimo pecore, priſtinâ tamen macie & deformitate ſuâ ſqualebant. Ita, cùm multis in hac Germaniâ noſtrâ dynaſtis tanti Chriſti patrimoniorum acerui non pluris fuerint, quàm ſi imbrem in cribrum geſſiſſent, facilè patuit, ſacrilegia nulli ætati ſtabile vectigal peperiſſe; quin dominis plerumque ſuis, vt aurum Toloſanum, perniciem attuliſſe, fugaci ſemper exitu reperto, vnaque comitibus relictis penuria pœnaque. Quamobrem ſapientiſſimi maiores noſtri longè meliore cōſilio, ſolertes ſecuti agricolas, quos inter cœnobitas ſoli cæliq. conflictari iniuriis, nec fructus vberioris ſpem ſuſtinere cernerent, eos in arua deducere lætiora, vel inſitionibus adiutare non piguit, magnâ ſingularique curâ, trans Alpes mariaque petitis & euocatis monachis; quorum opera vigilantiaque maciem ſoli ſterileſcentis, & in praua denaſcentis, edomarent, ac denique peruincerent. Vt enim cultores hortorum ij, qui tuendis, nouandis, repurgandiſque viridariis ſuis aſſiduè intenti, germina alia erigunt vinciuntque ſoluta, alia obtegunt teneriora, alia aduerſus plagæ frigidioris infeſtationem defendunt,

Translationes & propagationes cœnobitarum.

Jnutileſque falce ramos amputant,
Feliciores inſerunt:

perinde Antiſtites haud pauci cordati, ne plantaria hæc religionis eximia, & ſtirpes virtutis omnigenæ feraces, perirent funditus & exareſcerent; ex Italiâ, inſuliſque Britannicis, aliiſq. melioribus locis cœnobitarum quaſdam tranſtulere propagines, quorum indole & germanâ culturâ, ſilueſcentes aliorum animi reuireſcerent, & ab æſtu ſæculi, horum ſcilicet & irrigatione ac benigno fotu reuocati, creſcerent ad fructum immortalitatis. Quod certè ſtudium cùm in aliis, tum in Annone magno Colonienſis tum eccleſiæ ſanctoque ſacerdote, præcipuè laudatum eſt. Ceterùm, tametſi plurimis Germaniæ monaſteriis non ignorem hanc inſediſſe tabem ambitus & auaritiæ, quam mirè Lambertus exaggerat, non paucis tamen hac ætate locis aliis, obſeruo emerſiſſe raram diſciplinæ morumque ſanctimoniam; nec non per Alemaniç Sueuiæque fines, media inter ſchiſmata, admirabilem exarſiſſe in hominum animis, communis

S. Annonis in hoc genere ſtudium.
Berthol. in Chron. Conſtant.
Petrus Cluniacen. epiſt. variis.
Monaſtica & vita communis in Alemaniâ, & Cluniaci in Burgundiâ flores.

munis vitæ feruorem. Etiam in Burgundiâ tunc nata Cluniacensis monasterij castigatior viuendi ratio: quæ cùm latissimè ad alia Germaniæ loca disseminata fuit, tum anno Domini MLXXXV. in vicinam nobis Thuringiam, ad ascererium Rheinersbornæ, ocellum & delicias, veterum Thuringiæ & Hassiæ dynastarum, peruênit; vbi à Luduico secundo Comite, cui nomen à saltu, magnifica sedes familiæ S. Benedicti recens condita; & vnà istuc ex Hirsaugiensi monasterio deducti cœnobitæ, instituti Cluniacensis æmuli. Huius autem tum efferuescentis disciplinæ frigida hæc Buchoniæ loca num quidquam afflarit, ambiguus, vel neganti propior, nihil in vtramque partem habeo, quod affirmem.

Histor Langr. Thuring. edit. Ioan. Pistoris

Rheinersbornna monasterium S. Benedicti Cluniacen. discipinâ.

CAPVT XXIV.

Descriptio reliqui status vsque ad sæculum decimumtertium Christi nati.

TRISTIOR etiam hinc Abbatiæ facies extitit, cùm Ehrloffus ex Morbachensi monasterio, renitenti quoque Congregationi, malo more & exemplo, Abbas ab Henrico Imperatore anno salutis MCXIII. datus. Et huic animus licet bonus, caussa tamen erat mala à schismate; vt quidquid ageret, & quoquò se verteret, odium à suis meritò referret ac inuidiam. Fuit, cùm ipse cœnobitas quoque captiuos habuit in exedrâ piaculari: iamque fortunæ priscę permultùm sanè vacillabant, & ob asperitatem censuræ filij palàm discordes, patrem auersabantur. Intereà Mars & bellantium furor ecclesiam quacumque peruadebat. Quare Ehrloffus, refero cum priscis, *tamquam astrum fatale exagitabatur*, postquam in communi patrię & monasterij luctu, anno ab ortu Christi MCXX. pars maxima veteris templi, versus Orientem, ruinâ suâ procidit. Venerat id temporis Fuldam Henricus Imperator lectissimo procerum cœtu ordinis vtriusque comitatus. qui cuncta hîc hausta exinanitaq. cernens, inopiæ nec inopinatæ quidem ingemuit, at subleuandæ non fuit. Tanta quippe erat sacri profligatio patrimonij, vt vel septem Abbatum continuâ serie refici œconomia, & calcu-

Ehrloffi Abbatis regimen inquietum.

Bellorum & populationũ mala.

Basilicæ Fuldensis ruina.

Monasterij inopia, quam

N lus

Marquardus Abbas subleuat, sed

lus cum monasterio poni non posset, donec Marquardus tandem Abbas aliunde accersitus, mersis pænè rebus, ceu propitium ac salutare sidus alluxit. Hic enim Conradi Regis immortali erga ecclesiam Fuldensem beneficẽtiâ studioq́ue, tempestatis eius procellam iis præsidiis auertit, quæ olim ipsius Marquardi oratio patefaciet. Ceterùm exerta vis mali, præsertim quo tempore, Paschali Romæ sedente, & Henrico V. schismatis fluctus excitante, recruduêre sopiti bellorum motus.

Monasterij vltima ærumna succrescunt.

Nam tunc Germaniæ dynastis, & præsidibus ecclesiarum in mutua viscera ferro flammaq́ue grassantibus, rabies etiam hæc alita veteratis iniuriis, in ditionem hanc item incubuit. Hinc Abbas Vrspergensis in Chronico suo ad annum Domini MCXVI. *Vndique vastatis agris, villis depopulatis, oppidis ac regionibus nonnullis in solitudinem iam pænè redactis, deficiente quotidianâ clericis per ecclesias præbendâ, cessabant in quibusdam ecclesiis clericalia nimirum officia; & ô effusum calicem furoris Dei, locupletissimum illud, & per totam Germaniam famosissimum ac principale cœnobium Fuldense, vsque ad vltimam redactum est inopiam, victus etiam necessarij.* Sed hoc, vt dixeram, inopiæ probro, Marquardi sollertiâ absterso, Lauernionum seges quędam mox erupit, quæ propugnaculis, turribus, arcibus, vt sors aut certamina ferrent, infessis, perpetuum Abbatibus crearunt armorum gymnasium. Vnde frequenti satellitio clientum, & ministerio bellico domi foris accincti, incredibile dictu, in magnâ obsequij impatientiâ, quantum, ad hoc genus prædonum coërcendum, ecclesiæ vectigalium decesserit, expensumq́ue sumptui ipsa vix ferendo tulerit. Atque ista interim monasterij detrimenta, vicinorum dynastarum lucra & accessiones quædam extitêre.

Prædonum regnum.

Quibus impensis toleratum, aut imminutum.

Religionis diuersa facies. Lib. 1. de vir. illust. Ordin. S. Benedicti. cap. 9. Littera F.

Religionis interibi quis hîc vultus? Multiformis vtique. Inuenio apud Trithemium, cuicuimodi reformationis, nec obscuram restitutæ per hæc tẽpora disciplinæ famam; cuius nixu partuq́ue felici, *multis pòst annis, deuotio maxima hîc viguerit monachorum.* Extant item in archiuo Fuldensi plurima Monasticæ fraternitatis iura, cùm variis monasteriis & religiosorum familiis inita & renouata: in quibus etiam cum ecclesiâ Cluniacensi pactum fœdus legitur anno MCXCVII. Iam quoque non obscura documenta suppetunt, ea quæ Benedictus XII. serò post

Fuldensis ecclesia cu Cluniacensi fœdus.

Inno-

Innocentium III. & Clementem V. de cœtu siue capitulo triennali cogēdo, sanciendæ ac retinendæ disciplinæ maiorum decreuit, cordi item Fuldensibus fuisse vt perpetrarent. Enimuerò, Cæsare Luduico Bauaro grauiter cum Apostolicâ sede dissidente, anno MCCCXXXVII. complures Abbates, Henrico præsule fauente, Fuldam conuenerant, vt ex Benedicti decreto, quod hodieque in summi templi archiuo legitur, primum prouincialem cœtum inchoarent. Verùm Imperator capitis & fortunarum periculo proposito, Benedicti Pontificis inuidiâ, conuentum illum tunc disiecit, discussitque.

Cap Cùm in singul. de statu monachorum.
Conuentus triennales.
Chron. Erfort. ad Lamberti Chron. appendix.

Sed vt ad priora regrediar, ingens Fuldensis disciplinæ detrimentum in disperditione fortunarum, & necessarij victus inopiâ, non semel obseruauimus. Atque vt ille dissolutionem Imperij ostendebat, si fructus, quibus Resp. sustinetur, deminuerentur; ita benè monasterium id ego consistere posse non putabo, vbi frugalis erogatio & sumptus victusque necessarius Dei seruis subtrahitur. Postquam igitur expeditionum & belli impensis plurimùm tribui cœptum, & captandi spe maiora, ambitiosis obsequiis frequentare Regum aulæ; plurimùm quoque res abiit, disciplina periit. Et immissi externi, siue Principes, siue Antistites non rarò, auidi in aliena, atque vtinam non rapaces, qui vel discordibus cœnobitarum studiis, vel Abbatum languidis fractisq. vel ætate vel iniuriâ officiis, irrepserunt.

Fortunarum & temporalium rerum iactura.
Tac. Annal. lib. 13.
Ex bellicis impensis.
Immissionibus Principū

Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus sub annum Christi MCCXLVI. Conrado Malkosio Abbate, mox Berthoo Marckecellio *VVernherus Archiepiscopus*, moderatores labenti rei, at parū felici successu admoti Pronis ergo tum ad casum fortunis,

Ordinis sacri,

Rudulphus Habsburgius Rex anno salutis MCCLXXXII. Moguntiaci degens, dilapidatam, vt vetus diploma loquitur, & ad extremam inopiam delapsam Fuldensem ecclesiam, Berthoi Abbatis & cœnobitarum impetratâ voluntate, suscepit: illiusq. possessiones & repetundarum negotia *Eberardo Comiti Catzenelebogensi permisit.* Is in sexennium eas ancipiti fide per se aliosque administrauit: voluitque Rex dè consilio Abbatis, Comitis, ac trium rectè institutorum monachorum Deumque timētium, mores intereà collapsos restitui, & monasticam disciplinam erigi. Sed & hìc illisa in scopulos monasterij nauis. Quippe Co-

Politici. Rudulphus Rex.
Eberardus Comes Catzenellebogēsis.

 mes

mes inexplebili cupidine, dum auream quasi messem nactus, rerum ex asse potitur, absens, præsens vectigalia, census, fructumque ceu vortice corripuit. Inde exactorem *Bertholdum Liebsbergium* nihilo abstinentiorem suo loco misit: qui cùm notos, ignotos largiter ex alieno pascit & auget, morbo quasi cælitus immisso, fugatus est. Hinc exeunte sexennio, ceu, serâ iam in fundo parsimoniâ, vnum ex omnibus habitę cum abstinentiæ & æquitatis laude prouinciæ celebratum à maioribus inuenio, *Nicolaum Scharpfensteinium*, domo nobilem virum. Vniuersè verò posteris hoc veteri verbo cautum, quod ad Fuldensem ecclesiam referebant:

Alta paue, laicosque caue; tibi proxima prosis.

Henrico de VVilnau gubernante,

Cauere tamen ita non potuit, sibique prodesse, quin Henrico de Wilnau salutis anno MCCLXXXVIII. ad munus Abbatis assumpto, tutela in exteræ conditionis Principes declinaret.

Abbatis à Conuentus mensa separata.

Natum tūc ex perpetuo inæqualitatis malo illud temperamentum, quo Marquardo decano fortiter insurgente, partitione factâ, congregationis annona, ręditus & alimenta, ab Archimandritæ vectigalibus separata sunt. Quâ in caussâ, cùm validiùs quàm ferret, Henrici auctoritas Romæ oppugnatur, ipse tandem in Adolphi Nassouuij consanguinei Regis patrocinium

Adolphus rex curiam Fuldensem administrat.

confugit; eique domi militiæque sociatus, curiam Fuldensem in sexennium administrandam tradidit, commodo nescias maiore an damno: armis quippe publicis Imperij, multa inimica loca debellauit, nec pauca in potestatem vi redegit, fauente ei caussâ Regis.

Quia verò toties aliàs, & sæculo pręsertim Christi quartodecimo, miretur quispiam, nobilissimas maiorū gazas, & tot ętatibus congestas opes, & ornamenta templorum, ita abiisse, & propè ad nihilum recidisse, caussas & origines quisquis memoriâ repetit sparsim à nobis tacitè collocatas, is facilè perspiciet, benè concinnatam initio fabricam, sine subuertentium pernicie, raró dissolui. Nos certè, quia remotioribus stylum commodamus, quæ inde ætate nostrâ, hæresi se vndatim superfundente, malorum ilias influxerit, bonis rerum arbitris priuatim potiùs æstimandum relinquimus, quàm vt publicè litterarum vestigiis persequamur.

FVLDENSIVM ANTIQVITATVM LIBRI II.

ARGVMENTVM.

VETERIS *templi structuram nõ vniusmodi; & præsertim eam celebrat, quæ Aegili Abbati tribuitur: Basilicæ quoque dedicationem sanè quàm illustrem, cum cœmeterio veteri, Candidi & Rhabani fide, describit. Hinc, vbi interitionem templi, & ignium clades, queis basilica concidit, eiusdemq́ reparationes iteratas tradidit; ad Sanctorum patrocinia, tumulos & lipsana descendit, quibus olim præclarè templum enituit. Sed in his, diui Bonifacij nobiles exuuias impensiùs offert spectandas. Monasterio principe, cum suis ornamentis, ante oculos ita posito, inquirit in eius membra, partesq́ iure & imperio quondam illi subiectas; id est, in vtriusque sexus cœnobia, collegiáve arctiore obsequij vinculo; aut piorum operum quadam liberâ societate, cum maiore colligata. Libri verò clausula, rei cuiuspiam aut ritus vetustioris parergon habet, vsus & gustus haud fortè triuialis.*

INDEX CAPITVM.

FVL-

FVLDENSIVM ANTIQVITATVM LIBRI II.

CAPVT I.

De sancti Bonifacij templo.

TEMPLVM, quod apud Fuldam omnium primum S. Bonifacius posuit, decennio antè quàm martyrio occubuit, exili, neque firmâ molitione, lineamenta dumtaxat, & areæ vestigia retulit, quæ magnificentiore cultu posteri occuparent. Quâ de caussâ Sturmionem Abbatem, cui regimen congregationis Martyr crediderat, Princeps operi inchoato manus adhibuit; atq. templi veteris molem, columnis serie dispositis explicuit, tecto item imposito nouo. Figurâ verò fuisse ab initio quadratâ, porticus & cryptæ docent, quas, lunatis hemisphæriis adpactis, Sturmio primùm extulit. Condiderat autem aram S. Bonifacius ad Orientem; à quâ non procul, crux defixa: propè ab hac arâ, vt tumulari mortuus optauit, ita venerabilem mox isthic à martyrio quietis locum est adeptus. Altaris huius à Bonifacio positi ac consecrati, haud obscura apud veteres memoria; nec perinde celebratur ædes, quam hic ipse primus erexit. Illud constat, data singularia B. Lullo mandata, vt Ecclesiarum structuras à S. Bonifacio inchoatas pro virili quoque suo contexeret educeretque: *Tu, fili mi carissime*, apud Willibaldum aiebat Sanctus, *structuram in Thuringiâ à me cœptam Ecclesiarum, ad perfectionis terminum deduc. Tu populum ab erroris inuio instantissimè reuoca, & ædificationem basilicæ iam inchoatæ ad Fuldam comple; ibidemque meum multis annorum curriculis corpus inueteratum perduce.*

Templi veteris figura.

S. Bonifacij primus tumulus.

S. Willibaldus in vitâ S. Bonifacij, & Othlonus.

Translatio S. Bonifacij Vltraiecto Fuldam. *duce.* Id quod moderante Numine, vel inuitis Wiltaburgi inquilinis, inde perfectum, qui, cùm Vltraiecti cæsi Martyris corpus retinendum putarent, admonitu campanæ sponte sonantis exportari passi sunt. Affuitque supernè maius omen, quando oneris sacri baiula cymba, aduerso celerior amne, remigum sine labore Magontiacum vsque cucurrit; & illic v. Iulij tricesimo à martyrio die, in ripâ se stitit. Inde extis religiosè dereptis, quę hodieque istic in veneratione sunt, corpus Martyris honorificè Fuldam abit; & coruscum miraculis, vrnâ, optato pridem loco potitur. Porrò, quod ad situm sepulcri; inter exordia, liquet, Martyrem porticu seu arcuato opere inclusum, medio templo versus ortum solis in absidâ quieuisse; atque distinctis interuallis, hinc à Septemtrione Liobam, præstanti religione & exploratæ sanctitatis feminam, quæ virginibus Bischofheimiensis monasterij præfecta fuerat, inde Sturmin Abbatem, ad Australem plagam, pari item sanctimoniâ, in suâ quemque absidâ conditum. Vnde Candidus agens de posteriore consecratione basilicæ, cùm altiora repetit:

Nicol. Serar. rer. Mogunt. lib. 3. Not. 47.

SS. Bonifacij, Liobæ, & Sturmij sepulcra.

Excipiuntur enim infecta hinc altaria bina;
Vnum, quâ Martyr mediâ testudine templi
Antè fuit; aliud quâ Sturmi corpore quiescit,
Ac digna Liobgyd pausans Bonifacio neptis
Sola iacet, busto mulierum sorte sepulta.

Surius in Septemb. xi & c. 23. Illustrat hanc primi templi varietatem quoque Rudulphus in vitâ S. Liobæ. Nam, cùm à S. Bonifacio olim optatum, maiores natu meminissent monachi, vt Lioba mortua sibi iungeretur, ipsiusque velle ossa componi cum suis, intulere quidem venerandum Abbatissæ pignus Fuldam suum in templum; sed, quia sanctum sepulcrum beati Martyris aperire, metus iuxtà vetabat ac religio, *de communi consilio placuit illud sepelire ad plagam Septemtrionalem altaris, quod ipse sanctus Martyr Bonifacius ædificatum, in honorem Domini Saluatoris nostri & sanctorum duodecim Apostolorum eius dedicauerat.* Ita Rudulphus, S. Liobæ præco egregius. De quâ virgine moneo, Liobgydæ nomen ei à Candido datum, Anglicâ scilicet originatione. Nam licet Ebba mater prodigiosè natam Trutgebam appellarit, cognomentum addidit tamen à charitate, Liebam nuncupans, quia fuisset dilecta.

c. 6. vitæ.

Id

Id verò nomen, vtique suis in epistolis non semel S. Bonifacius, sed productiùs vsurpauit, Leobgytham, vt hîc Candidus, appellitans; quam xxxi. epistolâ, præclaro elogio, *venerandam Christi famulam, & charitate sincerissimâ perpetuùm complectendam*, salutat. Et, quia in Angliâ Tettam Winbrunnensis Parthenonis Antistitam, S. Liobæ educatricem fuisse, ex Rudulpho constat, à cuius etiam gremio virginem hanc S. Bonifacius abstraxit, iterùm iam moneo, epistolam xxv. prorsus videri non Teclæ, Beddæ, Dedę, similique lectionum varietate, sed Leobgythæ, & huic Tettæ, vnius aliquando monasterij alumnis, inscribendam. Neque nescij tamen sumus Teclam virginem consanguineam Liobæ hæsisse, in Bischofeshemio Germaniæ Partheneio: quæ si in epistolâ hac intelligitur, ratio vix occurrit idonea, cur ei Antistes Lioba postponatur. *Epist. S. Bonifacij illustratio.* *c. 10.* *c. 17.*

CAPVT II.

De Basilicâ ab Aegile Abbate exstructâ vel absolutâ.

NÔBILIS decore & operis famâ ædes exstitit illa, quæ, Aegile Abbate, magnis impensis surrexit; in quâ celeritatem cum magnificentiâ certasse dixerim, si vnius anni curriculo tanta moles excitata fuit. non enim plus temporis inter Aegilis electionem & basilicæ dedicationem interfluxit. sed non pauca occurrebant, cur iam inde à Sturmionis obitu, Baugolfi & Ratharij quoque studia hîc interuenisse, coniicerem: nunc etiam ex vetustis Abbatum actis pro comperto tradam; cùm Baugulfum lego, Orientale templum fabrè struxisse; Ratgarium verò, *ritu sapientis architecti*, illud, Occidentali adiecto, immensâ magnitudine & arte, cumulasse; ac denique, hanc cum illâ copulando, vnam fecisse ecclesiam. Accuratè à Francorum scriptoribus, huius basilicæ origo publicis monumentis annotata. Neque Candidus abnuit, quin Aegil Abbas mox, vt potuit, ad operis perpolitionem aggressus sit. Eius hîc narrationem, vt aliàs sæpè, proponam: *Non multo posthac*, ait, *temporis interuallo, cœpit hic venerabilis vir, magno diuini cultus amore, eccle-* *Aegil, Baugolfus & Ratgarius Basilicæ nouæ conditores.* *Aegilis Abbatis opera.*

siæ mundare loca; pauimenta quoque refundi constituit. Altaria nihilominus locis congruis fieri demandauit, in summo lapidibus cooperta politis. In eadem verò Ecclesiâ, duas cryptas magnifico opere conlocauit; vnam, quæ respicit solis ortum; alteram, quæ solis occasum intendit. Prodidit & Candidus architectum operis Rahcholfum fuisse, monachum Fuldensem; ait enim in versuum codice, perfectum & absolutum opus,

Rahcholfus monachus architectus.

——— Rahcholfo dictante magistro
Et monacho, fratrumque simul sine felle ministro:

qui, *Arcubus atque interpositis hinc inde columnis,*
Binas magnificè erexit pulchro ordine cryptas;
Quarum prima quidem spectans intendit Eoum
Ternis luminibus.———

Altaria extructa super cryptas.

Porrò super fornicum conuexo, locatas aras in propatulo, sic meminit:

Speleum & antrum pro cryptis.

Nec minùs hoc speleum capitis in vertice gestat
Altare, sanctus, quod iam sub tempore prisco
Consecrat ipse suo Bonifacius Omnipotenti.

Hinc ad Occidentalem cryptam transiens:

In parte Occiduâ constructum cernitur antrum,
Multùm diues ope interiùs, spoliisque piorum;
Ternis prospiciens fixis post terga fenestris, &c.
Hoc summo in capite duris præ viribus aram
Fortiter insistens, pedibus nam sustinet, in quâ
Christi Martyris eximij nunc membra locata,
Cum sociis quoque sacra manent sine fine beatis.

Crucis forma templum exstructum.

Ceterùm, quia ex operis orthographiâ, quam nobis Rhabani inscriptiones reliquerunt, satis constat basilicam hanc, vti adhuc apparet, fuisse crucis in morem fabricatam, colligitur profectò, non vno breuique tempore, sed operam quoque nauantibus, vt dixi, antegressis Abbatibus, tandem fuisse perpolitam. Enimuerò transuersaria moles, quæ templi longitudinem ab Aquilone in Austrum mediam interſecuit, illa quidem eximio splendore, cum cellis altarium & absidis recipiendo lumini ad imum à summo comparata fuit; habuitque vestibula vtrimq. à Meridie & Septemtrione, & angustos aditus, in quibus, more quoque maiorum, expositæ ad cultum Sanctorum reliquiæ.

Baronius obseruat. ad 18. Nouemb. Martyrolog. Rom.

Reliquiæ certo loco expositæ.

Quia

Quia verò temporum ac hominum casibus, huius basilicæ facies plurimùm abolita, non desunt, qui ideam operis, & priscum exemplar in artis fabrilis ligneâ quadam machinâ, quæ olim loco tumbæ D. Bonifacij ossa texit, conseruatum & expressum autument; sed & etiamnum hæc arca in Odei præcipui cryptâ visitur. Quorum sententiæ vel eò non pœniteat, quòd in Hersfeldensis basilicæ iam profanatæ monumentis, arcam consimilis formæ spectare contigit, quæ ad amussim templi veteris descriptionem, vt periti narrabant, exprimeret. Sanè quidquid huius sit, aditus & vestibula obseruauit Georgius Wicelius mansisse religiosa, quando monasterij veteris pomœrio, interuallis tamen iustis à templo, ad singulas portas singula quasi condidere sacraria; vt nisi per consecrata & pura loca, in templum via non pateret. Atque hinc prima porta antiquitus sortita nomen S. Petri, quæ hodie dicitur Alba: secunda ab oratorio S. Pauli, iam vulgò Pauli ianua: tertia à S. Stephano fert nomen. Ostium item, quod nuncupant Abbatis, suum olim habuisse sacellum, opinio est, sed ciuili discordiâ, quâ plurimum anno MCCCXXXI. labis & vicissitudinis allatum tectis ac locis antiquis, forsitan intercidisse. Porrò, cùm disperditâ veteris huius basilicæ formâ, nullo magistro vel duce, eius situm & elegantiam adsequi difficile sit, quod huic negotio coniunctum, vel superstitis exemplaris, vt opinio fert, imaginem repræsentemus licet.

Idea veterũ templi.

In vitâ Sturmij.

Sacella quacumque ad veterũ basilicæ plagas.



CAPVT III.

De eiusdem Basilicæ Dedicatione.

ANNALES Francorum probati scriptoris, quem Pithœus primùm à tenebris vindicauit, ad annum Christi nascentis DCCCXIX. *Hoc anno basilica S. Bonifacij martyris in cœnobio Fuldensi ab Heistulfo Archiepiscopo dedicata est, in honorem Domini Saluatoris, & omnium Sanctorum eius. Translataque sunt ossa S. Martyris Kal. Nouembribus.* Memoria, vt opinor, nusquam publicè quidem expressior, &, vt de Annalibus istis suspicari semper soleo, propè hîc domi nata; tam signatè Fuldensium res euoluunt: verumtamen multo clarissimum huius dedicationis monumentum reperimus ad calcem versuum, quos Candidus olim scripsit; quod à Rhabano relictum, egregiè rem vniuersam illustrat: Postea aucti Annal. Fuldens. nomine.

Denotatio Dedicationis Ecclesiæ S. Saluatoris constructæ in monasterio Fuldæ, vbi pretiosus Martyr, & electus Dei Pontifex Bonifacius, corpore sacro quiescit, intercedens pro famulis ibidem Deo fideliter seruientibus ad Dominum Deum suum, qui eum piâ miseratione sibi elegit in Sacerdotem magnum, ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXVIII. *Indictione* XII. *mensis Nou.* I. *die mensis, dedicatum est hoc templum ab Heistolfo Archiepiscopo Moguntiacensis Ecclesiæ, in honorem S. Saluatoris, Domini videlicet nostri Iesu Christi, & in honorem S. Dei Genitricis Mariæ, & S. Petri Apostoli, & ceterorum Apostolorum Domini, & S. Ioannis Baptistæ, & S. Bonifacij Martyris Christi, & aliorum plurimorum Sanctorum. Et translatum est ipsá die, ab eodem Archiepiscopo, & ceteris Episcopis atque Sacerdotibus, corpus S. Martyris Christi Bonifacij, post martyriū eius expletis annis* LXV. *mensibus* IIII. *diebus* XXVI. *in locum, quem ei præparauerat venerabilis Abbas Aegil, vnà cum fratribus eiusdem monasterij cum magno studio & piá deuotione.* Dedicatio maioris Ecclesiæ. Translatio S. Bonif. eius.

In cryptâ Orientali versus Rhabani.

Hoc heremita sacer Antonius adstat ad altar:
Hoc senior Paulus, martyr Anastasius.
Hic monachus Saba, simul & Theodosius Abbas,
Adsistunt votis atque piis precibus.

In porticu Septemtrionali, hoc est, in sinistrâ absidæ Orientalis.

Leuita hanc Stephanus simul & Laurentius aram
Exornant meritis, Pancratiusque pius.
Donatus, Victor, Vincentius & Cyriacus,
Quintinus martyr, atque Sebastianus,
Cumque quater denis Ferrucius ipse, precando
Instat Martyribus : poscite lucis opem.

In absidâ Orientali.

Hoc altare Deo primùm Bonifacius ipse,
Nam Saluatori ritè dicauit amor.
Quod super exstructum Heistolf sacrauerat, atque
Sanctorum spolia plura locauit ibi.
Hic Saluatoris, pariter Genitricis, & huius
Bissenûm & comitum dignus habetur honor.

In porticu Meridianâ, id est, in dexterâ eiusdem absidæ.

Hic Clemens martyr, pariter cum martyre Lino,
*Sanctus Alexander, & *Fauianus adest:* *Fabianus
Marcellus, Stephanus, Cornelius & Cyprianus,
Lactentum & turba sanguine tincta suo.
Hisque Saturninus, martyrque Georgius aptè
Exorat iunctus pro populis Dominum.

Ad crucem, vbi Martyr Bonifacius primùm fuerat tumulatus.

Membra beata senex Bonifacius hic sua clausit,
Postquam martyrio astra superna petit.
Qui translatus ab hinc, precibus tamen adstat honestis;
Munera vice sui multa reliquit & hic.

Pars

Pars crucis hic Domini est, ubi cæsius parsque columnæ,
Petra cruentata, Caluariæque locus.
Spongia, quæ Christo potum porrexit aceti;
Cum quâ hic sancti mixta locant spolia,
Andreas, Paulus, Geruasius atque Protasius,
Felix & Papias, sanctus Apollinaris.
Gregorius præsul, Cosmas simul & Damianus,
Atque Coronati quatuor ecce manent.
**Landebertus honor, Leudgarius & Nicolaus,* *Lambertus
Cæcilia, Eugenia, martyr Anastasia.
Commanet hic Simeon, Christi portator honestus;
Zacharias vates, atque videns Samuel.

In parte Septemtrionali transuersæ domus.

Martyr Agatha Dei, Petronella, & tu Iuliana,
Lucia, Perpetua, nosque Sabina faue.* *foue.
Regina virgo coniuncta sororibus istis,
Tu nobis pandas regna poli precibus.

In sinistrâ illius arcus, qui respicit domum Orientalem.

Lucas, qui scripsit cum gestis dogmata Christi,
Vinclis hic Petri mixta locat spolia.
Augustinus adest, Germanus & ipse Remeius,* *Remigius,
Maximinus Præsul, atque Medardus ouat.

In dexterâ eiusdem.

Marcus, Euangelium qui scripserat arte Pelasgâ,
Martyre cum Paulo hic atque Ioanne manet.
Ipse Valentinus, Gorgonius atque Nazarius,
Germani & septem, Gordianusque simul.
*Candidus, *Exuperius, Victor, Mauricius, atque* *Exuperus,
Quos nobis Christe ritè fauere facis.

In parte Meridianâ ipsius transuersæ domus.

Agnes & Eufemia, Genofefa, Susanna, Columba,
Hoc altare ornant ritè suis precibus.
Cum queis tu Brigita, & tu virgo Scholastica semper
Placatum nobis Altithronum facias.

In

In absidâ Occidentali, vbi martyr Bonifacius quiescit.

Pars hic ecce loci est, quo Christus ad astra petiuit,
Præsepis partem continet ara Dei hæc.
Syndonis, mensæ, peluis, partemque sepulchri,
Principis & Petri sacra tenet spolia.
Baptista & Domini hic, Martinus, Hilariusque est.
Hic Leo, Syluester, atque Dionysius.
Quos tumulo hic sacro Bonifacius adsociauit,
*Albanusque suus & * Cilianus adest.*

*Kilianus

In cryptâ eiusdem absidæ.

Hanc Benedicte pater cryptam, tutaberis aram;
Sanctus Honoratus hunc simul ipse colit.
Hicque Columbanus fixa stat ritè columna;
Martyris & tumulo subsidia apta feret.

Absida hîc repetita toties, Græcis Latinisque absis est, fornicis curuatura; quo sensu Plinius, cubiculum in absidâ curuatum, dixit. Et adpositè ad huius ætatis vsum Walafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. VI. absidam describit eam basilicæ partem, quæ lumen acceptum per arcum intromittit. Cuiusmodi partes cùm temporis iniuria plures Fuldensi basilicæ detraxerit, absidarum hunc situm ægrè est vt iam tibi in conspectum reducam. Porrò Auctorem huius consecrationis Hrabanus ceu remunerans, cùm libros de Institutione clericorum Haistulpho dicat, addit versus facti memores:

Rhabanus ad Heistolphum Archiepiscopum Mogunt.

Nam quia tu templum dedicasti Martyris almi,
Per seruum donum hoc Martyr & ipse dedit.
Nam est nonus decimus octingentesimus annus,
Ex quo Saluator venit in arua pius.

Coronidem addo tamquam annulo gemmam, ex ipsius Rhabani martyrologio, quod Tomo VI. Lectionis antiquæ ex S. Galli nobili monasterio clarissimus I C. Henricus Canisius in lucem extulit: *Kalendis Nouembrib. Eodem die in monasterio Fuldâ dedicatio Ecclesiæ S. Bonifacij, & translatio corporis eiusdem sancti Martyris.*

CAPVT IIII.

De adparatu huius Dedicationis, & translatione corporis S. Bonifacij.

QVIN basilicarum dedicationes iam inde ab efflorescentis Ecclesiæ primordiis longè fuerint & cærimoniarum grauitate, & præsulum frequentiâ, concursuque omnis ætatis atque ordinis hominum celeberrimę, apud temporum scriptores mero meridie lucet clariùs. Traditumque morem à Latinis in Galliâ Germaniaque mordicùs Francigenæ retinuerũt, præclarè orthodoxi. Rem Fuldæ gestam Candidi verbis explicatam dabo: *Cùm hæc & alia multa diuersarum specierum ornamenta, in templo Domini (Aegil Abbas) conlocasset, accepto fratrum consilio, misit epistolam ad Heistolphum Archiepiscopum, vt dignaretur venire ad dedicandam Ecclesiam, in laudem Dei omnipotentis constructam; quatenus per hæc piæ operationis officia, vtrisque à Deo merces maneret in futuro, ac benigna memoria sanctæ orationis apud homines frequentaretur in mundo. Venit igitur Archiepiscopus, iuxta petitionem Abbatis, tempore sibi condicto. Venerunt nihilominùs alij quàm plurimi Episcopi, Abbates, Presbyteri, Comites, ab Abbate monasterij honorificè inuitati. Insuper, etiam famâ vocante, vulgus ordinis inferioris, ad templi huius dedicationem è diuerso veniens, confluxit in vnum. Intereà quoque venerat alma dies dedicationis illustratâ solis perpetui luce corusca. Processit Pontifex cum omni ornatu ecclesiæ, & dedicauit templum in monasterio Fuldæ, constructum in honorem sancti Saluatoris, Dei videlicet, & Domini nostri* IESV *Christi. Et translatum est corpus Martyris Christi Bonifacij, in locum quem præparauerat ei pater Aegil, vnà cum fratribus suis,* &c. *In dedicatione verò templi, populus Dei decantabat Deo laudem, & in ore eorum dulcis resonabat sonus; & erat iucunditas magna in ecclesiâ Dei, in eius nomine congregatâ. Cumque igitur opus Dei perficeretur, Præsul inuitabatur ad mensam, vt refectus cibo spiritali, propter infirmitatem corporis, reficeretur & carnali. Erat enim ibi ad mensam recitata lectio legis Dei; & interdum intermixta quæstio lectioni: quâ sanè perlectâ, oriebatur inter eos, sicut erant graues, animoque insignes, consa-*

Heistolphus ab Aegile Fuldam inuitatur.

Heistolphi & aliorum Episcoporum, Abbatum & Comitum aduentus. Multitudinis concursus.

S. Bonifacij translatio.

Mensa & refectio conuiualis. Lectio & cõfabulatio sacra super mẽsâ, de quâ disertè Nicolaus Serar. Not. ad 126. ep. S. Bonifacij. & ad c. 4. S. Romarici.

confabulatio spiritalis: & diuersæ vtilitates Ecclesiarum Dei, multipliciter apud eos agebantur. Post refectionem verò, surgentes à mensâ dixerunt versum. Hinc Vespertinis laudibus celebratis, & Completorio finito, somno capti quieuerunt. Alterâ quoque die duas Ecclesiæ cryptas Humbert Corepiscopus, iussu Heistolfi Archiepiscopi sui, consecrauit; atque omne opus ipsius diei, diuiná sibi auctoritate commissum, cum summâ reuerentiâ timoris Dei, reuerenter expleuit. Cuius nimirum dedicationis diem, tempus, numerum, & annum, simul etiam & Sanctorum nomina, quorum reliquiæ ibidem plãtatæ sunt, disciplinabiliter litteris inserendo, Rhabanus magister memoriæ commẽdauit.

Humbertus corepiscopus.

Porrò, quia in eâdem hac dedicatione, venerandum Martyris S. Bonifacij pignus, in templi hemisphærium Occiduum, insigni pompâ translatum est; placuit Candidi versibus rei gestæ fidem & hîc subiicere, quorum epigraphe est:

Dedicata basilica, & translatum corpus Martyris Christi Bonifacij.

Venerat alma dies radio illustrata corusco
Solis perpetui; Præsul processit ad aulam
Sacrandam. tandem relliquiæ tolluntur in altum,
Condendæ interiùs. præcesserat ordine claro
Pontificalis apex; rubra vexilla triumphi
Regis magnifici pariter tolluntur in auram
Luminibus roseis. aptè stipata deinde
Turba Sacerdotum, monachûm, Comitumque potentum,
Ordinis atque etiam clamans post terga minoris
Consequitur, Christumque vocans ter voce tonantem.
Inuitatur enim Christus virtute potenti,
Ipsaque sancta Dei genitrix virgo Maria,
Compellantur in auxilium cælestia votis
Agmina Sanctorumque; dehinc exercitus omnis.
Cumque etiam his precibus ternos expleuerat orbes
Præsul, & ipsa sequens pariter læto agmine turba,
Protinus ante oculos plebis oraque virorum
Regi virtutum, Regis præcone iubente,
Victorique Deo patuerunt limina templi:
Ingreditur Præsul diuino numine ductus,

Sanctorum Litania.

Pre-

Presbyterique simul intrant, aræque ministri
More suo interiùs acturi iussa potentis.
Importantur enim lętis vallata choreis
Sanctorum spolia exteriùs; nam cetera turba
Insistens precibus altis exclusa respectat,
Donec cuncta bonus, famulis, altaria Præsul
Consecrat, altithroni Regis præsentibus, absque
Quinis, quæ mihimet iterùm memoranda relinquo.
Protinus intereà rursus, lictore iubente
Panditur alta atque alma Dei domus omnipotentis;
Inruit agmen ouans, &c.
Ecclesiasticus hinc atque hinc collectus in vnum
Martyris ad tumbam extemplò conuertitur ordo,
Quæ tunc noscitur in medio consistere templo.
Plebs quoque testis adest, præsens fit testis & ipse
Conditor omnipotens, qui maiestate perenni
Semper vbique manet, eiusque exercitus omnis,
Quod eâdem ipsâ horâ, aduentus tunc numinis alti,
Quâ rapitur Christi Martyr de sede priore, S. Bonifacij tumulo leuati cærimonia.
Perspicuè in sacrâ multis innotuit aulâ.
Præsulis intereà insistit veneranda vetustas
Haistolfi precibus Christi solamina poscens,
Vt opus inceptum diuino munere sacrum
Cum sociis sacro possit concludere fine.
At posthæc propiùs Christi tutamine fretus,
Idem Præsul iens, tolli venerabile corpus
Instruxit: leuat ipse prior hunc voce valenter
Hymnum magnifico laudis nidore refertum.

Omissa quæ sequebatur paraphrasis Hymni, *Te Deum laudamus.*

Hunc hymnum subitò trepidus suscepit ab ore
Pontificis fortè simul ecclesiasticus ordo,
Altithrono cantans alto modulamine laudem.
Nam feretrum loculi sacra quâ Martyris almi
Membra inclusa iacent, in primâ fronte gerentes
Ambo graues, amboque senes, Heistolfus & Aegil Viri illustres.
Scilicet; à tergo pariter monachusque sacerdos

Hrabanus magister.

Ercambertus Baugolfi germanus, & Abbas
Theotgarius, Bruun'warque simul, Hrabanus & ipse
Presbyter & monachus, multorum iure magister.
Ibant aequali numero, Christumque [illegible]ebant,
Cum quibus admixta pars hinc atque inde piorum
Presbyterûm, turbaque premens cum lumine circùm
Vt multâ loculum gaudet contingere dextrâ:
Regia quippe via pannis candentibus aptè,
Regis perpetui magnum quae ducit ad altar,
Strata fuit: illuc idem, quos ipse sacerdos
Erkanbertus ouans, Christi deuotus amore
Martyris exhibuit, ostro peplumque rigentem,
Insuper accumulans auxit, pro seque suisque.
His ita perceptis, gressu perrexit ad aram
Pontificalis apex, magno comitatus honore,
In parte Occiduâ Romano more peractum.
Eleuat intereà populari voce repentè
Aduena plebs Kyrie eleison, fit clamor ad astra
Christicolis, ardent penitus feruore recenti
Numinis infusi. verùm mirabile dictu,
Tu scis, non solito laudis vox omnibus aequa
Efficitur; lacrymas profundunt gaudia mentis;
Laetitiâ, lacrymae & cantus miscentur in vnum.
Haec tum quippe diu celsae iubilatio vocis
Personuit, donec saxoso membra sepulchro
Includunt, clausaque dehinc pausanda relinquunt.
Hoc namque occiduâ martyr tumulatus honore,
Altithroni Regis comptâ iacet altus in vrnâ.
Absida quam super exstructa namque imminet ingens,
Quamque egomet quondam Christi nutritus in aulâ,
Presbyter & monachus Bruun vilisque magister
Depinxi ingenio tenui paruaque Mineruâ
Formans, expressi varios ferrugine vultus.

Reliquiarũ pia veneratio.

Candidus Poëta plerumque pictorem Bruunum ceu consortem artis ac operis inducit. Nam Plutarcho poësis loquens quaedam pictura, & haec muta poesis.

Neque praeterierim hoc loco S. Liobae eximiae Virginis & Antistitis corpus, per huius structurae nouae oportunitatem mutasse quoque sedes, & ex Septemtrionali migrasse in Australe latus: quam rem Rudulphus in eius vitâ sic commeminit:

Post

Post annos non paucos, à rectoribus loci illius ecclesia augustiùs ædificata, cùm futuræ consecrationi præpararetur, Aegil Abbas cum licentiâ Aistulphi Archiepiscopi, ossa eius transtulit, & in Australi porticu, iuxta memoriam S. Ignatij martyris posuit, vbi sepulchro condita miraculis viuit & gloriâ. Surius 28. Septemb. *S. Lioba trāslatio.*

Verùm, & eodem Rudulpho teste, huius virginis veneranda ossa à Rhabano inde in ecclesiam montis S. Petri translata sunt, vbi hodieque in cryptoporticu cenotaphium extat, cum virginis memoriâ, præsenti sæpè & prodigioso pellendis infantium morbis auxilio: sed recepta demum in securiora, nunc temporis in ædis primæ sacrario tumbæ inclusa asseruantur. Et quia Rhabanus in basilicam Fuldensem ornamenta quoque sua congessit, satis habeam monuisse multiplicis elegantiæ turritum opus, eo loco ab ipso collocatum, quo S. Bonifacius olim quieuit: illudque illustrasse non tam pretiosis auri argentique metallis, quàm nobilibus Diuorum arcis & lipsanothecis. Lib. de gestis Rhabani. *S. Lioba memoria in mōte S. Petri.*

CAPVT V.

De cœmeterij veteris Ecclesiâ.

ABIERANT anni circiter quatuor à basilicæ primariæ nouâ structurâ, quando Aegil Abbas aream satis amplam in colle Septemtrionario, cœmeterio & monachorum sepulturis descripsit; & in eâ operis elegantis ecclesiam, figurâ rotundâ, construxit: cuius ad hanc diem, licet obruta vetustate vestigia, in S. Michaëlis æde supersunt. Structuræ genus fuit eiusceemodi, vt à cryptâ subterraneâ moles assurgeret arcubus circumdata; mediamque columna fulciret vnica. Supra cryptam hanc fabrica attollebatur octonis in orbem columnis. Huius corona fornix, quem efficiebat grande saxum pro vertice parietibus summis incumbens. de quo in Poëmate suo Candidus: *Ecclesia rotunda apud D. Michaëlis præposituram.*

Fratrum consilio paruam quâ corpora fratrum
Hinc defuncta iacent (deuotè namque) rotundam
Condidit ecclesiam; latitans quâ peruia crypta
Sub tellure iacet, vnâ quæ ritè columnâ

Incipit, ac suprà octonis subiecta columnis
Perpulchrè in summo lapide concluditur vno.

Mysterium huius fabricæ Candidus aperit: nam viui templi Christianorum ecclesiæ quamdam imaginem sibi proponens Aegil, vnicâ columnâ totam sustinente molem, Christum Dominum nostrum significare voluit; cui ceteri quidem tãquam columnæ firmiùs innexi, si modò virtutum actionibus iis magistro suo se commendarent, quas octo beatitudinum insigni præconio Christus ipse complexus esset. Porrò opus vniuersum, vno deinde superimposito saxo consummatum dedisse; quo memoriam posteris refricaret, illum, qui cælestium munerum fons & auctor opus bonum inchoasset, eumdem & in cælis id perfecturum, non simplici quadam beneficentiæ gratiâ, sed magnâ quadam & vbere bonorum omnium exaggeratione, quæ per orbis figuram adumbrata. Ceterùm Haistolfum Moguntinum Archiepiscopum, cùm pro muneris sui conditione Thuringiam obiret, anno DCCCXXII. hanc rursus ecclesiam S. Michaëli Archangelo, cuius titulum adamasse S. Bonifacium liquet multis argumentis, dedicasse perhibent, vnà cum tribus altaribus, quæ Aegil indidem erexerat. Consecrationis memoriam & altarium epigraphas Rhabanus, teste Candido, sic descripsit:

Haistolphus Archiepiscopus dedicat hanc ecclesiam S. Michaeli.

Descriptio Ecclesiæ dedicatæ, quam cœmeterium vocant Hrabani magistri.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICAE DCCCXXII INDICT. XV. DEDICATVM EST HOC CYMITERIVM AB HEISTOLFO ARCHIEPISCOPO MOGVNTIACENIS ECCLESIAE. MENSE IAN. XVIII K. FEB. IN HONOREM S. MICHAELIS ARCHANGELI, ET S. IOANNIS EVANGELISTAE, S. ABVNDI MARTYRIS, ET S. AMANDI CONFESSORIS, ET ALIORVM PLVRIMORVM SANCTORVM MARTYRVM ATQVE CONFESSORVM CHRISTI.

Orthographia alludit ad κοιμητήριον.

Versus eiusdem.

Hoc altare Deo dedicatum est maximè Christo,
Cuius hic tumulus nostra sepulchra iuuat.

Pars

Pars montis Sinai, Moysi & memoratio digna
Hic Christi Domini est, & genitale solum.
Hic Michaël Princeps; Domini symmysta Ioannes,
Victoresque soci tres simul & pueri.
Priuatus Martyr, pariter & Habundius ipse
Suscipiunt vota, atque Deo referunt.
Sulpitius Præsul, simul & Confessor Amandus,
Hic monachus Mammas, hic ouat & Simeon.
Cum quibus hic semper votis adsiste, precamur,
Virgo sacrata Deo martyr Anastasia.

Item eiusdem.

Hic Anianus adest, martyr Desiderius atque
Rex Sisemundus ouat Genesiusque simul.* * *Sigimundus*
Tu quoque Christophore nostris pie mentibus adsis,
Cumque tuis sociis ipse iuuato preces.

Item eiusdem.

Paulinus præsul Brisius quoque, Perpetuusque* * *Brixius*
Sanctus & Esidorus, Martialisque pater,* * *Isidorus,*
Hanc aram meritis semper viuacibus ornant,
Adsistunt precibus, quas piè quique dabunt.

Tomo VI. lectionis antiquæ, reperio claram huius cœmeterij consecrati memoriam in Martyrologio Rhabani ad XVIII. Kalend. Februarij: *In monasterio Fuldæ dedicatio ecclesiæ S. Michaëlis in cœmiterio fratrum.* At trisæcli interuallo, opus nouum (à clade an ruinâ, non proditur) huic Aegilis structuræ successit; quo templi huius quantum fuit, à* Volramo Mindensi Episcopo dedicatum de nouo, cum quinque altaribus humi, sublimi positis; conditisque Sanctorum lipsanis in Christi Domini cruce & sepulchro. Verùm in hoc opere, vt ipsa quoque rudera testantur, antiqui templi nitor & venustas non reuixit. Conseruata tamen huius dedicationis epigraphe:

* *Volmarus hic Krantzio.*

ANNO INCARNATIONIS DOMINICAE MXCII INDICTIONE XV. DEDICATA EST ECCLESIA IN CIMITERIO IIII NON. DECẼBRIVM. ROGANTE HVIVS LOCI *XXVII ABBATE RVTHARDO. XVIII REGIMINIS EIVS ANNO A FOLERAMO MINDENSI EP̄O IN HONOREM DÑI N. IESV XP̄I

* *Sic numerant, quibus VVolchmarus & Bardo noti.*
De *Volramo,* aut *Volmaro* Albert. Krantz. Metrop. lib. 5. cap. 25. & 35. vbi de eius schismate.

XPI SCAEQ. DEI GENITRICIS ET SEMPER VIRGINIS MARIAE ET S. MICHAELIS ARCHANGELI ET OMNIVM SS. ANGELORVM ET ARCHANGELORVM.

CAPVT VI.

De ſecundâ reparatione Fuldenſis Baſilicæ Hadamaro & VVerinhario Abbatibus, & eiuſdem labe Ehrloffo Abbate factâ.

TRISTIA inde & peracerba, imperio Germanico impoſita vulnera, ab immani Hungarorum gente; quæ tamquam humanitatis omnibus exſoluta vinculis, per crebras irruptiones, Alemanniæ, Franciæ, Thuringiæque prouincias eâ feritate incurſabat, vt obuia quæque ferro flammaque obtereret. Iam tum ſæculo Chriſti ineunte nono, iteratis cædibus Thuringiorum ducum, qui fortiter eorum barbariem oppoſitu corporum excipiebant, noui hiſce locis terrores additi; anno quippe Domini DCCCCVIII. Luitpoldi Ducis, mox ſequenti, Burchardi occidione ſe cruentarunt. Hinc inter magni Ottonis vix adulta ſceptra, turbatis iam rebus, vbi Boij ac Sueui, hac pænè populationis procellâ obruti, Fuldam vſque penetrant, omnia humana diuinaque inimico animo proculcantes. Degebat Otto tum Herolfesfeldiæ Abbatiâ Fuldenſi geminâ, & itineris diei non totius interuallo apud Fuldam amnem ab hac noſtrâ diſſitâ, quando monaſterium hoc cum ipsâ baſilicâ accepit, luctuoſo periiſſe incendio. Memorant triſtem hunc caſum ad annum DCCCCXXXVII. veteres Chronographi: neq. tamen igni hoſtili an fortuito baſilica conflagrârit, ſatis explicant. Exuſtam quidem plerique conſentiunt, quo tempore Hunni Buchoniam perſultantes, Fuldæ, viciniſque locis, magnam vtique vaſtitatem & ſolitudinem importabant. Et priuatis quoque litteris annotatum, de cælo fuiſſe tactam. Atque *hic ille famoſi templi interitus*, quem recolis in Hadamari Abbatis præconio, à Witichindo Saxonicarum rerum ſcriptore litteris proditum. Et Hadamarus ſanè inſtaurati templi ſimul ac monaſterij, maioreque ſplendore cumulati reportauit ingens decus;

Hungarorũ irruptiones.

Lambert. Contract. Rhegino, Marianus.

Fuldenſis baſilica incendium.

decus; vnde in temporum libris, propriâ laude celebratur, *is qui monasterium Fuldæ magnifico opere construxit*. Porrò cùm tantæ molis, cuius hodieque, licet & aliis cladibus attritæ, monumenta visuntur, exstructio, vix ipsius monasterij licet præpotentis coaluerit impensis, satis ex ipsâ dedicatione colligitur, Ottonem Magnum, de Fuldensi monasterio ceteroqui præclarè meritum, huius magnificentiæ tenuisse primas. id quod ex Frodoardi Francici scriptoris fide digni Chronico, testatũ habemus. Is quippe Marini Apostolici Legati rebus gestis enarratis, postquam Franciç regnum & Rhemorum ecclesiam malè pacatam, variis tradit composuisse Synodis, denique, ait, Treuiris conuentu peracto, inde Ottonis Magni iussu accersitum in Saxoniam, anno salutis DCCCCXLVIII. ad ecclesiam Fuldensem dicandam, recèns iam tum ædificatam. Frodoardi oratio est: *His ita gestis Episcopi reuertuntur in sua. Luitulfus autem Capellanus Ottonis, Marinum vicarium deducit ad Regem suum in Saxoniam, vbi consecraturus fuerat ecclesiam Fuldensis monasterij. Post cuius consecrationem, idem Marinus exactâ hieme Romam reuertitur.* Hactenus ex publicis Annalibus. Sed venit in manus inde liber membraneus Reliquiarum & Indulgentiarum maioris ecclesiæ Fuldensis, varietate picturæ tamen insignior quàm antiquitate; in quo legebatur hæc ipsa dedicatio, Imperatore Ottone, & magno Pontificum populique Christiani præsente cœtu peracta, ipsâ die Sanctorũ omnium, quæ hodieq. mercatu magis & annuâ nundinatione, ritu encæniorum, quàm religione templi frequentatur. Fatentur autem hîc librarij, parum se per bellorum & incendiorum casus dedicationis huius exploratam habuisse memoriam, cùm & Martini Papæ nomen, pro Marini Papæ Legati, non semel vsurpant, veterumq. condonationum aiunt obliteratos fuisse codicillos. Verba sunt illorum: *Scire debent posteri nostri, quòd, licet hoc venerabile Fuldense monasterium Dn.* Martinus Papa præsente Othone Imperatore, studio Hadamari Abbatis, in magnâ Prælatorum ac populi Christiani frequentiâ, ritè dedicauit in die omnium Sanctorum; & ex antiquâ cõsuetudine ipsâ die, hoc in loco, populus fidelium conflueret,* &c. *quia tamen probare non poteramus libris vel litteris apud nos, prædictâ die Indulgentias aliquas, quibus moderni allici solent, inueniri, supplicauimus*

Ottonis Magni in Fuldensem ecclesiam merita.

Marinus Apostolicus Legatus Fuldensem ecclesiam post reparationem dedicat.

Encænia Principis basilicæ.

*Marinus

**Marinus* — *Indulgentiarum vsus.*

mus Alexandro IV.&c.alibi verò:**Martinus Papa ecclesiam consecrans, in dedicatione ecclesiæ, præter aliam incognitam Indulgentiam,* LXXX.*Carenas relaxauit.* In quo tam antiquo ritu, condonatio seuerioris pœnæ, quam veteres Christiani ob grauiora scelera, moribus ecclesiæ, iussi iniussique subibant, obseruanda venit. Nam, cùm ab omni genere consuetæ voluptatis, aut vitæ iucundioris cohibiti, conuiuiis, epulis, balneis, thalamo vinoque sese abstinerent, si quid harum noxarum à Sacerdotibus laxamenti datum fuisset, Indulgentiam vocabant. Vnde Carena Theologorum sententiâ relaxatio est tantæ pœnæ, quantam quadraginta dierum abstinentiâ, panis dumtaxat & aquę sumptu, pœnitens exsolueret. Quòd verò ad Ottonis Imperatoris assiduitatem, quam rebus ille diuinis impertiit, egregij codicis M.S. encomium hîc affero: *Ipse quippe* (Imperator Otto) *tenax diuinæ religionis, in diebus festis ad Vesperas, ad Matutinas, atque ad Missam, cum honorabili Episcoporum ac totius cleri processione, ad ecclesiam duci solebat; ibique, cum magno timore Dei & reuerentiâ stans aut sedens, nihilque præter diuinum loquens, donec finirentur vniuersa, persistebat; deinde ad cubiculum suum cum luminaribus multis, comitatuque magno Sacerdotum, Ducum ac Comitum, redibat.* Sed ad lineam. Ex Hadamari fabricâ præter nauis interioris columnarium opus & adumbratum hemisphærium Orientale, nihil admodum deprehendimus superesse, contractâ iam ita basilicâ, vt quæ humilioris tecti latera tamquam alæ vtrimque porriguntur, ornamentis suis omnino careant, columnis, quæ olim suâ serie laxiùs dispositæ, nunc opere tectorio velut inclusis, & parietis cæmento mersis. Quamobrem, quæ super epistylia columnarum scriptura, litteris semiuncialibus, ab Ortu obscurè, clariùs à Boreâ in subsolanum legitur, mutilâ quamuis sententiâ, memoriam tamen huius Marinianæ Dedicationis, liquidò comprehendit. Legitur autem epigrammatis illius modò tantum:

Tertul. de pœnitentiâ.

Tribur. Côcil.c 54. Burchard. decret.lib.19 Bellarm. de Indulg.c 9. Valent.c.6. & Tom.1. in 3 D Thom. M S Chronicon Franco Saxonicum, & consentit Dietmari Episc. Chron lib.2

Ottonis Magni in templo assiduitas.

Huius basilicæ labes notatur.

Inscriptio dedicationis.

IN HONOREM S. GENITRICIS MARIAE SEMPER VIRGINIS. AC SANCTORVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI. ET OMNIVM DVODECIM APOSTOLORVM SANCTORVMQ. MARTYRVM BONIFACII ATQ. SIMPLICII INNOCENTII. ET CETERORVM SANCTORVM OMNIVM . . . . S. CVRIA

AB . .

AB.. VNIVERSIS CATHOLICIS EODEM DIE VENERATVR ET CELEBRATVR AD LAVDEM ET GLORIAM DEI..

ANNO INCARN . . . .

TRANSDVXIT . . . .

. . . . HANC AVLAM DOMINO RITE DICAVIT.

Werinharium hinc in farcienda templi labe, Hadamari æmulum fuisse diceres; ita cùm in cetero eius vitæ cursu, tum in fabricarum molitione, nescio quid excelsum & generosum spirat. Porticum certè ad basilicam ab Orientali fronte, duplici circumiecto columnarum ordine, exstruxit, magno ædis ornamento: & seu suis, seu regiis impensis, oratorium addidit in fine peristyli venustatis eximiæ; in quo, arte Corinthiâ factæ columnæ hinc & inde ad longitudinem sacelli, diametro & proportione prorsus visendæ. Pauimentum fuit è laterculo læuigato, sed trigoni in morem cuspidibus inuicem sibi obuersis. Quo autem loco ara stetit, nam iniuria vetustatis interuenit, supernè in laqueato fornice antiqua pictura cernitur, colore tam viuido ac recenti, vt ætatem eam tulisse non crederes. In solio sedet Dominus, & circum iuxtaque expressa animalium ea species, quæ per cæleste visum Ezechieli Prophetæ oblata, subiectique Versus in hemicyclo: *VVerinharij opus columnare.* *Regale sacellum.*

CLAVSVLA FONS RERVM DOMINANS ANTIQVE DIERVM.
HANC HABITANS AEDEM NOS GRATAM FAC TIBI SEDEM.

Acta vetusta huius Ecclesiæ Præsulum de hoc opere sic meminerunt: *VVernherus omni deuotione diligens decorem domus Dei, fecit Paradisum in Orientali parte ecclesiæ, columnis, porticibus inferioribus & superioribus, honorificè constructis. Capellam etiam, Regiâ dignitate fulgentem apposuit, ita vt locum ipsum Paradisum voluptatis non immeritò appellare possimus.* Lætum fuit, in huius oratorij semirutis parietinis dedicationis monumentum, elegantissimis litterarum notis incisum, oculis obire, etsi occiduum latus aberat, quo numerus annalis olim cõprehensus videtur.

DEDICATVM EST HOC REGALE SACELLVM. IIII. NON. IVN. A BEATO VODALRICO AVGVSTAE CIVITATIS EPI-

SCOPO .... in hon. OREM XP̄I DN̄I SANCTIQ. BAPTISTAE IOANNIS. ROGATV REVERENDI ABBATIS WERINHARII. ....

Sancta hîc & magna nomina legis. Nec abs re laudant maiores *Vodalricum, ſacellum id propriis conſecraſſe manibus*, dignum vtique virum, cuius ob admirabilem vitæ ſanctimoniam, & honos & patrocinium nullâ temporis vetuſtate langueſcat. Regale ſacellum cur Werinharius inſcripſerit, à Regum magnificentiâ, an à Regum vſu (ambobus enim Ottoni primo & ſecundo carus Antiſtes hic extitit, fors ob generis ſplendorem virtuti parem) manet inexploratum.

Iam deinceps ruinam exitialem, quæ veteri templo anno MCXX. Ehrloffo Abbate ad ceteras tunc calamitates ſuperuenit, ediſſeram, eorum fide, qui cladis ſpectatores, haud ſine commiſeratione & gemitu, eam prodidere. Quippe, poſt mi-nitantium tectorum malè ſartos hiatus, annonæ ſubtractæ penuriam, diſciplinæ contemptum, cùm viginti ampliùs annis congregatio omni pænè malorum genere diuexata fatiſceret, hoc immedicabile vulnus inſuper, magno cum probro doloriſque ſenſu accepit: *Pridie* namque *Idus Decembris*, inquiunt, *primo galli cantu, ſancti huius templi toto orbe famoſiſſimi pars Orientalis ingenti labe funditus concidit, & turrim Meridianam cum duabus porticibus quæ adhærebant, vnà traxit, ſoloque ſtrauit. Sanctuarium Virginis Dei genitricis, mirâ picturarum varietate, comminuit. Altaria SS. Simplicij, Fauſtini, Beatricis, Proceſſi & Martiniani, diſrupto pauimento labefecit. Atque hoc ſanè malum auerti Prælatorum induſtriâ poterat, niſi quærere ſua quàm Chriſti aliquando maluiſſent. Tamen, qui triſtibus plerumque læta iungit, lugentibus & caſum tam acerbum deplorantibus, inter hæc Chriſtus Dominus euidens ſuæ potentiæ documentum oſtendit. Nam incomparabili illâ ruinarum mole, multo monachorum ſudore reiectâ, ecce tibi emerſere corpora Sanctorum martyrum Simplicij, Fauſtini, & Beatricis, quæ poſt altare Virginis-matris ſub arâ ſui nominis conquieſcebant, non ſolùm inuiolata, ſed à caſu prorſus intacta; eademq. incredibili gratulatione monachorum, & magno cleri populique concurſu, XVII. Kalend. Ianuarij, iuxta primarium altare S. Bonifacij recondita ſunt. Par conditio extitit ceterorum pignorum, quæ ſuis in arcis, infracto ſigillo, paſſim integra*

M.S. Gloſſ. ad acta Fuld. Abb M.S.tis propè verbis. *Templi ſecũda interitio.*

Sanctorum corpora illeſa à templi ruinâ.

tegra aduersus labem hanc diuinitus conseruata. . . . Sed triste interea obuersabatur omnium oculis spectaculum, cùm domus inclyta, olim Regibus ac dynastis cara, patebat aëris & pecudum iniuriis; & nemo ex tot millibus, qui in tuam, ô parens diua Fulda, hereditatem venerant, nemo ex filiis, inquam, tuis, qui id tibi meritò debebant, repertus est, qui manum vel cor ruinis his abolendis apponeret, donec anno vindicati orbis MCXXIII. *Vdalrico Abbate, collapsum opus resurgere cœpit.* In hanc sententiam, exiguo verborum deflexu, antiqui huius loci cœnobitæ. Ceterùm Marquardi tandem præcellentis virtute Antistitis operâ, moles Orientalis hæc ad summum educta, & diuæ Dei genitrici cum subiectâ testudine consecrata, præsente Friderico Imperatore, & plerisque aliis regni proceribus, anno MCLVII. feriâ VI. ante Palmarum, id est, XI. Kal. Aprilis, Euerardo Bambergẽsi & Hermanno* Werdensi, Episcopis, cæremoniâ solemni, eam dedicantibus.

Marquardus Abbas Orientalem templi partem erigit. *Crypta hac dicta Orientalis ad S. Mariam.* * *Virdunensi, mendosè.* Super Hermanno adi Metrop. Sax. lib 6. c. 29. A b. Krantzij.

CAPVT VII.

De secundo & tertio Fuldensis ecclesiæ incendio.

EXTITERE posthæc & aliæ causæ, cur basilica Fuldensis ceu properans ad interitum funditus periret; altera peculiaris fuit ab vnius hominis intemperãtiâ & ebrietate, cui templi custodia demandata; altera per communis disciplinæ laxamentum diuinitus inuecta creditur, quum feminis primùm basilicam ingredi permissum est. Eam hisce verbis Ioannes Merlauius Abbas, opem afflictis rebus implorans, ad Bonifacium IX. retulit, anno MCCCXCIX.

Beatissime Pater, non sine graui cordis mœrore ac lugubri mœstaq. voce beatitudini vestræ exponimus, quòd nuper die septimâ mensis Iunij anni proximè præteriti, paulò ante medium noctis, suborta sæua tempestas aëris, veniens sicut fulgur ignis de cælo, sanctam ac venerandam, miræque ac pretiosæ structuræ ecclesiam monasterij vestri Fuldensis, ordinis S. Benedicti, Herbipolensis diœcesis, sicut Deo placuit subitò & inopinatè inuasit; totamque huius fabricam miserabiliter per grande & horrendum incendium funditus destruxit, & quasi in nihilum, imò in fauillam & cineres redegit.

Deus tamen pius & misericors, suorum in terrâ curam habens, de suâ superefluente benignitate & misericordiâ, venerabilia, ac omni honore digna, ac perpetuò memoranda corpora & reliquias SS. Martyrum, Bonifacij Episcopi fundatoris dicti monasterij, Simplicij, Faustini, & Beatricis, Processi & Martiniani, ac aliorum plurimorum Martyrum, Confessorum, & Virginum, quæ in præfatâ Ecclesiâ recondita fuerant; nec non quasi omnia quæ ad cultum diuinum pertinent, omnesque & singulas officinas memorati monasterij, à dicti ignis incendio intacta preseruauit & illæsa. Ita Ioannes Abbas. Sed de clade hac posteriore satis superque menuimus libro primo, cap. VIII. Prior quidem illa reuocatur ad annum recuperatæ salutis MCC.LXXXVI. quando Marquardo II. Abbate, æditiuus vino iuxtà somnoque obrutus, malè custoditâ lucernâ, incendij tanti fomitem ministrauit.

Basilicæ incendium alterû luctuosissimum.

Quis flammam illius noctis, quis fulmina flammæ
Explicet?

Adnituntur quidem huius ætatis cœnobitæ in hanc sententiam: *Postridie vinculorum Petri, quâ die publica lætitia ob summi Pontificis iudicium de Marquardi honoribus Româ allatum ad remissionem omnes inuitabat, nostrum venerabile monasterium, in quo gloriosus Christi martyr Bonifacius requiescit, Dei omnipotentis permissu, cuius omnis actio veritas & misericordia; cuius iudicia sunt abyssus multa; igne conualescente, paulò post crepusculum, in fauillam & cinerem redactum est. Reliquiæ, libri, ornamenta, ceteraque domus Dei argento auroque decora vtensilia, summâ diligentiâ à sanctissimis patribus nostris excellentissimo studio conquisita, & impenso labore facta, perierunt. Ah tam excelsos parietes, tam ingentis fabricæ sic flammæ contagio tam subito liquescere, vt ne quidem vnicum altare ab ignibus incolume staret! Ni dolor animi obtunderet, & suspiria vocem includerent, plura de templi ruinâ & incendio certè scriberemus.* Sic illi. Reperiuntur & de sequenti anno litteræ nonnullorum Germaniæ Præsulum, qui Wirceburgi celebrem tunc conuentum, Præside Ioanne Tusculano sedis Apostolicæ Legato, agitabant, quorum primores Giselbertus Bremensis, Bruno Brixinensis, Witigo Misnensis; à quibus scilicet potestas tunc facta, corrogandi suppetias templo instaurando, propositâ pœnarum veniâ. Verba diplomatis sunt:

Synodus Wirceburgensis ad reparationem cladis adiutat.

Cùm

Cum igitur honorabile monasterium S. Bonifacij in Fuldâ ordinis S. Benedicti, per incendium casu inopinato miserabiliter destructum, nullo modo valeat restaurari, &c. ut de bonis vobis collatis pias eleemosynas, & grata caritatis subsidia erogetis . . . Datum Herbipoli anno Domini MCCLXXXVII. *tempore Concilij D. Ioannis Episcopi Tusculani, tunc per Alemaniam S. A. Legati.* Atque ab hisce duobus incendiis versa templi pulcherrima species; nec ad pristinum decorem vmquam inde adspirauit. Etenim singula opera minutatim annumerari possunt, quæ deinde per interualla temporis, ruinarum modo reliquiis superfusa. Anno quippe MCCCCXXXI. ex abiegnâ contabulatione inchoata templi laquearia, & LXXVI. eiusdem sæculi tandem absoluta. Sequenti collocatum Baptisterium. Addita specularia vitrea circumquaque anno MCCCCLXXVIII. deinde M D. ingressus & vestibulum Meridionale. Trigintaquinque pòst annis à Ioanne Hennebergio organum exstructum non infabrè; & ara gemmato plumarioque opere perpolita, aliaque præclara templo ornamenta ad sacrificij cultum ab eodem relicta. Sed hæc, vti exilia, ita ne præterita à nobis viderentur, vel eò præcipuè erant commemoranda, ne imperitâ vanitate vulgus hæc tamquam à cunabulis primæuæ basilicæ exorta, ingerere ornamenta pergeret. Non siluero tamen S. Andreæ oratorium Australi lateri basilicæ adstructum versus Orientem, cui, Reliquiæ nouæ, titulum indidere. Hîc capaci tumulo saxeo, sed diuisis bipartitò loculamentis, cernitur aceruus grandium ossium, quæ ex antiqui templi busto, aut ruinis illuc translata. Horum, quoniam obscura testificatio, titulis & indiciis amissis, iccircò cultus etiam & veneratio languet: tametsi religionem locus appellatione suâ tueatur, memorentque senes, exordio sæculi superioris, perenni lumine & sacrificio, cultorumque frequentiâ, vestibulum hoc ædis cohonestatum. Tradunt hîc etiam loci, tandem conditis ossibus, quieuisse Conradum Salicum, eius nominis primum Germaniæ Regem: qui, nullis iam reliquis mausolei vestigiis, maiore nobis præconio efferendus; publicè, quod Caroli Magni stirpem in Germaniâ, morte suâ conclusit; priuatim, quòd Carolingorum pietatem æmulatus, Fuldensem ecclesiam eximiis donis ac regiâ liberalitate plurimâ mactauit.

S. Andreæ sacellum zum neuwen hailigtumb.

Conradus I. Rex Fuldæ sepultus.

Herm Contract. in Chr. Otto Frising. lib. 6. c. 15. 16.

Rhegi-

Rheginonis itaque ſupplemento hoc præclarum indolis Regiæ, ac germanæ Principum virtutis elogium retulit:

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXIX. *Conradus Rex obiit, vir per omnia manſuetus, prudens & diuinæ religionis amator. Qui cùm obitus ſui diem imminere ſentiret, vocatis ad ſe fratribus & cognatis ſuis, maioribus ſcilicet Francorum, mortem ſibi imminere prædixit; & ne in eligendo poſt ſe Regem, diſſidium regni fieret, paternâ eos voce præmonuit: ſed & Henricum Saxonum Ducem* filium Ottonis, virum ſtrenuum & induſtrium, præcipuumque pacis ſectatorem, vt eligerent; iuſſit; aliumque ei ad hoc officium æquè dignum inueniri non poſſe teſtificans, ſceptrum ei & coronam, ceteraque Regiæ dignitatis ornamenta, pacto tuendi & conſeruandi regni, per eos tranſmiſit. Ipſe verò hac vitâ decedens, in Fuldâ monaſterio honorificâ ſepulturâ tumulatus eſt.* Quot verba, tot aurea magnanimi Regis decora. Sed quia funus Conradi honorificè illatum conditumq́. Fuldæ, ante cladem baſilicæ ſatis liquet; probabile, pro varietate caſuum ac temporum, ſepulturam non retinuiſſe primam; ſed migraſſe identidem, dum in oratorio S. Andreæ oſſa vaga ſedem acciperent. Teſtatur quoque Marianus Scotus ſepultum, *in Fuldâ monaſterio iuxta altare S. Crucis*: quod equidem, in ipsâ veteri baſilicâ repono. Ceterùm quàm regificè ſibi dum incolumi ſepulturam hanc Fuldæ poſt mortem decreuerit, ex donationis illuſtri monumento teſtatum facio:

* *Ex Luitgardâ ilâ Arnulſi Imp. MS.*

Conradus Rex ſibi Fuldæ ſepulturam deligit.

CVNRADVS *diuinâ clementiâ fauente & ordinante Romanorum Francorum Rex. Si loca Sanctorũ, diuinis mancipata cultibus & ſpiritalibus inſtituta ſeruitiis, donis ac beneficiis nobis à Deo collatis, ditare & honorare voluerimus, non ſolùm ad honoris noſtri augmentum, ſed ad æternæ etiam ſalutis noſtræ profectum cedere, pro certo habemus. Quapropter notum fieri volumus omnium Chriſti ac noſtri fidelium induſtriæ, qualiter nos pro amore vitæ æternæ, & ſacroſanctæ Chriſtianæ religionis amore prælegimus locum Fuldenſis monaſterij, ſpecialis prærogatiuæ patrocinatione ſanctiſſimi Bonifacij muniti, requiem poſt finem vitæ, Deo annuente, conſequi. Vnde, quia incerta eſt vita hominis ſuper terram, oportunum ac valdè neceſſarium videtur, vt præueniamus diſtricti Iudicis iram in confeſſione, & puriſſimæ atq. mundiſſimæ conſcientiæ oblatione. Offerimus igitur & contradimus Deo & ſanctiſſimo eius martyri Bonifacio, prædia duo, à parentibus*

noſtris

nostris hereditario iure collata nobis, hoc est, in Hagen & Sumerode, cum omnibus suis appendiciis, cum cunctis terrarum ac siluarum terminis, ea condıtione certissimaque pactione, vt praedicti Fuldensis monasterij fratres victum & vestitum inde habeant, & pro animae nostrae, matrisque nostrae Glismudae liberatione, preces iugiter Deo fundant. Ad priscum Fuldensis ecclesię Martyrologiū adscriptum,

Glismuda mater Conradi Regis. Neta numeralis in MS. desideratur.

X. KALEND. IAN. ⊖

CVONRADVS REX.

CAPVT VIII.

De Sanctorum Reliquiis, quae Fuldae exhiberi solitae.

EXTERIOREM basilicae faciem plurifariam ostendimus, iam interiorem ornatum & synthesin explicamus. Sed spissum tamen sit nimis ac densum opus, omnium quae antiquitus in Fuldensi basilicâ conditae Diuorum enumerare reliquias, cùm huius generis in sacrario paene iustum volumen extet. Extant & vetustis librorum monumentis inscriptae Pontificum condonationes, quibus ad patronorum venerationem & frequentiorem cultum inuitati maiores. Hisce ex libris perspicere facile sit, quo ij olim in pretio & honore extiterint. Sancti Bonifacij imagini adstat Alexander IV. Pontifex cum hac scripturâ:

Reliquiarum prolixus index in sacrario Fuld.

Alexander omnibus verè poenitentibus & confessis, ad monasterium S. Saluatoris in festo S. Bonifacij, Simplicij & Faustini, quorum corpora hîc venerabiliter requiescunt, ac in anniuersariâ dedicatione Ecclesiae venientibus, c. dies de iniunctâ sibi poenitentiâ misericorditer relaxamus. Anagniae v. Idus Decembris, Pontificatus anno v.

Patrocinia & Indulgentia veteris Ecclesiae.

Longa hinc sequitur Pontificum series, id genus expiationum de ecclesiae thesauro huc similiter expromentium. Sed repetitis ignium & bellorum damnis, quibus cùm templi veteris moles, tum aliae vicinae ecclesiae non semel ab ipsis propè fundamentis succussae, dubium esse nequit, quin confuso ruderi-

bus pauimento, & cryptarum inteſtinis ambuſtis, varia hinc reliquiarum & abolitio extiterit & detractio partium præcipuarum. Quamquam nec illa maiores propria cura deſeruit, quâ perfecerunt, vt quod in hoc genere ſpectabile & integritate maximè commendatum, id cladibus ereptum & ſecuriore repoſitum loco, transferrent ad poſteros; cuiuſmodi ſunt illa Sanctorũ corpora membráve quæ tumbis vel loculis inauratis incluſa, vel thoracibus argenteis gemmatiſve verticibus affabrè cuſtodita, pro variâ feſtorũ conditione inde proferri, ac honorari publicè mos eſt. Quare, vbi minima omnia non poſſumus, hæc maxima conſectari, quæ Deus nobis reliqua fecit, vt gratũ patronis cælitibus, ita nec iniucũdum ſperò poſteris fore.

S. Bonifacij Anteit virtutum omnium & memoriæ principatu S. BONIFACIVS, cuius oſſa, vt deſiderij flagrantis impetu in alia quoque terrarum loca ſubinde diſperſa ſint, titulum tamen hęc eccleſia ſibi retinet in indice reliquiarum:

Corpus, Arca S. Bonifacij, in quâ continentur reliquiæ eiuſdem S. Bonifacij Archiepiſcopi & Martyris, qui corporaliter requieſcit in hoc monaſterio.

Caput. Porrò caput à cetero corpore demptum inuenio, anno Domini MCCCCXX. cuius cranium argenteæ ſtatuæ mitrati & infulati Præſulis pectore tenus, impoſitum, & ipſo die S. Lucæ Euangeliſtæ ab Euerardo Sebaſtenſi Epiſcopo, Herbipolenſis Eccleſiæ ſuffraganeo, donarium id conſecratum.

S. Sturmij S. STVRMIO Bonifacij diſcipulus & Apoſtolus Saxoniæ, nec non primus Fuldenſis monaſterij Abbas, proximum iure

Corpus, faſtigium occupat. Is in loculo item peculiari præſens rogantibus patrocinium offert; veteres modò iuuet inſtaurare honores, quos illi quondam ciuitas Fuldenſis ampliter impendit.

Caput. Huius item ſeorſim caput extitit argento conſpicuum, & auguſto vertice venerandum. Eius antiqua pictura ſic loquitur: *In feſto meo accedẽtibus altare meum* x. *Carenæ laxantur.* Geſtari feretro Sanctum, à cõmuni ciuitatis, honoris cauſsâ, ſolemne fuit.

S. Sola. S. SOLA, huic dignus vt aſſocietur, Anglus & S. Willibaldi comes in Eiſtatenſis eccleſiæ iaciundis fundamentis, eâ vitæ ſanctitate, vt Bonifacij diſcipulum facilè agnoſceres. Is hoc impen-

impenſiùs ab eccleſiâ Fuldenſi coli retineriq́ue debet, quo poſſeſſiones eius & monaſterium per ſuperioris ætatis iniuriam auidiùs abſtracta ſunt. Trithemius in viris illuſtribus: *Sola Abbas in diœceſi Eiſtetenſi, natione Anglicus, & diſcipulus S. Bonifacij martyris, vir ſanctitatis eximiæ & multarum virtutum*, &c. *claruit circa annum Domini* DCCLX. *cuius feſtum agitur* IV. *Nonas Decembris*. Sed eius res geſtæ clariorem nuper accepere lucem, per Ermenoldum, ſiue Ermanricum Diaconum & monachum Fuldenſem, qui & neophytorum ad Solam concurſus, & miraculorum ipſius gloriam celebrans, Altino Præſule Eiſtatenſi V. primùm humo leuatum ſcribit; eiuſque corpus repertum, expers tabis, oratorio montis Septemtrionali non ſine mirifico afflatu cæleſtis odoris. Inde Gregorij IV. iuſſu cælitibus adſcriptum, conſtat tralatum eſſe Fuldam. c.254. Hen.Caniſ. tom 4.lect. antiq. *Altinus V. Epiſcopus Eiſtatenſis, aliàs Aituinus.*

S. LIOBAE pignus, virginum in Germaniâ plurimarum altricis, Fuldenſe quoq. monaſterium accepit, quę ſanguinis propinquitate, & æmulatione virtutis, trans mare ad hos inculti deſerti ſaltus, ex Winbrunenſi monaſterio, à S. Bonifacio accerſita, & ſingularis abſtinentiæ, ſanctimoniæ, doctrinæ & miraculorum exemplis, Thuringicis Franciciſq. puellis prælucens, ad virginitatis hîc pænè extinctæ decora, ſexum femineum excitat. Quieſcit in Fuldenſi ſacrario, vt meritis in cælo, ſic in S. Bonifacij & Rudulphi monachi litteris apud poſteros ſemper victura. Nec intempeſtiuè illæ S. Bonifacij hîc* epiſtolæ legantur, quas ardenti & Apoſtolici ſpiritus proprio quodam ſtylo, ad ſacratam hanc virginem miſit. Nec item prætereunda, quam ex Angliâ ad S. Bonifacium ipſa dedit, quâ deſiderium ſuum erga propinquum Antiſtitem teſtatur; & verſiculis ſubiectis, poëticæ haud ſe ignaram fuiſſe oſtendit. *S.Lioba.* * 36. inter editas S. Bonifacij.

Atque hæc eorum pignora ſunt, quorum ſanctitas apud Fuldenſes ſicut adoleuit, ita gloria cultus ab ipſis fidei Chriſtianæ incunabulis, perſeuerauit. Ad Martyres itaq properat oratio, qui religionis magnitudine, & probabili accurataque veterum monachorum diſciplinâ inuitati, hæc quamlibet obſcura terrarum ſola, non pulchræ modò prætulerunt Italiæ, ſed vel ipſi quoque Quiritium vrbi dominæ. Et quamquam horum omnium tranſitus ac traductiones non ſatis luculentè fideliterque

litteris mandatæ ſint, ipſi tamen aut toti vel maiore ſui parte multis hîc oſtentui fuere ſæculis & ætatibus.

SS. Simplicij & Fauſtini & Beatricis. Nobilium fraternitas.

SS. SIMPLICIVS, FAVSTINVS, & BEATRIX, tutela & præſidium Fuldenſis ciuitatis, decus & columen ordinis equeſtris, qui *proprio corpore Fraternitatis erecto, olim ſe in horum tutelâ Martyrum eſſe, pro magno habuit*; eorumque piam ſarcinam viri nobiles publicis circuitionibus humeris olim ſuis vectarunt ſupplices & venerabundi. Porrò Martyres hi, germano ſanguinis & Chriſtianæ fidei vinculo colligati, Romæ viâ Portuenſi, Diocletiano Imperatore, illuſtre fecere martyrium; illi capitali ſupplicio, ſoror Beatrix in carcere faucibus obliſis. Nec eorum in hæc loca tranſlationi derogat quidquam, quòd Romæ in baſilicâ S. Mariæ Maioris apud Onuphrium Panuinum & alios horum Martyrum pignora adhuc in depoſito numerentur, cùm apud Chriſtianos frequens olim & obuia extiterit eiuſmodi reliquiarum diſtractio partitioque.

Martyrolog. Rom. & al. 29. Iulij. Sur tom. 3. in Anthimo.

S. Vrbani caput.

**exprimunt maiores 45 ½ marcas argenti.*

S. VRBANI Papæ caput, ſeorſim item ſpectatur magni* ponderis argenteâ thecâ Ioannis Hennebergij liberalitate circumdatum. Eius inuentionis fama anno MCCCCLXXVIII. percrebuit, quãdo in monaſterio montis S. Ioannis, pridie feſti S. Simplicij, caput hoc repertum plumbeo incluſum ſcrinio, atque inde, ipſâ die Simplicij, venerabundo ſupplicum agmine, ex monte tranſlatum ad baſilicam primariam. Porrò mos inde ſuſcepit, vt ipſâ pontifici ſacrata feriâ, Vrbani vertex in oppidi parochiam ex ædium principe inferretur, & Martyris honori diuina iſtic myſteria ritè peragerentur. Quod cærimoniæ genus iam, cum plurimis aliis, exoleuit.

SS. Proceſſi & Martiniani. Sur. tom. 4 & Martyrol.

SS. quoque MARTYRES PROCESSVS & MARTINIANVS quos Roma & Vaticana baſilica ſuos prædicat incolas, ſe Fuldæ item quondam magnis patrociniis & honorum indiciis commendarunt. Eorum venerandæ reliquiæ, cùm à Scabinorum collegio quondam religioſâ vectatione circumferebantur, illius diei memoriam renouabant, quo ambo ab Apoſtolorum Principe Petro Baptiſmatis aquis abluti ſunt; atque inde à Nerone, exquiſitis ſuppliciis affecti, tandem capite cæſi, egregio vitam finiuere martyrio. In commentario Indulgentiarum, eorum imaginibus hæc adſcripta verba:

Fuldæ

Fuldæ requieſcimus corporaliter, & fideles populi nos ibidem viſitantes patrocinium noſtrum obtinebunt,& pœnitentes abſoluentur x. Carenis de iniunctâ ſibi pœnitentiâ,in die noſtrâ,& per totam octauam.

In perantiquo Fuldenſis eccleſiæ Martyrologio reperiebam: *Ad* XVII. *Kalend. Ianuarij Tranſlatio SS. Simplicij, Fauſtini, Beatricis, Proceſſi & Martiniani.* Sed & Simplicij caput, auro radiante vertice, ſingulari palàm honore cultum.

S. FLORAE virginis & martyris, quæ paſſa ſub Gallieno Imperatore, non obſcurum item in Buchoniâ nomen; cui & templum collocatum, & veneratio ac honos à Piſtorum tribu magnus olim habitus. Et quia S. Eugenij quoque & Antonij corpora ſe maiores hîc olim oſtendiſſe gloriantur, non dubitem S. Floram huic Martyrum ſocietati adſcribere, in quâ Lucilla, Eugenius, Antonius & alij, perſequente Gallieno, mortem pro Chriſto oppetierunt.

Martyrol. 29 Iulij. S. Flora martyris.

S. Eugenius. S. Antoninus vel Antonius qui cum Aeonio trāſlatus à Theotone Abbate, vt Chronogr. index.

S. FELICOLAE claritudo facit, vt cuius olim cineres Fuldam tranſlati, nomen eius & memoria caſtitatis non obſoleſcat. Huius quippe, vt & Aeonij & Firmi martyrum nobilia pignora, publicè quondam Fuldæ in honore habita, ſed templi incendiis, vt credibile, obſcurata vel obruta. De S. Firmi cultu vetus Indulgentia teſtatur, adſcripta Martyris imagini: *A principali altari,* ait, *in feſto meo relaxantur* VII. *Carenæ, & per octauam tantumdem.* Et iam venit in memoriam argumentum ſchedæ, in quâ S. Firmum lego Ruſtico aſſociatum; ideoque interpretor eos eſſe, qui Veronæ, tempore Maximiani Imp. obiere martyrium: *Anno* MCCCCLXXVIII. *in die S. Silueſtri Papæ, in cryptâ S. Benedicti monaſterij Fuld. inuentæ ſunt ſuper ſepulchrum S. Bonifacij in antiquo ſcrinio reliquiæ, videlicet S. Firmi, Ruſtici, Beatricis, Liobæ.* Hæc ibi. Felicola porrò XIII. Iunij Romæ, quòd Flacco nubere nollet, & in Chriſti confeſſione fortiter perſiſteret, equulei diro cruciatu, vſque ad mortem vexata, Romæ, viâ Ardeatinâ quondam ſepulta fuit. Cuſtoditur loculo auguſto ſacrarij, à Fabrorum corpore, in pompâ traduci conſueta.

S. Felicolæ, Aeonij ac Firmi.

Martyrol. Fuld. refert ad v. Id. Augusti.

9 Augusti Martyrol. Rom.

Annumerantur his quoque, clariſſimum par germanorum fratrum, Ioannes & Paullus ſub Iuliano martyres, *qui, vt cum anti-

Ioannes & Paulus martyres.

* *Sui parte, non integrè, accipias.*

antiquo ſcriptore loquar, *ad monaſterium Noui montis, vt piè creditur, palamque cernitur, ſunt tranſlati.* Notantur inſignia vnius in ſcuto, duo candelabra; in alterius, duæ oliuæ; & ſubſcriptum: *Arma Ioannis & Pauli martyrum & patronorum Noui montis.* ſed hæc ſymbola nemo neſcit ex S. Ioannis Apocalypſi petita.

Cap. xi. Angliæ Regum inſignia affingunt S. Bonifacio.

Nam S. Bonifacio aliiſq. vetuſtis Martyribus certæ ſtirpis aut gentis affingere inſignia, commentum eſt otioſorum hominum, vix poëtarum ingeniis dignum, quaſi genus & nobilitatem ſuam virtus & ſanctimonia ſine clypeis & colorum diſcrimine tueri non poſſet.

S. Fabiani caput.

S FABIANI Pontificis Romani caput, aut certè capitis verticem, in montis B. Virginis monaſterio venerationi olim fuiſſe & ſpectaculo, produnt eius loci monumenta. Aſſeruari iam id in arcis nouæ ſacello, ſine inſcriptionis vllâ notâ, opinari cogor, nec friuolis cauſſis, ſi res ferat, aſſeuerauerim. ſpectatur argenteo thorace à pectore ad ſummum verticem, opere fuſili, pontificiâ mitrâ habituque.

Reliquiarum ditior cenſus.

Denique ſi indices antiqui fidem merentur, longè huius generis plura Sanctorum alia pignora hiſce condita ſacrariis habuere maiores: idque ſatis tituli perſuadent, & accumulata capitibus oſſa veneranda, quæ Sanctandreani ſacelli ſolo ſtrata, congeſtaque diximus. Accedit huc, qui antiquo codice exprimitur, thecarum & conditoriorum cuiuſuis formæ, metalli, & peregrinæ materiæ apparatus haud modicus, quorum omnium ferè iacturam, vt deplorauit ſuperior ætas, ita vitam eorum vitalem fuiſſe, optent meritò poſteri.

CAPVT IX.

De S. Bonifacij reliquiis minoribus.

QVIA S. Bonifacij & mors & vita pariter Fuldenſi monaſterio ſingularem & gratiam & gloriam peperit, meritò hæc maiores inceſſit cura; vt vtriuſque beneficij famam, memorando quàm poſſent longiſſimè extenderent. Itaque & cultus ſacerdotalis ornamenta, & doctrinæ cæleſtis inſtrumenta reliquêre poſteris, vt non patrocinij tantùm & perennis fauoris

tam-

tamquam pignus & obſidem corpus ipſius Martyris haberent, ſed amictum & libros ſancti viri, ceu decerptos ex arbore nobili immortales fructus vſurparent.

Inter alia igitur Pontificis ſacra lipſana, S. Bonifacij manipulus, ſtola, annulus, cingula, quæque Miſſæ paramenta dicimus, occurrunt; quorum hodie pars maxima latet, aut diſperiit. Pedum quoque, ceu S. Bonifacij extiterit, aſſeruari credunt: id rudi opere expolitum nitet velut eburneum; ſed ex oſſe marino fabrefactum, potior opinio tenet. *S. Bonifacij ſacralis amictus.* *S. Bonifacij pedum.*

Libri verò, qui ad venerationem in ſacrario expoſiti, tres præcipuè ſpectantur præcipui: primæ notæ in his, qui breuiore pergameno martyrij cicatricibus lacer, Longobardicam ſcripturam refert; quo & vſus putatur S. Bonifacius, quando gladiorum cæſim furentium ictibus latus oppoſuit. Etenim gemino tectus hic liber operimento, pro ſubtegmine corium habet inauratum, quod per varias figuras tralucens, venuſtam efficit ſpeciem, ſed ita mucrone deformatam, vt à ſummo ad dimidiati digiti latitudinem, atque hinc rurſus ad ſiniſtram, propriâ cicatrice gladij veſtigia penetrent: denique hæc ſimul vulnera ferè in ſcaleni figuram cuneatim deſcendunt. Imâ quoque libri parte vibices inflictæ, punctim vna, cæſim altera, penetrans latitudine pollicis; poſtremò ictu tranſuerſo corium, & lignum operimenti diſſectum. Argumenta tractatuum, qui huic libro inſcripti, Moguntiacis noſtri Serarij inſerta ſunt. *Libri.* *Codex in Martyrio diſciſſus.*

Alter codex folio ſtricto palmi vix latitudinem exæquans, harmoniam Euangeliſtarum, & eius canonem per tabulas & numeros in fronte monſtrat, omnia maiuſculis & ſemiuncialibus fermè litteris, niſi quòd ad epiſtolam S. Iacobi exiliore & mirè catenatâ ſcripturâ annotationes & gloſſę leguntur, chirographo, vti reor, ipſius Martyris. *Codex Euangeliſtarum.*

Tertius liber eſt Euangeliorum, in octauâ breuiuſculâ, hoc ſanctior, quòd litterarum ſulci, manu D. Bonifacij item impreſſi, litteris ſic inuicem implexis, vt laqueos mentiantur, & plagas reticulorum. Ad calcem libri inſignis atteſtatio, aureo charactere rotundę manus, hunc codicem Euangeliorum propriis S. Bonifacij manibus conſcriptum; ab eccleſiâ ablatum; *Teſtamentum nouum.*

ſed

ſed Huoggi Abbati, ab Arnulpho Imperatore reſtitutum. ſcripturæ tenor hic eſt:

Hoc Euangelium S. Bonifacius Martyr Domini glorioſus, vt nobis ſeniorum relatione compertum eſt, propriis conſcripſit manibus. Quod etiam venerabilis Abba Huggi obnixis precibus à Rege piiſſimo Arnolfo impetrauit; & Sanctæ Fuldenſi Eccleſiæ honorabiliter reſtituit. Cui, Saluator Ieſu Chriſte, præmia ſempiterna pro deuotione ſuâ in cæleſtibus clementer redde, eumq. nobis feliciter dominari tempora longa concede.

Icones in fronte cuiuſque Euangeliſtæ coloribus depictæ cum verſibus. Ex iis eruere quantum licuit, iam damus.

Mattheus instituit virtutum tramite mores;
Et benè viuendi iuſto dedit ordine leges
Marcus; amat terras inter cælumque volantem
Joannes aquilam; ſancto regit omnia lapſu.
Lucas vberiùs deſcribit prælia Chriſti.

In vitâ S. Bonifacij. Ceterùm diſquirat hîc quiſpiam, cùm Othlonus ſcribit S. Bonifacium in agone martyrij codicem tamquam clypeum oppoſuiſſe capiti, anne codex hic noſter idem ille, quem inciſum (*Libri S. Bonifacij viatorij.*) ait per medium ſine noxâ ſcripturæ, & ſuâ dum ętate gladij illam prætuliſſe cicatricem. Sanè, ex hiſtoriâ martyrij quod tradiderim, complures liquet Martyrem ſecum habuiſſe libros, viatorio ritu, capſis & arcis incluſos, quorum caſus & abolitionem reſtitutionemque prolixè notarunt vitæ ſcriptores. Ex iis an Fuldam olim Euangelij liber cum iſtac innoxij vulneris & inciſionis notâ allatus ſit, quod exploratè ſtatuam, non reperio, niſi fortè argumenti ſpecie deceptus Othlonus eum, quem cicatricoſum anteà deſcripſi, pro Euangelij codice ſubiecerit: eſt enim is ſtyli ad legendum nunc difficillimi; meritoq. hunc oppoſitum fidei hoſtibus dixerim; quia inter alia fert ſanctæ Trinitatis confeſſionem, & regulam fidei Catholicæ, atque etiam S. Ambroſij librum de bono mortis. Is verò codex Euangelij, quem S. Bonifacius ſuâ manu ſcripſit, & exiguus eſt, ac nullius incuſſu plagæ violatus.

Claudat

Claudat iam sacrum hunc censum AMICTVS excellens, in quo S. Martyris corpus inuolutum iacuit; qui cùm hominum fugeret memoriam, accidit anno salutis MDCV. ipso die S. Luciæ, id est, XI. Decembris, vt R^mi^ Balthasari nutu, disquisitio reliquiarum fieret, quò nobili Dynastæ Germano gratum faceret. Aderat ibi tum reuerendus & nobilis Ioannes Fridericus à Schwalbach Fuld. ecclesiæ Decanus: cuius voluntate studioque, cùm rimamur interiora, fortè in abditam arculam delatis, vestis hæc subtilissimo lini byssíve textu, sponte se in conspectum dedit, cum hac inscriptione:

Sudarium S. Bonifacij aut linteum quo Martyris corpus inuolutum.

SVDARIVM S. BONIFACII MARTYRIS.

Religionem sindonis attestabatur partium exsectio frequens, quas animæ piæ ad instaurandum Martyris honores, & impetranda suffragia, hinc olim exportauerint.

CAPVT X.

Congregationes & monasteria Fuldensi Ecclesiæ iuncta & adunata.

NON facilè litteris assequar, quibus olim membris & artubus hoc Fuldensis ecclesiæ corpus instructum, quàm latè pertinuerit, plurimis & temporum iniuriâ, & casibus rerum humanarum iam abolitis locis, & in aliam faciem, alternante sorte, mutatis. Faciam itaque compendio, eaque vel hîc recensebo potissimùm monasteria, quæ auorum memoriâ tenebantur ditione Fuldensis Abbatis, & huic, tamquam capiti membra, colligata, omnium sacrarum erant & humanarum societate deuincta. Quod priusquam exequar, id animaduertere licet, copiâ quadam sanctimoniç & rei monasticç factum, vt non vno, maximo licet cœnobio, contenti maiores, huius quoque familiæ suæ fructum latiùs quacumque diffunderent, & per vicina loca propagatum irent. Et creuit opus virtutis æmulatione; quando pulchritudine exempli complures accensi, psalmodiæ diuiniquе cultus assiduitate, pellexerunt & alios, qui Dei gloriam diurnâ nocturnaque voce certatim hîc celebrarent. Hinc in vno neque capaci quidem horizonte cernere

Monastice rei amplisundo.

S oculis

oculis licuit propinquis ædi primariæ collibus ac montibus, ſtare florentis diſciplinæ & numero hominum & ſtudiorum piorum varietate, probè inſtructa quinque monaſteria, quorum Præpoſiti & magiſtratus à primario cœnobio & Abbate ius & leges acciperent. Horum origines vt ſtrictim alicubi, ita Rudulphi nouâ narratione ſequenti libro illuſtramus; iam indicem ob oculos modò proponimus.

A viris S. Benedicti diſciplinæ ſectatoribus inculta.

I. *Principale*, quod vocarunt, *monaſterium* Fuldenſis eccleſiæ S. Saluatori dicatum aliquot ſæculis, præter ceterum cleri ac cœnobitarum gregem, nobilium ordinis tum equeſtris, tum comitiuæ dignitatis frequentiâ ac ſplendore conſpicuum; in quo primorum inſtar, olim antecelluere *Præpoſitus maior & Decanus*, *Camerarius*, *Operarum magiſter*, *Portarius*, *Cantor*, *Cellarius*, *Cuſtos*, *Infirmarius*, *Hoſpitalarius*, *Scholaſticus* vel *Scholarcha*, *Teſtamentarius*; & qui ſimilibus ex diſciplinâ maiorum officiis muneribuſque ſpectati.

[Margin: *Pfortheren.]

Quod ad *Teſtamentarium*; penes hunc fuiſſe conſtat diſpoſitionem piorum legatorum, ſeu ab exteris ea, ſeu à domeſticis proficiſcerentur: nam, tametſi teſtandi copiam ius monacho negauit; more tamen hîc inductum, vt in ampliſſimâ tantæ familiæ procuratione, qui frugi cœnobitæ, aut induſtriâ aut parſimoniâ rem feciſſent, eam, bonâ maiorum pace, teſtantium ritu, huic aliiue, cui libitum loco, intra congregationis tamen gremium, pios in vſus relinquerent. Hæc legata Teſtamentarius vniuersè moderabatur. Cui vernaculus vſus nomen *ab animarum procuratione*, dudum attribuit: ipſumque miniſterium ante annos propè quingentos, memini piè *charitatem animarum* appellatum. Ceterùm his tamquam eminentioribus membris accerſiti cœnobitæ, quibus in Capitulo ſuffragatio & votorum ius fuit; quorum è corpore Præpoſitos eligi ſumique ſuetum, queîs adiacentium monaſteriorum adminiſtratio credebatur. Atque his ſua tamen in maiore congregatione prærogatiua, ac repetundæ ſtationis libertas integra manſit. At vniuerſæ familiæ memoriam ex vetuſtis Martyrologiis repetenti, occurrebant alia perſonarum & dignitatum quoque

[Margin: c. 2. ext. de Teſtam. — C. Cùm ad monaſteriū. de ſtatu monachorum. — M.S. diploma. Selgeretb.]

 diſcri-

discrimina, quibus *in circuitu tamquam nouellis oliuarum, congregationis huius propago mirificè fuit exornata*. Primò in vestigio ferè ij, quibus titulus datur, PRI & MOCHI, id est, Presbyteri & monachi. Inde DIACONI, SVBDIACONI, & MOCHI. Hinc ACOLYTI, *SCHOLARES, & MOCHI quorum in Scholasticis* sacratis color hodieq. durat. Mox CONVERSI & MOCHI. Extra ordines hos Episcopi quidam & monachi celebrantur INCLVSI, & inter moniales feminæ illustres INCLVSAE. Neq. facilè numerum inierim earum siue virginum siue matronarum, quibus A & X' symbola, id est, *Ancillæ Christi*, data. Plurimorū item Antistitum & Abbatum, qui hinc prodiere, nomina fastis & diariis iisdem inserta; sed nomina tātùm, & vnde ad vlteriora peruestigāda nulla retrò pateat via. Atq. hæc corporis quædam totius sunt lineamenta: iam ad ipsa mēbra veniamus.

*SCHOLASTICI.
*Frenschuler.

II. *Monasterium montis S. Mariæ Virginis* olim Biscofesberg, extra muros Fuldensis oppidi; opus S. Bonifacij & Ratgarij Abbatis, & primâ parochiâ Buchoniæ clarum. Habuit incolas etiam Canonicos, sed hos Egbertus Abbas amouit. Vnde in huius monasterij ephemeride, in Nouembri: *Memoria Egberti Abbatis Fuldensis, & reformatoris huius monasterij.*

Annumero loci ruinis superstites à Rhabano versus.

In Ecclesiâ S. Mariæ in monte, qui vocatur Episcopi.

IN DEXTRO ALTARE.

Hoc altare tenens Bonifacius ipse sacerdos
Et Christi martyr ritè patronus adest.
Cui quoque coniunctus fit Papa Gregorius isthic,
Æquati & meritis regna superna tenent.
Non minor ergo fide martyr Laurentius istis
Hic ouat, & precibus adiuuat ipse pios.

IN SINISTRO ALTARE.

Hic pater alme virùm monachorum maxime pastor,
Tu Benedicte tuos ritè iuues precibus.
Cui soror adiuncta Scholastica sancta virago,
Tu tibi deuotis posce salutis opem.
Martyr Anastasia simul tu funde, precamur,
Pro nobis Christo semper & ipsa preces.

In monte qui vocatur Episcopi, in turre Ecclesiæ S. Mariæ.

Annue Christe Deus, Michael Archangelus istic
Assistat votis, nos iuuet & precibus.
Martinus Præsul, martyr Palmatius atque,
Propitium nobis te faciant meritis.
Cassius, Anthimus, sanctus Florentius adstent,
Memmius Antistes, hic soror Etpumia.
Credimus ergo satis placatum te adfore nobis,
Si hi prece nos studeant ritè fouere suâ.

Subsequentes an ad eamdem Ecclesiam spectent, incertum est, cùm principijs basilicæ pars etiam Orientalis, Deiparæ consecrata sit.

Ad Fuldam. Ecclesia S. Mariæ in cryptâ Orientali, has Reliquias continet.

En montis Sinai tabularum ac portio sacra
Condita hic Domini est præsepis atque sui.
Hic Sixtus Papa, Magnus Ianuarius atque
Leuitæ sacri martyrio & validi.
Hermes hic martyr, Quirinus Sulpitiusque,
**Eustrates, Romulus, perpete laude manent.* (* *Eustratius.*)
Theodolus martyr, Humbertus Præsul & almus,
Cum almo VVigberto hic ouat & socio.
Virgo sacra hic Digna pariter & Emerita fulgent,
Æquales meritis atque sacris precibus.

III. *Monasterium montis S. Petri prope Fuldam*; qui mons priscis *Vgelsberge* vel *Hugesberg*, beati *Sturmi* exordiis, *Baugulffi* progressu, & *Rhabani Mauri* perfectis demum operibus, vitaq. istic in otio sancto tranquillè actâ, venerandum, nec non *S. Liobæ* virginis patrocinio & miraculis celebre.

IV. *Monasterium montis S. Ioannis Baptistæ* ad Austrum Fuldensis oppidi, Rhabani item munificentiâ, & præstantibus Diuorum ossibus ab eodem illatis, clarum.

V. *Monasterium S. Andreæ Apostoli Nouimontis* prope Fuldam fluuium, quod Richardus Abbas sæculo decimo excurrente absè affabrè cõstructum, necessariis quoq. fundis & opibus auxit.

VI. *Monasterium S. Michaëlis* in proximo ædi primariæ colle, quod pro cœmeterij ornamento S. Sturmin inchoasse, sæpiùs iam meminimus.

VII. *Monasterium S. Solæ*, siue *Suolonis*, quod Cella vel curia Solæ, id est, Solenhofen dictum antiquitus, Eistatensis diœcesis, de quo mox paulò copiosiùs.

VIII. *Monasterium S. Xisti in Holtzkirchen* inter Mœnum & Tuberam in Orientali Franciâ. De hoc nobilis extat traditio seu præceptum Magni Caroli, quo, auctoritate interpositâ suâ, testatur, Holtzkiricham Fuldensi monasterio ita cessisse: *Troandum Principem Regem*, quem plebeij nonnulli fratrem faciunt Gosberti Franconiæ Ducis, *à fundamēto de rebus suæ proprietatis, in honorem beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, & beatissimi martyris Bonifacij, monasterium Holtzkiricham nominatum, in pago videlicet VValtzase, super fluuiū Abstade exstruxisse, & sibi cum omni prouētu obtulisse: se verò eodem iure, quo optimo, id iam S. Bonifacio tradere.*

Troandus seu Troanus Holtzkircha conditor. Carolus Magnus.

Apprimè monasterium id illustrant nuper eruti Rhabani versus, quos cum titulis hîc suis, memoriæ causâ, subiicimus.

In Ecclesiâ S. MARIÆ, quæ in loco, qui vocatur Holzkiricha, est constructa, iuxta introitum eius, hi descripti sunt versus:

Quisquis hanc aulam petiturus greßibus intrat,
Agnoscat primùm quid locus hic habeat.
Virginis hîc matris sacra pignora ritè locantur,
Hanc aulam & totam ipsa dicat meritis.
Cum quâ Sanctorum turba hîc piè nobilis adstat,
Suscipiens vota, atque Deo referens.
Vnde decet valdè, quòd cordis pura voluntas
Sermóque cum factis dona superna petant.

In sepulchro SS. Martyrum qui ibi requiescūnt, hi continentur versus:

Ecce viros istos, &c. qui à Rudolpho actis Hrabani inserti sunt.

Lib. 3 rr. Antiquitatum Fuld.

IN PRIMO ALTARE.

Virgo Maria Dei genitrix, hæc aula resultat
Ecce tibi, & tota fulget honore tuo.

Virginibus præsens sacra hæc decoratur & ara,
Quá suprà pictas absida læta notat.
*Praxedes *Cum quibus & sancta* Praxis ouat, atque Basilla,*
Candida virgo simul atque Pudentiana.

IN DEXTRO ALTARE.

Cœtus Apostolicus hanc sacram continet aram,
Adiuuat, & precibus ornat, amore colit.
Vos quoque qui intrastis, ceruices flectite vestras,
Deuoto hîc corde poscite lucis opem.

IN SINISTRO ALTARE.

Clarus in orbe soli Martyr Bonifacius istud
Obtinet altare cum socius pariter.
Quorum si lector tu noscere nomina quæris,
Inspice picturam, & relege titulos.

AD CRVCEM.

Ecce crucis lignum, quo Christus sæcla beauit,
Emblemate inclusum arx tenet ista Crucis.
Baptistæ, & Christi spolia tenet ara sacrata,
Doctoris Pauli reliquias pariter.
Scriptor Euangelij Marcus cum compare Lucâ,
Sennen atque Abdon hanc & amore colunt.
Sanctus & Hippolytus, Prothus, martyrque Hyacinthus,
His simul adiuncti mixta locant spolia.

IN CRYPTA.

Martinus Præsul simul & Gregorius almus
Hanc aram meritis ritè colunt propriis.
Cum quibus Equirius ouat, atque Antonius Abbas,
Sanctus Maximinus pastor & ipse pius.

IN CAPELLA.

Culmen Apostolicum Petrus Paulusque Magister
Hoc altare suis ritè dicant spoliis.
Pontifices summi, Xistus, Bonifacius, atque
Martyrio insignes hîc habitant pariter.
Commanet hicque simul Felicissimus Agapetusque
Leuitæ sacri testis vterque Dei.
Flectite vos genua qui intrastis lumina sacra,
Christus adest Rector, poscite lucis opem.

Huius

Huius etiam classis sunto monasteria, quæ si non huius ecclesiæ iura semper agnouerunt, annumerata tamen aliquando, & subiecta primariæ Congregationi, Fuldensi Antistiti paruisse, maiorum litteræ tradunt.

I. *Tharissa VVirciburgensis diœcesis*, Abbati iam suo parens. Huius origo ab *Adelberto nobilissimo*, vt eum appellat Otto, *Francorum Comite & Bambergæ domino*, quem Marianus ad annum DCCCCVIII. perfidiâ Hattonis Moguntini Archiepiscopi proditum, iussu Luduici Imperatoris capite luisse, narrat. Adelberti quippe fuit ad Mœnum amnem castrum munitissimum, cui Regino & Marianus *Terrasso* nomen dant; ex quo monasterium eiusdem nominis inde conditum, *Terrassium*. Id quod ad alterum Adelbertum Comitem Altenburgi, licentiâ illius sæculi denique peruenit; qui periit eodem prorsus leti genere, quo prior, quare Imp. Ottonis iussu securi feriendus, *Donationis conscriptâ chartâ in loco qui dicitur Grenersdorf*, antequam capitis sententiam subiret, anno Domini DCCCCXL. *S. Bonifacio locum & monasterium, quod est in Tharisse, in littore Mœni fluuij, cum omnibus eò pertinentibus, donauit*. Inseritur narratio, quemadmodum ab Adelberto, ob cæsos Luduicum & Henricum ex sorore nepotes, quia filiabus eius cùm vitium obtulissent, illas ducere recusassent, hanc pœnam Otto nec immerenter exegerit.

Tharissa seu Terres monasterium.
Otto Frising. lib 6. cap. 15.
Adelbertus Bambergæ dominus.
Regino in anno 905.
Marianus in eodem.
Adelbertus Altenburgi Comes.
M.S Fuld. & Arch.

II. **Amerbachium*, haud procul à saltu, quem Eginardus *situm inter Neccarum & Mœnum*, appellauit, non vt recentiores ab Ottone, sed *Odonowaldt*: id Wirceburgensis itidem diœcesis cum adiuncto oppido Trithemius ad vetustissimam originem reuocans, S. Pirminio Meldensi an Metensi proëpiscopo adscribit; qui & discipulum illic suum *Amatorem, primum Abbatem reliquerit. Sed his fortè denatis principiis, aut sanè obscuris, Richardum Abbatem Fuldensem superstruxisse paria, & condidisse de nouo monasterium, aliàs luculentè testati sumus; de quo & illud olim in antiquis codicibus annotatum, *Comperisse Richardum, prisco iure, & fundos solique tractus cum ipso monasterio olim S. Bonifacio adscriptos*; atque eò, in huius ecclesiæ obsequio fuit.

*Al. *Amorbach*
Eginard. in translat. SS. Petri & Marcellini.
Trithem. compend. Annal lib. 1.
**Amorem*.

III. *Bantum S. Dionysij* in confinibus Franciæ Orientalis si- *Bantz.*

tum,

tum, inter Liechtenfelsium & Staphelsteinium oppida, in excelso montis vertice. Primordia loci Bruschiana centuria non

Alberada seu Albrat matrona Banti fundatrix. male tribuit Alberadæ Hermanni Marchionis Vohenburgensis matronæ, fundationem anno MLXXI. signans. Sed in huius Ecclesiæ monumentis reperio, monasterij Banti disciplinam

Egberto Abbati monasterium hoc traditur. & administrationem Egberto Abbati traditam, anno MLVIII. quâ de re insignis hæc exstat in antiquis membranis narratio: *Anno Dominicæ Incarnationis* MLVIII. *Indictione* XI. *mense Iulio, sub die* XII. *Kalend. mensis eiusdem, in Orientali Franciâ, in comitatu*

Othalmeshusen. *Gerwini Comitis, in loco qui dicitur Othalmeshusen, factus est conuentus fidelium Principum de pace faciendâ, & sedandâ latronum tyrannide, & raptorum compescendâ seditione. Conuenêre etiam ibi venerabilis Abbas Fuldensis Ecbertus nomine, & quædam matrona Comitissa Albrat, & quamplures nobiles, Comites ac Iudices. In quo conuentu, in conspectu omnium qui aderant, eadem matrona tradidit Deo & S. Bonifacio martyri quoddam monasterium in Banze constructum, pro remedio animæ suæ, & defuncti mariti sui ac filiorum requie. Hoc tantùm à prædicto Abbate præfata matrona expetiit, vt in eodem monasterio secundùm regulam S. Benedicti monachos institueret, ceteraque regulæ congruentia adaptaret. Tradidit ergo, sicut dictum est, venerabilis matrona eumdem locum suæ ditionis S. Bonifacio cum omnibus compertinentiis, & adiacentibus bonis, & prædiis, mancipiis, & cum omni genere vtilitatis,* IIII. *scilicet territoria in Banzgowe.* V. *in Saltzungen, &* VII. *in regione Hessonum. Hanc traditionem suscepit Gerardus Aduocatus Fuldensis monasterij, coram multis testibus.*

Brettinges. Lambert. in Chron. IV. *Brettingense in Thuringiâ Hassiâve* iuxta Visurgim ex Bredingâ, nobili & regiis expeditionibus clarâ possessione, nisi fallor, Hersfeldensis Ecclesiæ, Wideradi occasu, nec aliâ memoriâ priuatim certè consignatum, excidisse videtur.

Breittenauia. V. *Breittenauia* similiter *in Hassiâ* Moguntinæ diœcesis, interitu quàm origine progressuque clarior. Originem Trithemius aperit in Hirsaugiensi Chronico, ad annum MCXVII. primumque Abbatem Drutrinum datum ab Hirsaugiâ, Comiti Wernero fundatori, cum eiusdem familiæ sodalibus XII. anno MCXIX.

Schluchtera. Schluchterense. VI. *Schluchterense* seu *Solitariense*, quod ei nomen dedisse video

deo recentiores, cum oppido proximè à Fuldensium confinio in Hanouensium Comitum ditione situm, diœcesis Wirceburgensis, à veteri religione iam desertum, ludoq. puerili mutatum: nam Fuldensis quidem ecclesiæ imperium iam dudum exuerat. Lego apud Trithemium, *Synodo Seligenstadiensi, præside Aribone, anno Domini* MXXIII. *interfuisse Sirichonem Abbatem de Schluchterâ.* Monstro & simiarum ingeniis persimile; hîc noui Euangelij præcones, in superstite asceterij templo, inter mitratos & togatos Antistites, etiam suos sibi sepulchralibus monumentis asseruisse Abbatum titulos. De quibus posteritas iudicabit, in classe Valerianâ, rectène hominibus nouis iis adscribantur, *qui per mendacium se in alienas familias inseruerunt.* Inflatiùs etiam pro loci obscuritate antiquitatem hîc ignotam vsurpare mihi videntur, qui, vt Petri Lorichij incunabula attollant, Solitariis oppido ad Drusi montem sito natum perhibent; cùm Schluchterensi potiùs Laurâ, quæ ad Thrasebergij montis iacet radices, ortum dicere oportuit, poëtam meliorem quàm cultorem religionis auitæ.

Hirsaug. Chron. — Valer. Max. l. 9 c. 15. — Iac. Aug. Thu. histor. lib. 16 ad calcem an 1560. — *Thraseberg in Buchoniâ.*

VII. *Sunnfurtense* in oppido cognomine monasterium eiusdem fuit conditionis; sed vacillante disciplinâ, semirutum, perhibent ordini cessisse Teutonico anno Domini MCCLXXXIII. Munst. in Cosmographiâ.

VIII. *Brustlohense in Thuringiâ*; iam Collegialis Ecclesia: locus, cuius solo S. Bonifacius olim institit; quem suis etiam vestigiis consecrauit.

A Virginibus eiusdem ordinis olim habitata.

I. *Cœnobium sanctimonialium in Blanckenaw*, auorum & nostrâ memoriâ, flammâ belloque laceratum. abest Fuldâ x. millibus propè passuum ad occasum: nullaque prisci instituti vestigia retinet; templo dumtaxat ad sanctæ & indiuiduæ Trinitatis honorem instaurato, quod à Curione iam administratur; exstructisq. nouis, à nupero Decano, nunc autem Fuldensium Antistite Ioanne Friderico, vsui Præpositorum, domiciliis. Originem loci altiùs temerè accersas, quàm à Berthoi II. ætate; quem, excisâ Blanckewaldiâ arce, sedem hanc virginibus condidisse perhibent. cetera in obscuro latent.

II. *Cœnobium sanctimonialium S. Lamberti* in Tolbâ, quinque circiter passuum millibus Hamelburgo oppido.

III. *Cœnobium ſanctimonialium in Höchſt*, in dominatu Breubergenſi.

IV. *Cœnobium ſanctimonialium in Allendorf*, tractu Saltzungenſi, iuxta Werram amnem: nam in eâdem ripâ Saltzungen à ſalinis dicta villa, donum Hlotharij Cæſaris Rhabano obuenit, anno Imperij eius XXII. nunc oppidi ſpecie tenetur à Ducibus Saxoniæ pignus, cum ſatrapiâ Fiſchbergenſi.

V. *Cœnobium ſanctimonialium in Rhorâ*, olim in Hennebergenſium Comitum, iam in Electoris Saxonici ditione.

*Zellinga VI. *Cœnobium ſanctimonialium in* Zellingen* apud Mœnum, propè à Retzbachio pago, quod dudum intercidit. Liquet ex Rudulpho, exortum inter primordia Fuldenſis Eccleſiæ.

VII. *Cœnobium ſanctimonialium in Cellis*, quæ Fuldâ diſtant octodecim ferè millibus paſſuum ad ortum Solſtitialem iuxta collimitium Orientalis Franciæ & tractus Hennebergij. Earum originem S. Bonifacij patrocinio illuſtrem ad Raitgarium Abbatem facilè reuoces, cui ſua templum exordia debere, docet inſcriptio, quam infrà dabimus, Dedicationis.

VIII. *Cœnobium ſanctimonialium Biſchofesheimenſis* parthenonis, cui S. Lieba prȩfuit; iam veſtigiis dumtaxat notatum oppidi Biſchofshemij ad Tuberam amnem, diœceſis Magontinȩ.

IX. *Cœnobium ſanctimonialium Martiſchſtadium*, in ditione Franconicâ.

Primum, ſecundum, & ſeptimum in Fuldenſis Eccleſiæ poteſtate ac ſolo manent; pleraque media quampridem alienata, vel deleta ſunt.

Atque haud ſcio an ſodalitiis hiſce Partheniis, rectè annumerem Heimbachianam Eccleſiam, tribus circiter paſſuum millibus hinc, iam vicino rure parochiam. Litaniâ S. Marci hodie, olim & nudipedalibus maioris eccleſiæ meminimus frequentatam. Veſtigia monaſterij in Curionis æde, ambituque proximo manifeſta tenentur. Sanctimoniales inſediſſe, & D. Andreæ Noui montis imperio ſubiectas, res maiorum ſermonibus eſt quàm litteris mihi teſtatior. Legebam iſtic in veteri membranâ: *Anno Domini* MCCII. *dedicatum eſt altare S.* ERMOLAI *&* *ſociorum Eccleſiæ in Heimbach locatum ſub turri.* At templi ſtructura longè maiorem præ ſe fert ætatem.

CAPVT

CAPVT XI.

Continuatio monasteriorum & veterum Ecclesiarum.

MAGNAE nauis tabulas non omnes, sed enatantes, quà licuit arripuimus, relictis in medio quoque fragmentis nonnullis, haud gnari penitus, quem locum in hac olim compage tenuerint. Cernuntur diuersis in oppidis aut vicis Ecclesiæ collegiales quatuor.

I. *S. Crucis* Hunfeldiæ ex Parthenone virginum à Carolo Magno.

II. *S. Cæciliæ* in Ratisdorf; olim à monachis habitata, Caroli Magni ætate, cum marcâ eiusdem nominis à Comitibus Reggone, Hattone, Brunichone, S. Bonifacij memoriȩ condita.

III. *S. Petri* in Salis monasterio, quod olim Salchenmunster; apud riuum Kincigam, amœnâ in valle natum, ex antiquissimis Ecclesiæ fundis. Sed duobus iam vix par alendis sacerdotibus.

IV. *S. Bonifacij* in Borslâ, veteres Brustloho regione Thuringiæ, quod ab agrestium cæde *Baurenschlag*, gerere nomen volunt. Hunc locum multa suadent vt impensiùs illustremus. In Werinharij sæpè nobis laudati Præsulis actis, hæc leguntur: *Fecit Ecclesiam in Borslâ miro ornatu lapidum, & omnis decoris, famosissimam porticibus inferioribus & superioribus, pauimento stratam & cancellis decenter ornatam. Addidit Ecclesiæ prædia, & alia vtensilia, quæ inibi Deo seruientibus sufficerent, vt iure ipsa Ecclesia dici possit filia Regis, non habens maculam neque rugam.* Vnum equidem, vel primariæ notæ monumentum huic etiam Ecclesiæ non ereptum gaudebam, ab anno MCXXXI. quo Henricus Abbas eius nominis primus, ferè cladibus & bellorum iniuriis obrutum Brustlohum, ita, vt incolæ demigrationem, & solitudinem loco minarentur, erexit; & amplâ donatione noualium ac fundorum, memoriam cladis aboleuit. Incoluisse verò tunc cœnobitas, satis coarguit donatio, quâ, *Henricus ex Præposito Brustlohensi se factum Abbatem, & hac piâ largitione, fratrum inibi* *Henricus Abbas Brustlohi reparator.*

** Is diuersus ab eo, qui anno MCCXLVI. electus Rex Roman. etiam Raspo dictus.*

Deo militantium, scribit potissimùm seruire voluisse commodis. Auctorem verò damni prodit * Henricum Thuringiæ Comitem Luduici filium; nempe, cui à condito Raspebergo castello, Raspæ cognomentum obuenit.

Henricus Thuringiæ Comes. Thuring. histor. c. 11. & 12. Raspebergũ. Brustlohensis iurisdictio inclinata. Spangeberga.

At clero tamen hîc sacra procurante, vltimum libertatis & iuris sui Ecclesia discrimen adiit, factione Dynastarum, qui propinquo in solo Driuordiæ & Spangebergæ rerum potiebantur. Nam in oppido viciniśque pagis summum imperium vitæ necisque, & tota iurisdictio vsque ad id tempus, penes Brustlohæ clerum extitit: quæ anno Domini MCCCXXVII. demum inclinare cœpit. Porrò Driuordiæ stirpis opes Spangebergæ vectigalibus præcipuè nitebantur, quę ciuitas cum Burgo suo, & Heydâ monasterio propè à Fuldâ fluuio, in Ecclesiæ Fuldensis est clientelâ, & ab Hasso adhuc feudi nomine tenetur. Spangebergam eâ ætate occupabat Fridericus Driuordius, cui patruus erat Hermannus Driuordiæ dominus apud Werram amnem; vbi & domicilium habebat. Hic cum Friderico nepote contractâ simultate, nihil, vt assolent irati propinqui, iniuriarum ei largiri, sed vi solidâ fortunas Friderici oppugnare aggreditur. Spangebergium namque castrum antè expectatum inuadens, defensorem loci, omnesque clientes loco depulsos, cum arce in potestatem redigit. Fridericus patrui cupidinem & iram iuxtà auersatus, grassari sibi persuadet eâdem viâ. Itaque arcem Driuordiam aggressus, eam captam, vt & oppidum ditionemq. vniuersam patrui, sub Imperium suum subiungit. Quæ res, cùm eos in diuturnâ magnaque concertatione armorum inter se habet, deniq. Brustlohensis Ecclesia ab Hermanni filio incessa, & instar munitionis, ad defendendam Driuordiæ iniuriam, bello sedes electa. Posteà loci, Spangebergæ castro & dominio ad Henricum Hassię Landgrauium emptione translatis, Fridericus memor damnorum, quæ ex Brustlohensi munitione acceperat, veteris monasterij turres, ne inde olim sibi noceretur, demolitus est, anno Domini MCCCXXXIV. Sed pœna sacrilegi ausus à S. Bonifacio creditur biennio pòst largè repetita, cùm Friderici Misniæ marchionis celebri expeditione, quâ ille multorum Principum copiis adunatis Erfordiam obsedit, etiam Driuordia cincta & expugnata fuit: &

Heyda monasterium olim

Driuordia, hodie Trefurt.

anno 1336.

& Fridericus grauiter secundùm faciem sagittâ ictus, in Winefridi oppidum concessit, illic inglorius vitam ærumnis deformem finiturus. Atq. ab huius Thuringici belli euentu, Brustlohum, vt & alia nonnulla oppida, ex vnius principatus formâ, in triarchiam incidit. Quæ quidem de Brustloho, quò ne obliuione perirent, vel methodi dispendio à tenebris vindicare voluimus.

Prȩter has Ecclesias, notant antiquȩ scripturæ, celebrem stetisse non longè à Rheno *VVingereshusen*, cuius terminum describunt, *vbi Nitigis riuus deorsum fluit versus Hamersteinium castrum, & sursum in montem Zuderlinten: quam anno* MXVI. *Indict.* IV. *ab Erkanbaldo Moguntino Archiepiscopo in honorem Domini nostri* IESV *Christi, & S. Mariæ Virginis, SS. Apostolorum Petri & Pauli, ac S. Bonifacij, Alexandri, Processi & Martiniani,* &c. *constat dedicatam.* Creinfeldiæ quoque ad caput Luthræ riui in Buchoniæ finibus, magnæ dotis Ecclesiam lego ab eodem Erkenbaldo, anno MXX. Indict. II. memoriæ S. Vdalrici consecratam. *VVingereshusen ecclesia.* *Creinfeldia.*

Lectoris autem otio patientiaque nimiùm quàm abutar, si enumerem illustria quæque monasteria, quæ fœdere sanctissimo huic congregationi iuncta, orationum & piorum operum vtili floruere commercio; initâ societate, quâ eamdem vtilitatem ac remunerationem esse decreuerunt vniuscuiusque, & vniuersorum. Cuius quidem consociationis vsitatæ vinculum non ad eiusdem modò familiæ, sed diuersæ, exteræ, propinquæ, consortium iuxtà transire placuit. Atque hinc Mendicantium, quos nuncupant, (qui Ecclesiæ Christi conseruandæ iuuandæque deuoti, quas non molestias & ærumnas in omni vitâ suscipiunt?) ceu prȩcellentium membrorum ad se rapere sancta studia, & incredibiles labores, curæ etiam fuit. Quippe S. Dominici, Francisci, Heremitarum S. Augustini, & Carmelitarum vniuersa corpora, iustis initis piisque fœderibus, ad sua commoda maiores traduxere. Quo gratiore & æquiore à posteris animo religiosissimi Abbatis Balthasari, primorumque consilium erit prosequendum, qui exulceratis hisce & sanè quàm afflictis temporibus, quò deriuatâ omnem in partem vtilitate, corporis sui languescentis valetudinem retineret asserentque, *Fuldēsis monasterij societas bonorum operum cum aliis diuersissimis.* *Cum Mendicantibus.* *Societatis* IESV *opera quæcumque huc merito reuocantur.*

 non

non dubitarunt huius minimæ nostræ Societatis IESV quodcumque operæ ac compendij, ad iuuentutis liberalem educationem, & subditorum suorum salutem conuertere; vtique cum spe illius immortalis auctarij, quod ipse, posterique & totius Congregationis Senatus olim in cælis auferet. Neque huius rei exemplum in maioribus desiderares. Nam veteres cœnobitas ad expedienda foris Ecclesiæ suæ negotia, & procurationem salutis alienæ sustinendam, auorum item memoriâ clericos apud se habuisse, cùm alia litterarum monumenta planum faciunt, tum illud, quod hodieque inferioris ordinis cœnobitæ horum in locum submissi, capellanorum titulo, & habitum & nomen adscriptitij cleri tueri velint.

Non hîc me contineo, quin formulam fœderis peruetustam in Gallætiâ apud Hispanos, nisi quid me fallit, à Fuldensibus icti, subiiciam:

Compostella.

Orationum communicatio in Galatiâ apud S. Iacobum.

** forte cum Henrico III. Abbate qui Cōpostellam peregrè adijt. Lib 4. Chr.*

*Ego Ruothardus gratiâ Dei procurator Fuldensis, inter ceteros *Oratores, istum ad locum perueni, commune consortium fraternitatis & suscepi, & meâ meorumque fratrum ex parte, vobis idem seruari feci. Vt autem hæc dilectionis confirmatio redintegretur, mittimus hunc librum, vt in nostri memoriam super S. Iacobi corpus in eo Missa cotidie celebretur. Obsecramus autem in Domino, vt vestra in nostris, ita nostri memoria frequentetur in orationibus vestris. Fratrum nomina viuorum, Karitati vestræ subscribimus; & vestræ Congregationis vocabula nobis rescribi petimus. Valete.*

Ceterùm huius quàm olim expetita fructuosissimi fœderis iura, vnius Eggehardi presbyteri exemplo, quod suggerunt antiquæ scedæ, monstrabo: *Is de Præpositurâ S. Xisti in Holtzkirichâ, auditâ famâ summè bonæ religionis fratrum de monasterio S. Bonifacij, quod situm est Fuldæ, in honore S. Saluatoris: &, quia diuinæ seruitutis & sacrosanctæ conuersationis feruor attrahit quoque fideles, ad participandum orationi & fraternitati eorum, cogitabat intra se, quomodo posset particeps fieri societatis & fraternitatis eorum, vt per illorum intercessionem peruenire queat ad regna, vbi vera sunt gaudia. Cumque magno desiderio æstuaret intrinsecùs, misit Deus in cor eius, vt ex terrenis & perituris rebus æternam sibi societatem prepararet in cælis. Volens ergo æternam sibi memoriam cum fratribus Fuldensis monasterij præparare, & cum eis æterni regni sedes possidere,*

Eggehardi presbyteri votum.

dere, prædium quoddam in Hettenefelt à se pretio comparatum, & ab iis, quibus propriâ hereditate obuenerat, coëmptum obtulit S. Bonifacio in Fuldensi monasterio, fratribus ibidem Domino deuotè seruientibus, vt in perpetuo eorum esset obsequio; obsecrans & postulans obnixiùs, vt sui memores essent in diuino ministerio; & vt animam ipsius Deo commendantes, eius fruerentur beneficio. Facta est autem hæc traditio anno Dominicæ Incarn. MCXIX. *regnante Lothario Imperatore inuictissimo, mense Iunio.*

CAPVT XII.

Ecclesiarum quarumdam illustrium Dedicationes.

QVIA adhæc antiquarum aliquot Ecclesiarum, quæ quidem superant in Buchoniâ, quo tempore à quibus eæ consecratæ sunt, vestigia indagauimus; ea ne euanescant, & vetustate obruantur funditus, ad posterorum quoque memoriam litteris nostris propaganda duximus: vtrimque benè merendo gratiam aliquam ineundi spe; à viuentibus quidem, vt grati memoresque noscitent origines populi lociq́ue sui, tot retrò sæculorum ætatibus tam præclaris olim religionibus occupati; à posteris, vt vbi memoriter meminerint, à quibus primùm Christi fide doctrinaque imbuendi in Ecclesiam collecti sint, ab horum auctoritate & iudicio sciant, iustè numquam se posse discrepare.

Anno DCCCXII. dedicata est Ecclesia in Slitisse, rogatu Baugolphi* à Richolpho venerabili Archiepiscopo Moguntiacensis Ecclesiæ XII. Kalend. Octob. in honorem S. Margaretæ virginis. *Slitissa Ecclesia.* *Abbatis. *Richolfus* Mog. Archiepisc. D.T.*

Quo & eodem anno legitur Richolphus Bleistadiensis monasterij templum dedicasse, octo circiter passuum millibus trans Rhenum Moguntiâ distans. Quòd autem Baugolfi hoc factum rogatu, veteres meminerunt, id indicio nobis est sic exiisse pridem potestate, vt intereà loci non prorsus ageret exors publicorum munerum. Slitissa verò oppidum, è quo cognominis stirps gentilitia, est Fuldensis Ecclesiæ clientelare, intra *Slitz vulgò.*

montium fauces, haud procul ab amne Fuldæ, retrusum; religione capiti suo dispar, quam parentum memoriâ, clero non infrequenti, tuebatur.

*al. 825. sed mendum in numere manifestũ, Raitgarie pridem amote. Cellensis Ecclesia. Heistulphus Mogunt. Archiepiscop. D. T.

Anno* DCCCXV. dedicata est Ecclesia in Cellis [virginum parthenone] ab Heistulpho Moguntiacensi Archiepiscopo, rogatu Raitgeri Fuldensis Ecclesię Abbatis, in honorem Domini nostri IESV Christi, & S. Bonifacij martyris, S. Ioannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli, Martini, Benedicti, Cæciliæ.

*al. 850 mẽdosè. Ludera Pagus apud cognominem riuum.

Anno * DCCCXX. [cùm superiore primariam consecrasset Basilicam] dedicata est Ecclesia in Ludeâ ab Haistulpho Moguntiacensi Archiepiscopo, rogatu Eigil Abbatis, in honorem S. Mariæ Dei genitricis, S. Petri, & S. Sebastiani martyris.

*al. 886. mẽdosè. Salmunster. Luitpertus Mog. Archiepiscop. D. T.

Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXC. dedicata Ecclesia in Salchenmunster, rogatu Huoggi Fuldensis Abbatis, à Luitperto Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopo XII. Kalend. Octob. in honorem Domini nostri IESV Christi, S. Petri, SS. Ioannis, Marci, Bonifacij, &c.

Reperi & in vetustis membranis temerè, vt assolet, memoriæ caussâ inspersos hos dedicationis titulos:

Dedicatio templi incerti. an Hersfeldiensis?

Hrabanus Mog. Archiepiscop. D. T.

ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS DCCCLII. INDICTIONE XV. MENSE SEPTEMBRI, PRIMA DIE MENSIS HOC TEMPLVM A HLVDVICO NOBILISSIMO REGE NOVITER CONSTRVCTV̄ EST, ET DEDICATVM PER HRABANV̄ MOGVNTIACENSIS ECCLESIAE ANTISTITEM IN HONOREM S. SALVATORIS DOMINI VIDELICET IESV CHRISTI, ET S. MARIAE SEMPER VIRGINIS, ET SS. XII. APOSTOLORVM, MARTYRVM ET CONFESSORVM ATQVE SANCTARVM VIRGINVM, NEC NON ET OMNIVM SANCTORVM.

Hanc Dedicationem, donec aliunde res magis liqueat, equidem

dem adſcripſerim vicinæ nobis Hersfeldienſis Eccleſiæ baſilicæ,cui meæ coniecturæ & Saluatoris ac XII.Apoſtolorum patrocinium,& Luduici Regis munificentia, & Rhabani deniq. ſtudium pariter fauent. Nec abſterret Lamberti Chronologia vulgata, Rhabano,hanc dedicationem ad annum DCCCL. attribuentis,cùm,primâ Chronici parte ſatis mutilâ, haud paucæ numerorum notæ confuſę,imponant lectori. Et templi hoc negotium fuiſſe multorum annorum idem fateatur Lambertus, cùm ad annum DCCCXXXI. Brunonem Hersfeldienſem vnaque Rhabanum Abbates meminit eius Eccleſiæ fundamenta iecisse VI.Idus Iulij, cuius patronorum nomina tempus & ſera dies item mutarunt, cùm iam S. Wigberti, primi conditoris,iam Simonis & Iudæ Apoſtolorum patrocinia vſurparit. Indictio autem adſcripta, cùm publicis Annalium monumentis, tum hoc epitaphio quoque noſtrate vindicatur: *Eccleſia Hersfeldenſis ſtructura.*

FILIA WIGGONIS GERLIND HIC VIRGO SEPVLTA EST.

CVI PRECOR, O LECTOR, DIC MISERERE DEVS.

⊕ anno Dominicæ Incarnationis DCCCXLVI.

Indictione IX. III. Id. April.

Sed Luduicum Regem obſerues licet, Synodo Moguntiaci eodem anno, Pręſide Rhabano, peractâ, concurſaſſe Saxoniam, & per autumnum crebros conuentus egiſſe in Thuringiâ, & apud Viſurgim: adhæc Erforti, viciniſque locis, impensè coluiſſe pacis artes. *Annal. Pithœani.*

Dignum verò litteris noſtris opus, Baſilicam Herolfesfeldianam auguſti cultus ſtructuræque ob magnitudinem rerum in eâ geſtarum in luce ſuâ collocare, præſertim, quòd hæreſi iam deformata parietibus tectoque ſqualeat, triſtique facie ſuâ minitetur interitum.

Multus in eo Sanctorum honos extitit antiquitus, quorum etiam corpora ſuo gremio cohibuit. de iis vetus index ita loquitur: *Sanctorum corpora Herſfeldienſis baſilicæ.*

Sanctus iſte N. de legione S. Mauritij toto manet hic corpore.
S. Conſtantius integro pauſat hic corpore.
S. Cyrillus Epiſc. & Martyr toto habetur hic corpore.
S. Decentius Epiſc. & Martyr toto manet hic corpore.

V S. Lul-

S. Lullus Episcopus requiescit hic corpore.
S. VVigbertus Abbas totus hic præsens est corpore.
S. Laurentius Episc. & Martyr integro pausat hic corpore.
S. Florentius Episc. & Martyr toto adest corpore.
S. Iustinus Sacerdos & Martyr totus corporaliter præsens.
Iouinianus *S.*Iuuinianus Confessor totus corporaliter præsens.*

Ornamenta. Chori vestibulo edito loco, ad quem gradibus aditur, ex candido marmore hinc & inde apud Odei ianuam adstructæ tabulæ quadratæ venerandâ imaginum sculpturâ; à quibus tamen non abstinuere manus iconomachi. Ad læuam Christus Dominus considet medius, stantibus vtrimque Prophetis eius aduentum prædicantibus, qui hac sententiâ omnes vnà comprehensi:

ECCE VIRGO CONCIPIET ET PARIET FILIVM, ET VOCABITVR NOMEN EIVS EMMANVEL.

Versus autem per tabulę marginem in quadrum excurrunt.

PATRES BISSENI DIVINO PNEVMATE PLENI
ORTVM NASCENTIS CLAVSO DE VENTRE PARENTIS,
CERNVNT, EFFANTVR, PRAESIGNANT, TESTIFICANTVR,
PECTORE, SERMONE, FACTIS, SCRIPTI RATIONE.

Dextrorsum Christus pari modo sedet, hinc inde stantibus discipulis; qui notum illud præferunt:

ECCE NOS RELIQVIMVS OMNIA ET SECVTI SVMVS TE, QVID ERGO ERIT NOBIS?

Adduntur versus in eamdem sententiam:

QVAERVNT SCITVRI· QVAE PRAEMIA SINT HABITVRI,
CVNCTA RELINQVENTES MVNDI, CHRISTVMQVE SEQVENTES.
QVOS CONSESSVROS SIBI CENSORESQVE FVTVROS
PROMITTIT MVNDO, CVM VENERIT ILLE SECVNDO.

Sed hæc, vt in vnam arborem plura insita fructuum genera vicino carpere fas fuit. Ad Fuldana regredimur; vbi præteriri nolim illustrem inscriptionem Georgiani parum comperti sacelli, ob Hadamari Abbatum ocelli memoriam.

ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS DCCCCXXXVI.
Hadamari oratorium. INDICTIONE IX. VIII. IDVS IVNII DEDICATVM EST HOC ORATORIVM AB HILDEBERTO MOGVNTINAE SE-

DIS

DIS SVMMO PONTIFICE, ROGATV PII PATRIS HADAMARI, QVI HOC CHRISTI OVILE XIII. ANNIS REXIT ET HOC SACELLVM CONSTRVERE IVSSIT IN HONORE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, ET IN VENERATIONE S. PETRI APOSTOLI, ET S. GEORGII MARTYRIS.

Hildebertus Mog. Archiepiscop. D.T.

Rurſum quâ in Septemtrionem è principe baſilicâ via ducit, occurrit porta hoſpitalis; & ſupra hanc S. Stephani oratorium à Burchardo Abbate conditum. cuius dedicationis monumentum interiore parietum fronte, litteris præclarè conſignatur.

S. Stephani oratorium apud Hoſpitale.

ANNO DÑICAE INCARNAT. MILLES. CLXVIII. INDICT̄. II. XII. KAL. DECĒBS. DEDICATV̄. Ē. HOC ORATORIV̄. A. *WERINHERO. VENERABILI. MINDENSI. EPO. ROGATV. BVRCHARDI. ABBATIS. IN. HONORĒ. SC̄I SALVATORIS. 7. SC̄Æ. MARIÆ. SEPER. VIRGINIS. SC̄IQ. IOH̄IS BAPT̄. 7. OMNIVM. XII. APL̄OR̄. 7. BEATI. STEPHANI. PROTOMR. CHRISTI. 7. SCI. BONIFACII. PARIT̄Q. IN HONORĒ. ALIOR̄. PLVRIMOR̄. SC̄ORV̄. MARTIIRV̄. CFESSOR̄. VIRGINV̄. QVORV̄. SACROCTÆ. RELIQVIAE. HIC. SVB. PRAEFATO. DIE. VENERABILIT. SVNT. RECONDITAE. ATQ. LOCATAE. QVOR̄. ETIAM. NOMINA. QVONIAM. IN. HAC. ANNOTATIONE. NON. POTVERVNT. CONTINERI. SINGVLA. ALIBI. SVNT. PROVT. CONSEQVENS. ERAT. ORDINE. SVO. PLENIT̄. EX. INTEGRO. DESCRIPTA.

**Werinherus Mindenſis Epiſcopus. Al Krantzio Wernerus, qui Metrop. lib 7. c. 6. obiiſſe, ſed malè ſcribit, an. 1167.*

Alibi:

Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXIX. Indictione XII. menſe Ianuarij XVI. Kalend. Febr. dedicatum eſt hoc templum ab Altuino Epiſcopo Eihſtatienſis Eccleſiæ, in honorem S. Saluatoris Domini videlicet noſtri IESV Chriſti, & S. Dei genitricis Mariæ, & S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Petri Apoſtoli & ceterorũ Apoſtolorum Dñi, & S. Bonifacij Martyris Chriſti, & aliorum plurium Martyrum, Confeſſorum, & SS. Virginum.

S. Solæ.

Altuinus Eichſtatienſis Epiſcopus D.T.

Hunc titulum interpretor ad S. Solę domicilium rectè transferri, de quo iam verba facere aggredimur.

CAPVT XIII.

De Solahofij origine propriè, qua Cella S. Solæ.

HVIVS monaſterij antiquitatem hoc diligentiùs par fuit inueſtigare, quò iam longiùs à ſui corporis diuulſum compage, paulatim eius obliuio ætatis quâdam ſenectâ obrepit. Loci fundamenta Caroli Magni liberalitate, S. Sola iecit, Bonifacij diſcipulus, & collega S. Willibaldi, quocum in Eiſtatenſis ditione Boiariæ finitimâ, rem Chriſtianam præclarè geſſit. Etenim Carolus S. Solæ virtutum famâ excitatus, quo apud cæleſte Numen precatorem eum ſibi faceret, Ermanrico narrante, tradidit ei firmiſſimo clauſum munimento locum, quem incoluit; cui cùm accolæ regionis prædia culta, aliaque liberalitate poſſeſſiones adiecisſent, quâ erat B. Sola in S. Bonifacium, ab eoque relictam familiam, præclarâ voluntate, quæcumque iſtic bona peperit, Fuldenſi voluit eſſe monaſterio addicta. Quâ de re hæc in S. Solæ vitâ apud Ermanricum extat oratio: *Accolæ regionum harum quocumque aduentantes ei* (beato Solæ) *in Chriſti amore frequentius adminiſtrabant; aliquanti & prædij ſui partem tradebant. Quam ille, cum timore Domini accipiens, cum his, quæ dominus Carolus Auguſtus ei donare dignatus eſt, ad egregium Fuldenſe cœnobium, poteſtatiuâ manu contradidit. Vbi, Deo prouidente, modò ſanctiſſimus, ac in omni arte peritiſſimus dominus Abba Rhabanus perſpicabiliter fulget: videlicet nemini deuotior quàm illi magiſtro* (puta S. Bonifacio) *quem ſequi ab exordio cœperat; illiúque familiæ, quæ magiſtri ſuæ inſtitutionis imitatrix, vbique nobilis habetur.* Porrò creſcente deinceps S. Solæ patrimonio, quò tardiùs id heredes cernerent, interueniſſe quippiam cupiditatis vel ambitionis apparet. Nam, ex actis S. Solæ manifeſtum eſt, à Guntramo Regis Caroli an Luduici Capellano, Cellam cum baſilicâ & oratoriis hoſpitaliter inſeſſam & adminiſtratam. Creuerat Guntramus is à puero Fuldæ in liberalibus diſciplinis ac pietatis artibus, Rhabani ex fratre nepos; inde maturior, è monaſterij gremio Diaconus abſtractus, & palatinorum cohorti aſſociatus, in aſperrima illa iuga montium conceſſerat Regum iuſſu, præfectus Curiæ S. Solæ. Quo faciliùs

S. Sola.

Caroli Magni liberalitate conditum domicilium.

Donationes accolarum.

Rhabani Abbatis præconium.

Fuld. monaſt. nobilis fama.

Guntramus Rhabani nepos.

liùs inde impetratum reor à patruo, vt iustâ tandem is publicaque donatione, in auitam possessionem vel postliminiò veniret. Enimuerò, quo ex tempore Rhabanus Cellam hanc adeptus est, omnibus inde secutis ætatibus, Abbas Fuldensis, præpositos istic ex sui monasterij corpore constituit, & monasterium id pleno sibi iure subiectum habuit. Situm est verò in Eistatensi diœcesi apud riuum Altmonam piscibus fœcundum, qui Danubio receptus, vulgò nomen Altmullen iam olim habuit, in eâ soli regione, quam Marcgrauij Anelztbachenses, stirpis Brandeburgicæ, insident. Cellæ domicilium, cum oratoriis & basilicâ, Ermanricus in Sualæ pago, Francorum more, describit, celsissimo montium iugo ab occasu circumdatum, & vno vix angusto tramite peruium. Riuus Altmona subter ex Septemtrione labitur in Austrum, versus Orientem Solæhofium lustrans. Circùm ager, arte cultorum quàm naturâ feracior, tædis arborum ac pice frequens. Donationis verò à Luduico Pio factæ, tenor est eiusmodi:

Rhabanus Abbas recuperat S. Solæ curiam.

Situs Cellæ S. Solæ.

Altmona riuus.

Ad Bruschiũ in monasterio Rebdorf, quod apud Altmonam iuxta Eistadium, vbi Altimula, & Almonus dicitur.

Sualæ pagus.

Luduicus diuinâ ordinante prouidentiâ Rom. Imp. Augustus. Si inter mortales, mutua beneficiorum collatio, gratiam atque amicitiam conciliare solet; quanto magis per id, quod in Sanctorum, & iam cum Christo regnantium Martyrum in cælis honorem, quilibet de rebus ex diuinâ largitate concessis, conferre curauerit, credendum est premereri, & Sanctos eius patronos, & intercessores fieri. Beati sunt qui hoc deuotâ mente compleuerint. Quapropter notum fieri volumus, omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertiæ, qualiter nos, suggerente viro venerabili Rhabano Abbate, villam proprietatis nostræ, vocabulo Mulenheim, situm in pago Sualefeldt, iuxta fluuium Altmule, quam nos cum alio prædio nostro, id est cum Cellâ, quæ Solæ vocatur, ad Fuldensem Ecclesiam pertinente, & Altheim villâ quadam, quæ omnia priùs in nostrâ immunitate habuimus, eò quòd locus venationis antiquorum Regum antecessorum nostrorum fuerit, S. Bonifacio martyri in ius & possessionem sempiternam tradimus; eâ videlicet lege & conditione, vt locus ille sempiternâ protectione, & regulari gubernatione à Fuldensi monasterio muniatur. Cuius traditionis chartam annuli nostri impressione munuimus, & nominis nostri conscripto charactere confirmamus. HLOSI *Anno . . . .*

Luduici Pij donatio verè pia.

 Cete-

S. Sola præpositura abducitur.

Ceterùm mansit hæc Cella, quietis rebus, in fide & potestate Fuldensis Abbatis, vsq. ad annum Christi MCCCCXXCVII. quo tempore, Ioanne Hennebergensi Comite Abbatis munus gerente, ob Godescalci à Buchenaw istic Præpositi parum felicem administrationem, Solenhofium recusare præpositos cœpit Fuldâ submissos; & ex suo cœtu constituere sibi præfectos, Marcgrauiorum eam in rem adhibens tutelam & auctoritatem. Hæc deinde controuersia Romæ & alibi agitata, ad annum Christi MDXXIX. vsque partes tenuit, donec Georgij Marchionis tandem auctoritate sic discussa, vt inter arma silere leges coactæ sint: & hæresis quoque mox superueniens, religionem loco detraxit.

CAPVT XIV.

Confeßio vt à Francis Orientalibus & Thuringis coram Sacerdote vernaculo sermone fieri solet, cum descriptione quadam limitum huius Ecclesiæ.

QVIA ab antiquitate nomen libris hisce dedimus, ne parerga quidem hæc omittere placuit, quæ religionem maiorum, non citra imitationem exempli, apud posteros commendent. Itaque, quam formulam in Fuldensis Ecclesiæ monumentis sacerdoti peccata detegendi maioribus vsurpatam inuenimus, hanc Teutonifrancico sermone, Latinoque ex hoc conuerso, subiicere visum est.

Cõfessio peccatorum vernaculo Theudisco.

Ih wir du Gote almahtigen bigihtig, inti allen Gotes Heiligen, inti dir Gotes manne, allero minero suntono, vnrehtero gi: inco; vnrehtero worto; vnrehtero werco; the sih vnrehtes gesahi, edo vnrehtes giborti, edo vnrehtes biganhti, so war so ih widar Gotes willen gitati; meinero eido, vbilero fluoho, liogannes, stelannes, huores, manslahti, vnrehtes girates, edo mir iz thuruh min kindisgi giburiti, edo thuruh vbertruncanheit giburiti, edo thuruh min selbes gispensti, edo thuruh anderes mannes gispensti, girida, abgunstes, nides bisprachidu, vbilero lusto, thar ih ni zi kirihum quam, so ih mit rehtu scolta; mino ziti ni bihielt, mina fastun ni bihielt, min alamuosen ni gab, zuena ni gisuontu, sunta ni virliez, the molh mit rehtu scolta, heliga sunnuntaga, inti heliga

heliga Messa, inti helegen wizod nie rata, so ih mit rehtu scolta. Thes alles inti andres manages thes ih widar Got almahtigen sculdig si, thes ih Gote almahtigen in minero Kristanheiti gihezi, so ih hes gehuge, so ni gehuge, so ih hes gethahti, so ih hes gisprahi, so mir iz slafenti giburiti, so wahanti, so gangenti, so stantenti, so sizzenti, so ligenti, so biniges alles Gote almahtigen bigihtig, inte allen Gotes Heligon, inti thir Gotes manne, inti gerno buozu, frammort so fram so mir Got almahtige giwizzi, inti mahti forlihit, inti forgibit. Amen.

Confiteor Deo omnipotenti, omnibus Dei Sanctis, & tibi viro Dei omnia peccata mea, iniquas cogitationes, iniqua verba, iniqua opera mea, siue malè ea locutus sim, siue malè audiuerim, siue malè fecerim; quidquid tandem contra Dei voluntatem patraui; vt sunt iuramenta & maledicta mea, mendacia, furta, fornicationes, homicidia, iniustè parta, quæ vel per pueritiam & ignorantiam commisi, vel per ebrietatem, vel per meipsum, aut alium deliqui. Confiteor & auaritiam meam, maleuolentiam, inuidiam, detractiones, prauas delectationes, concupiscentias; quodque cùm ex officio debebam, ad templum non venerim, quòd temporis rationem non habuerim, ieiunia non obseruauerim, eleemosynas non dederim, proximo peccata non condonarim, prout debui. Festos & sanctam Dominicam non coluerim, ad sanctam Missam & prædicationem non accesserim, vt debui. Hæc omnia peccata, & alia multiplicia, quorum coram omnipotente Deo reus sum, & quæ in Christianismo meo, Deo omnipotenti promisi, siue memor sim, siue oblitus sim, siue fecerim, siue dixerim, siue dormienti acciderint, siue vigilanti, siue ambulanti, siue stanti, siue sedenti, siue iacenti; hæc inquam omnia Deo omnipotenti confiteor, & omnibus Dei Sanctis, & tibi vir Dei; & promitto libens pœnitētiam, & emendationem, *quantum conscius ac testis mihi Deus & auxilium viresque mihi dabit. Amen.*

[* Franc. Annales in an. 866. transferunt, *Quantum mihi Dominus scire & posse donauerit.*]

Atque hæc ex Teudiscâ linguâ, quam retinuere Franci Germaniæ incolæ, diuersâ quidem ab illâ, quam Franci Galliarum domini vsurparunt, & Romanam à linguæ Latinæ vestigiis appellarunt. Neque taceo in Nithardi Angilberti historiâ, Caroli Luduici Pij filij, pactionem, quâ fraternam concordiam sanciunt, eâdem formulâ concludi, quâ confessio hæc absoluitur. Ait enim Nithardus ista Carolum Teudiscâ linguâ prolocutum: * *Fram so mir Got gewiz ei indi madh furgibit.* quę totidem pænè verbis antè expressa, lucem ab interpretatione nostrâ accipiunt.

[Histor. lib. 3.]

[* *Quantum mihi Dominus scire & posse donauerit.*]

cipiunt. Ceterùm ad hoc idioma proximè quidem accedit, etsi fortè sequioris ætatis, limitum quædam descriptio ab Erkanbaldo litteris mandata, qui ex Abbate Fuldensi Moguntinus factus Archiepiscopus, ante DC. admodum annos. Ex eâ quisquis hæc loca compararit, perspiciet facilè, quàm sit iam inde sonus & vsus idiomatis vernaculi demutatus. Terminorum autem finitio fuit huiuscemodi:

*Vbi Iazaha influit in Fuldam: hinc adscendendo ex istâ parte Branfurst, vsque in lapideum pontem. Inde adscendendo per Hunam, vsque in Frihosanaha; & per Frihosanaham adscendendo, vsque Ruothardes. Vbi obliquè super Oboleshere inter duarum villarum Dieterichshausen & Heyenfeld: & sic obliquè super illam Hardt. Inde descendendo in Haholdesbach: ibi obliquè super Luthram, vsque ad Ogenrod in illum fontem; & sic rectè ante se in Midenbach; & per Midenbach deorsum in Fuldam. Ibi obliquè super Fuldam, vsque in villam Schmalanaha. Et sic per viam, quæ Clericorum via dicitur, vsque in Tougilhoubeth; & per Tugilum descendendo vsque in Scanfuldam. Inde per Scanfuldam deorsum in Hegibach. Inde per Hegibach adscendendo, vsque in Ammenbrunnum; & sic adscendendo, vsque ad Steinenstampff. & ibi descendendo in nigram Kalbaha. & hinc vsque in Flidenam. Inde per Flidenam deorsum in VVeidenmantzbruche. Et sic rursum in Reinenwech: inde vsque ad Sterck, * an den Stein in Mosam. Inde in veterem Schlieresam; & sic descendendo, vsque ad terminos villæ Heribrachtshusen. Inde ad Regisenfeldt; & sic deorsum, per Schlieresam, vsque in Schlitisam. Et ibi per quandam viam, vsque in Meilengescheidt, in illam stratam. Et sic per illam stratam descendendo, vsque in Iazaha. Inde deorsum per Iazaham vsque in Fuldam. Scripta* XVIII. *Kalend. Iulij, anno primo Pontificatus Domini Erkanbaldi Archiepiscopi.*

Atque hæc limitis circumscriptio, plurimùm soli fuit monasterio propinqui; & quâ aduocatus rem ecclesiæ, pro concesso ad tempus imperio, gessit. Alioqui longè plus obtinuisse terrarum vndique, ex iis quę loco dicenda, scribenda, manifestum fiet. Et multas retrò limitum vicissitudines extitisse, facilè docuerim; quamquam tractus terrarum habitatos nihil æquè testantur ac nemorum flexus, quæ à Buchoniæ incolis partim insessa, partim coronâ fuere circumdata; ipsique riui, & amnes, licet

Pfaffenvvege.

** Ad lapidem*

Schlueteresa.

Schlitisa.

Centa districtus.

licet non maximi, piſcium tamen & varietate & luxurioſâ fœturâ vel maximè fœcundi. Nam præter Fuldam cognatoſque minores riuos, per Werræ ripas, Buchonij Thuringiæ & Haſſiæ limitem, frequentarunt; ac Mœnum alicubi tranſgreſſi, vt Regum tulit liberalitas, ſparſim poſuere ſedes. Pago Folcfeldiæ, Huiggi Abbati, vide ſis, quid vnâ Arnulphi Imperatoris & filij Ludouici donatione illic ceſſerit terrarum! *Folcbaha ſuperior & inferior: Fulgelesburgum cum Eccleſiâ & decimis Echenfeldiæ, Lullifeldiæ, Oſtheimij, Rabanaci & Geroltzhouij*, donarunt Cæſares; probarunt Hatto Magontinus, & Adelbero Wirciburgenſis, Antiſtites, apud Triburias. Loca ſunt in collimitio Franconiæ obuia, & magnam partem veſtigiis ſuis deprehenſu facillima. De ſaltuum verò finibus, per famoſiſſimam Hercyniam ſparſis, quos intra extraque ſe gens Buchonia tenuit, quid memorem? vt enim de interioribus ſileam, vbi terminus adhuc

Ad Mœnum ac VVerram ditio porrecta.

Felckach.

Oſtheim Carthuſia.

Legitimâ ſeruat credita rura fide.

Branforeſtum in primis adire libet, quod apud Iazaham citra Fuldam amnem exoriens abit in Occaſum; ramoſque verſus Logonam Haſſiæ riuum, & Bierſteinium Iſenburgicæ gentis obliquè porrigit. Id nemus ita priſcè ab immunitate dictum, venatu ferarum ſaginaque iuxtà amœnum, Abbatis nomen retinet, indicem & titulum iuſtæ, at non illibatæ poſſeſſionis. Notæ quoque celebritatis Spechteshartum eſt; quod nemus iuxta Mœnum attollitur Magontinâ ditione, & ab Auſtro quàm longiſſimè effunditur in Buchoniæ plagam Borealem, quâ patuit olim mapalibus & paſtui pecorum. Etenim Rhabanum in hoc ſaltu legimus haud pauca occupaſſe loca, agrorum portione cum * Poppone Comite permutatâ. Aditus ab Ortu quoque ſeu Franconiæ veſtibulo in hanc ſiluam patefactus Caroli Magni beneficentiâ, ex quo Waltzaſenſi pago, Holtzkiricha à ſaltu ſic dicta monaſtica colonia propagata. Sed è lucis opacis iam migremus, qui quòd minimè luceant cùm ita dicantur, locis interdum apertioribus amant leuari.

Bran vel Banfereſtū ex ſuper. terminatione conſtat eſſe idem quod nunc Abiſvvaldt.

Bran, aut potiùs Banfurſt, vt VVildiban. Spec. Saxon.

Spesharde hodie ingens ſilua finali ſyllabâ Hercyniæ prodens reliquias.

Rhabanus fines prefert in Speshartum.

** An Hennebergio? in eâ gente multi Poppenes: & ſitus fauet: & ſtirpis genealogia, quæ Popponem primum eius gentis refert ad an. 800.*

CAPVT XV.

Montis S. Petri monumenta.

ECCLESIAM S. Petri cum monasterio, quam ad Orientem oppidi, mons editus ostendit, sæpè nominare cogimur. Huius consecratio litteris his commendatur:

Otgarius Archiepiscopus Mogun. Reginbaldus Corepiscopus D.T.

ANNO DOMINI DCCCVIII. INDICTIONE XV. DEDICATVM EST HOC ORATORIVM IVSSV OTGARII ARCHIEPISCOPI A REGINBALDO COREPISCOPO VI. KALEND. OCTOBRIS IN HONOREM BEATORVM APOSTOLORVM, PATRIARCHARVM, PROPHETARVM, MARTYRVM, CONFESSORVM, ATQVE VIRGINVM, ET S. FELICITATIS MATRIS VII. FILIORVM MARTYRVM, S. CONCORDIAE, S. BASILLAE, S. EVTROPIAE, S. CANDIDAE, S. EMERENTIANAE, SS. AQVILAE ET PRISCILLAE, ET S. LEOBAE VIRGINIS.

Ornauit hanc olim basilicam inscriptione versuum suorum Hrabanus.

IN ABSIDE ECCLESIAE S. PETRI, QVAE EST IN MONTE SITA.

Ecce sator hominum victor super æthera scandit,
Discipulisque suis regni sacra lumina pandit;
Quem sic venturum Angelica hic oracula spondent.
Cœtus Apostolicus pariter cum plebe fideli
Dona Paracleti igne micante capit.

IN DEXTRO ALTARI.

Martyribus Christi cunctis hæc ara locata est;
Præcipueque istis, littera quos numerat.

IN SINISTRO ALTARI.

Sors Confessorum Christi hanc obtinet aram,
Quos aula cæli possidet atque tenet.

IN CRYPTA SVBTVS ALTARE PRIMO.

Hac Baptista potens sacrâ venerabitur arâ,
Hac vatum turba atque patrum colitur.

ALTARE MEDIO.

Virgo Dei genitrix hanc aram ritè teneto,
Hanc tecum habeat virgineusque chorus.

ALTARE TERTIO.

Hoc altare Dei Michaël Archangelus ornat,
Hocque colunt pariter agmina & Angelica.



Porrò in huius Ecclesiæ, mutatâ licet sæpè fabricâ, ab loci tamen incunabulis, nisi fallor, obseruo, solido in saxo venerandas illustrium hominũ insculptas imagines. Frontali latere turris exteriore, lapidea tabula vetus, operi non antiquo inserta, in quâ eccistam S. Bonifacij iconographiã: quæ magnum argumẽtum habet singulis in partibus veteris amictus Pontificalis, infularum & mitræ. pedumque quod manu gerit, eius haud dissimile est, quod in sacrario asseruatur.

Verùm, quia S. Bonifacij effigies iam nobis in oculis, eamdem reuerenter habuisse maiores, ex eorum sphragismis, & charactere sigillorum, elucescit. Nam, quæ antiquiora nancisci licuit, in his se Diuo planè supplicem amictu monastico, ipsa offert congregatio. Et S. Bonifacius instar Antistitum priscorum, manus articulum conformat duobus infimis conclusis digitis, ceteros eminentes ad benedicendum porrigens, infesto pollice. Qui gestus, vt veterum oratorum, sic Episcoporum etiam olim fuisse, scitur, considentium in loco, qui* Salutatorium Latinis, ἀσπαστικὸν Græcis erat, cùm populum alloquebantur & benedicebant. Sigillum conuentus maioris Ecclesiæ Fuldensis.

Episcopi benedicentis gestus.

Apuleius Milef. 2. l.S.4. Propert. eleg. 7.

* *De Salutatorio, quod & Receptorium, Secretarium, Diaconicon, adi Ioan. Sauaro in lib. 5. epist. 17. Sidonij.*



At hîc porticus aperitur pro vestibulo templi, cuius turrita fastigia, si non situ, at figuræ modo, satis exprimunt culmen præsentis basilicæ.

Et

Et eiuſdem patroni ſui ſedentis & docentis imaginem Fulda ciuitas piè quondam in Reip. vel communitatis ſuæ ſigillo venerabatur: *Hodie S. Simplicium præferunt.*



Quo verò laudum præconio Martyrem & Apoſtolum affari ſoleant maiores, Hymnus docet nuper inter Rhabani poëmata repertus.

HYMNVS IN LAVDEM S. BONIFACII MARTYRIS.

Inclyta Sanctorum cùm gloria creſcit vbique,
Et meritùm ſplendor fulget in orbe ſoli.
Aſia magnificat Iacobum, Auſonia quoque Petrum,
Ioannemque Epheſus, Africa Cyprianum.
Non minùs exaltat celebrans Germania laudes *Germania S. Bonifacio martyre & apoſtolo ſuo lætatur.*
Et Bonifacij opus martyris almificum.
Ordinat hunc Roma, mittitque Britannia mater
Doctorem populis hoc decus Eccleſiæ.
Pontificem ſummum ſignorum fulmine clarum, *Romà ſibi miſſo,*
Eloquio nitidum, moribus egregium.
Tanta prophetalis quem gratia fulcit honoris, *Miraculis claro,*
Ventura vt multa retulit vti noua.

Francorum, Fresonum, Saxonum doctore,

Quem Francus, Fresóque simul, Saxóque ministrum
Æternæ vitæ prædicat esse sibi.
Quamquam Fresonum gens moribus effera semper
Martyris ergo manus sanguine polluerit.
Prædixit Christi sed vox verissima, quod nunc
Cernitur impletum pluribus esse locis.
Quod terrâ moritur frumentum plurima confert
Semina, fructúmque multiplicare studet.
Sicque sacerdotis Domini lætissima crescit
Paucis ex granis glorificanda seges.

Post mortem fidei propagatore,

Mortuus ecce modò, viuensque solebat vt antè,
Lucratur Christo agmina multiuaga.

Miraculis claro,

Signa mouent populos, cernunt magnalia cæci,
Surdorumque sonus auribus ipse tonat:
Morborum fugiunt labes, furor impius atri
Dæmonis absistit Martyris ex precibus.

Cælo terráque inclyto, glorioso.

Sicque suum famulum Christus ditauit honore,
Vt regnet cælo, imperet atque solo.
Multorum æternas Dominus dat crescere laudes,
Quos fidei meritum fecerat esse sacros.
Sed meritò Ecclesiæ laudantur in orbe magistri,
Quos opus & verbum præparat atque fides.
Ergo vir iste Dei spernens mundana, reliquit
Pro Christo cuncta qui meliora daret.
Centuplicemque metens fructum hîc accipit amplum,
Insuper æternam possidet & requiem.
Dignus laude quidem est vitam sine crimine ducens
Qui æui sic metas clauserat & numeros.
Accola iam Domini, sæuum iam vicerat hostem,
Cum Christo regnat accola iam Domini.
Gaudia magna Dei iam intrauit lætus, & ille
Inuitat nos ad gaudia magna Dei.
Sanguine nempe suo requiem sibi comparat almam,
Imperat hanc nobis sanguine nempe suo.
Martyrio decorat quicquid Germania nutrit,
Et propriam sobolem martyrio decorat.
O patria, ô populus, tanto ditata patrono,

Per

Per quem vita venit, ô patria, ô populus.
Dignaque quæ fueras, ô terque quaterque beata
Præsule hocque regi, dignaque quæ fueras.
Gloria digna Deo talem qui illum dedit esse,
Quique dedit nobis, gloria digna Deo.
Gloria magna Deo semper per sæcula cuncta,
Dicamus omnes, gloria magna Deo.

Redimus ad S. Petri. Interiore templo, quo vtrimque collocatæ aræ, ex ruinis, vt opinor, antiquæ sedis, duorum Regum statuæ illatæ, planæ, non eminentes: quæ cornibus altarium abditæ, illic memoriæ caussâ occulto parieti adpactæ sunt. Ipse oris & corporis habitus, & geminus propè vestium ornatus, suadet par esse fratrum, quibus incunabula Fuldensis monasterij debentur. Opus sanè peruetus, & maiestate plenum est: quod memoriæ Carolomanni & Pipini, hîc libentes meritò reponimus. Amictus regius seu purpura, non dispar sacro pluuiali; & orbis in manu cruciferus. Additi balthei super tunicâ gemmati; & ab istâ ætate, non inuenusta diademata. Schema alibi gentium haud semel nobis obseruatum. Sed quod manu tenent, diligentiùs velim sceptrum liligerum adspicias. Habebis, vnde veterum Francorum lilia in clypeis, signis ac veste vsurpata, defendas.

Lilia Francorum
Papir. Masson. lib 3. Annal. Franc. reg. in Philippo Aug. Aubert. Miræ Chron. ad an. 1422.

Extat


CAROLOMANNVS


PIPINVS

Extat & hîc, Conradi Abbatis eius nominis primi ſepulchrum, & epitaphium in orbe deſcriptum.



CAPVT XVI.

Amictus ſeu habitus veterum Fuldenſium monachorum, victus, & Regula.

MODESTVS Candidi collega, arte pictor, in perantiquo membraneo codice, habitus priſci lineamenta quædam adumbrauit. Ea nos poſteros ducimus ignorare non debere: etſi rarus *amator* iam ſit *triſtium lacernarum*. ſed Martialis.


O vtinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet! Ex Calpurnio.

Archimandritæ quidem amictum in Ratgario alicubi expreſſimus. Hîc iam proprium damus cœnobitarum: eumq́ue geminum. alterum, qui tunicato ſimilis cum ependyte, familiarior: alterum, qui togatus & fermè inter diuina, vel ad publica munia ſumi conſuetus: quem ſiue Flocum, ſiue Cucullum, Smaragd. in cap. 55. Expoſ. reg. S. Benedicti. cum Clementinis Extrauag. de ſtatu monachorum, cap. Ne in agro, faciamus, laxum & amplum videmus eſſe veſtimentum, Turrecremat. Tract. 121. addito capitis tegmine, manicatum, & Cappæ ſimillimum, quæ hodieq. Tranſalpinis noſtratibus eſt in vſu. In priore, Colobium ſiue Lebetonem à tunicâ diſtinxere maiores; quæ tamquam ſaga cucullata abſque manicis, & ἀχειρίδωτα humeros ambire tantùm placuit; quod genus, ſeu κατανώπιον Orientalium monachorum, ſeu Lebitonarium Iſidori, ſeu denique Voſs. ad Tom. 2. S. Ephrem, c 88. Analabum, id eſt Scapulare, interpreteris, in medio hîc relinquimus.

Prioris id esto schema, quo CANDIDVS & MODESTVS dissertantium inter se ritu componuntur.



Posterioris in legatione ponitur, quæ ad Hluduicum Cæsarem impetrando nouo Abbati destinata.



RESPONSIO IMPERATORIS FRATRIBVS APERITVR

Enim-

Enimuerò,quàm vetus Congregatio sui fuerit amictus habitusq́ue tenax, circa annum Domini MCCLXXXVIII. Marquardo,eius nominis secundo,sedente, præclaro exemplo prodidit. Rem verbis ipsis propè Scriptoris exequar,qui tūc vixit: *Marquardus Abbas per Decanum ceterosq́ue Prælatos sæpè monitus, vt in ipsorum maximè præsentiâ, non nisi in cucullâ vel cappâ appareret;respondebat,eorum se monita non tanti facere,ipsorum muneris esse,chori disciplinam procurare: eam itaque rem, omisso se, ipsi diligenter agerent. Suum esse, tapardâ seu togâ, & quâ libeat veste vti. Ergo,cùm nil proficiunt monasterij proceres, exspectant videlicet diem S.Marci Euangelistæ, quâ die,* inquit Scriptor, *more solito, domini nostri, nudis pedibus, cum crucibus & reliquiis in Ecclesiam Heimbach prodeunt. Tunc Abbas Marquardus tapardo indutus,pelliculis lautè suffulto,pænè domini instar adequitabat; nec sine comitum fastu,templi odeum subibat. Id verò domini & Prælati non ferentes, Decanus, & cum eo primarij, Abbatem adeunt;togáque exutum, veste religionis vel reluctantem amiciunt. Atque ita illic Abbas,eiusq́ue sectarij in magnâ confusione steterunt.* Hæc Scriptor actorum Marquardi. Nec mutauit Benedictinæ familiæ proprius amictus, antè, quàm hæresi nouisq́ue moribus mutatâ Germaniâ, seuerior ille cultus sperni cœpit. Hinc honesta cleri decensq́ue toga placuit,retento scapulari, id ita cogente temporum iniuriâ; & nonnullo quoque assensu Legati Apostolici.qui,qualis qualis, colorum factionem sustulisse dicitur,cùm vno in templo, monachis permisti clerici,hi candidati, alij pullati; magno cultus discrimine ad id vsque tempus incederent.

Marquardus Abbas corripitur à primoribus congregationis ob neglectum habitum.

Taparda hodieq; in vsu vernaculo.

Supplicatio S. Marci in Heimbachiū pagū 4 mill. p ab oppido.

Marquardus Abbas publice confunditur.

Habitus mutatio ob hæresim innalescentem.

PP. Verger. Clementis VII. & Pauli III. Leg. in German. Ind. lib. prohibit.

Iam etiam verò, ab amictu non seiunxero victus rationem, quæ S.Bonifacij primæuo instituto,seueris certè legibus, intra vini carnisq́ue abstinentiam stetit. Quid multa? carnis-priuium probarissimis monachorum olim in deliciis fuit; cibus, vt in aureo sæculo priscæ mortalium genti, fruges & arborum poma,quæq́ue alia ferè sponte terra gigneret. Ægypti & Thebaidos miracula repetere quid attinet? quæ sub axe frigido,vbi venter nimis quàm caret auribus, alicubi in admirationem dumtaxar, at plurimùm nunc hæresis vitio in risum abiere; vt minimè iam verendum sit,ne talium aqualiculus,illâ Menenij Agrippæ partium conspiratione, famè tandem vel inediâ de-

Sur. in ann. 1567.

Biblioth. Gesn. *Victus.*

S. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum.

belletur. Sed de abstinentiâ nobis erat institutus sermo; quæ, vt à religiosis ascetis ad elidendas inflammatæ cupiditatis vires, frenandamque libidinis omnem pestem, vtilissimè colitur & expetitur, ita pro rerum & temporum ordine, non raro vel adstrictior poni, vel solutior adstringi solet, delectu modoque dispari. Sulpitius Seuerus, meo quidem animo, Monasticæ bonus æstimator, festiuè sanè *edacitatem in Gallis* notauit, quæ breui confinio ad vniuersum pertineat migrétve Celtarum genus. Et verò abstinentiæ palmâ, & ieiuniorum seueritate, inferiores ab Orientalibus longè relictos Occiduos, in confesso est. Scitumq. illud Sulpitij, *edacitatem in Græcis gulam, in Gallis esse naturam.* Itaque harum regionum ascetis, cæli non mitissimi, & fragilitatis humanæ respectu, faciliùs indultum arbitramur, vt mox à carceribus ipsis interiungerent & respirarent, quo ne lassi prope metam conciderent. Quâ de re documentum posteris relinqui placuit, quod monachi prisci *Capitulum* dixere *necessariò sciendum* de Luduico Pio Caroli Magni filio.

Dialog. 1. c. 2. & 4. vitæ S. Martini.

Quod monachis in ciuitatibus & in matricularibus Ecclesiarum locis consistentibus, qui cum maximo labore & studio diuinum seruitium toto anni tempore peragunt, obtinuerit apud Papam sui temporis Gregorium, saginatis vti cibis; & post Vigilias æstiualium noctium, atque in festis duodecim lectionum post Matutinas, somno reficere corpus.

Carnium vsus. Sagina, quæ Canonistis Sagimen, sæpè pro carne. Adi DD. super cap. Presbyter. dist. 82. & Nicol. Serar. ad epist. 142. S. Bonifacij.

Nefas tunc habitum vel tantillum à regulâ discedere semel adamatâ, ni legis gratiam faceret legum summus arbiter.

Porrò Regulæ auctorem quâ reuerentiâ complexi sint Buchonij cœnobitæ, vel indicio sit perantiqui codicis attestatio, in quo ad calcem regulæ S. Benedicti adtexitur hoc præclarum mnemosynon beati patriarchæ:

Regula. MS. ex B. Virg. monte.

Codex peccatoris Benedicti. Væ mihi misero habenti contrariam mihi rem. Qui reus in his omnibus, *quæ aduersantur moribus meis malis. Tu verò horum lector,

*quia

ctor, si tuam videris vitam concordare præceptis, orans pro scriptore, codicem redde domino suo.

Hæc verba sancti patris reperta sunt in fine Regulæ, quam ipse manibus suis propriis scripsit; & S. Mauro, cùm eum ad Gallias mitteret, tradidit: quæ Domnus ac venerabilis Abbas N. cùm apud maius monasteriū Turonense, in eâdem Regulâ, quæ ibi pro reliquiis seruatur, inuenisset, rogauit sibi apud Cluniacum transmitti; & in hac Regulâ nostrâ, pro amore ipsius sanctissimi patris nostri, iussit studiosè describi.*

* Ruthardus: is monasteriū B. Virg. reformauit, cuius hic MS.

CAPVT XVII.

Iuramentorum Symbola. & Stellæ pensilis notatio.

MEMORATV quoque dignus orbis, medio pauimento principis ecclesiæ, in eminenti saxo descriptus; in eo ex ære fusæ visuntur quatuor manus, in totidem porrectæ plagas, digitis eum in modum conformatis, quo solet, dum sacramento rogati alicuius in verba iuramus, & sacra conti ngimus.

Symboli talis admodum est imago.



 Notio-

Notionem inquisiuimus, sed litteris certis nihil adhuc comprehensum eruimus. Ex famâ tamen & traditione veterum, plerique interpretantur, quatuor prouinciarum, puta Thuringiæ seu Hassiæ, Wederauiæ, Saxoniæ, Boiariæ debita huic Ecclesiæ sacramenta notari; quarum magnates principesque hoc iurisiurandi ritu fidem & obsequia olim adstrinxerint, & se eius fore defensores professi sint. Et accipit hæc interpretatio ex vicinâ Hersfeldensi ecclesiâ lucem: vbi in fastigio basilicæ longè supra tectum prominet inaurata manus iurantis gestu, exerto cum indice medio digito. Quam rem coràm percontatus, accipiebam à fide dignis, *Symbolum esse Luduici ac Lotharij Imperatoris, qui monasterij & ecclesiæ tutelam promisissent.*

Extat item Fuldæ in sepulchretis primariæ ædis illustris viri SEMONIS LAICI DE SLITESE monumentum, sculptura lapidis propè detriti, in quo Goertziorum scutum gentilitium, & annexa crux, cui manus è nubibus emicans, iurantis ritu, incumbit, cum huius scripturæ vestigiis:

Goertzia stirps.

DEXTERA DN̄I FECIT VIRTVTEM.

Vbi & Symboli nota, & Laici titulus, indicāt nobili capiti magnas fuisse caussas, cur spreto sęculo se S. Bonifacio manciparet.

Stella pensilis.

Iam age: stellæ benè vastum, & radio pyramidali contextum opus, lustremus; quod, si, vt narrant, antiquitus hac magnitudine ex auro constructum fuit, ingens sanè pretij pondus habuit. Pendet è summo templi tholo ferrea machina funibus innexa, quorum regimine sponte voluitur, & radiatim fabrefacta in modum stellæ, nolis ornatur & tintinnabulis, ordine & serie quadam affixis, itaque dispositis, vt vbi certo libramento gyratur stella, tinnitu vario ceu harmonico personet basilica; & occinente vel choro, vel organo, aures iucundè quidem permulcet Inuentum operis ad S. Bonifacium fama refert. Ego, dum multa peruestigo, in codice scripto nō antiquissimo, ita reperi: *Tempore sancti Bonifacij Archipræsulis Regina Angliæ N. idololatra stellam auream adorauit pro Deo: quam Reginam S. Bonifacius ad fidem Catholicam conuertit. Et in signum ac memoriam, fecit rotam auream, & vsque hodie in medio Ecclesiæ Fuldensis pendens cernitur.* Nec mirum, aureo iam sæculo dudum euoluto, stellam hanc denique factam aheneam aut ferream. In orbe, qui axis mo-

diolo

dioloproximus, vnciales procusæ litteræ, quæ operis conditi tempus loquuntur:

ANNO DOMINI MILLESIMO QVADRINGENTESIMO XIIII.

CAPVT XVIII.

De curâ mortuis impertitâ, & defunctorum epitaphiis.

RELIGIOSVM Ethnicis erat, si ad mentionem defunctorum non statim testarentur memoriam eorum ab se non sollicitari. (Plin.lib.28. c.2.) Verùm huius nos superstitionis securi, neque δυσφημία mortis, neque tristi omine mortalitatis, pacem defunctorum lædi putamus. Quin hos potiùs in profanis censemus, qui diem eis æternum insititio & letheo somno diffindere, & vitam, quantum in ipsis, post funera eripere, inter arcana fidei suæ ponunt. Opportunè venit in manus epistola Custodis monasterij Fuldensis ante centum ampliùs annos scripta, ad Decanum monasterij sancti Xisti in Holtzkirichâ: qui cùm alia ei quæsita proponebat, quibus is eruditè respondit, tum præcipuè cognoscere cupiit, quid muneris & officij monasterium principale defunctis impertiret. Rescribit itaque Custos, (*Orationum pensa pro defunctis.*) hoc inolesse moris, vt quem Deus ex hac vitâ Sacerdotem euocarit, huic sacrificio trino, vnoque Psalterio, iusta persoluta censeantur. Qui ordinis illius exsors vixerit, ei ternis vigiliis cum Psalterio parentari. Porrò nomen defuncti in ephemeridem (*Communicatio suffragiorum.*) referri, vt inde exemptum aliquando veniat in notitiam eorum, quibuscum sit suffragiorum & orationum inita societas. Quippe id moribus receptum antiquis, septennio quoque descripta schedis defunctorum nomina, omnem in partem traijci: quo tempore Rotulario id curæ mandatur, vt confœderata (*Rotularij munus.*) monasteria obeat; penes singula, memoriæ & officij caussâ, defunctorum titulos relinquat, piisque suffragiis eorum, pro fœderis icti sanctimoniâ, commendet. Id verò hîc ritus extitisse peculiare; vt, qui monachus humanis excessisset, ad funeris vsque Tricesimam, ceu superstes itidem esset, cibi sui dimensum (*Eleemosyna pro defunctis peculiaris ritus.*) acciperet; & portio hæc, seu præbenda, vt nuncupant, eius nomine

mine alicui intereà pauperi cederet. Hic verò pauper, si quidem visus idoneus, & locum defuncti in triclinio occupabat, & vnà assidens cibum cum cœnobitis capiebat; ita, vt nec solitæ refectionis quidquam huic detrahi posset. Sin communis mensæ capax non fuisset, extra cœnationem præbebatur idem cibi modus. Addit huius ritus obseruator, rem in memoriâ patrum fuisse Fuldæ gestam, insigni piaculo huius defunctorum manibus subductæ pietatis.

Eleemosyna defunctis subtractæ formidabile exemplum.

In magnâ mortalitate, triginta simul ferè cœnobitas, morbi atrocitas abstulerat. Hîc Cellarius, penes quem administratio victus, indignans, tantam ali quotidie pro defunctis pauperum turbam, præbendam imminui iubet, audetque accidere solitam agapen. Sed non diu impunè sordes eas, an transgressionem, tulit. Matutinæ horæ inuitabant hominem ad stata precum & nocturnam psalmodiam. Hæc dum numero petit, obuios habet defunctos, magno venerabilium monachorum comitatu. Sistunt euntem; & ad exedram piacularem cogunt diuertere. Hîc, *veste nudatum, humi sternunt*, loquor cum veteri

Disciplinarum vsus.

Scriptore, *& virgis ad sanguinis copiosam effusionem disciplinantes, relinquunt semianimem.* Abeuntium hæc vna, & minax oratio: *Quare subtraxisti nobis portionem nostram? Breui moriere.* Et com-

Exempli attestatio.

minatio prædictioque veracem ilicò euentum habuit. Nec piget eiusdem rei gestæ seriem publicis veterum scriptorum monumentis attestatam in luce meliore ponere; ne, vt parum amica sunt asceticis rebus huius temporis ingenia, à recente & domestico teste impositum nobis arbitrentur alij; alij narrationem ceu parum suo stomacho conuenientem, & intempestiuè propositam, delicatè fastidiant. Eam itaque primùm, quod

Lib. 3. de rebus gestis Angl.
Spec. histor. lib. 26. c. 607.

sciam, Wilhelmus Malmesberiensis, prudens Angliæ scriptor, publicauit; inde, ex hoc Vincentius suo in Speculo ad annum Christi MCIV. retulit, satis ad maiorum traditionem apposite, nisi quòd Abbatis exitum priuatæ litteræ huic euento subtrahant: *Eo*, inquit, *tempore in cœnobio Fuldensi exitialis lues grassata, priùs Abbatem corripuit, mox multos monachorum exstinxit. Superstites primò sibi quisque timere, orationes & eleemosynas largiores facere; sed processu temporis, vt est natura omnium, pedetentim, metu dempto, omittere cœperunt: præsertim Cellarius; qui palàm cla-*

mita-

mitabat, non posse penum tot expensis sufficere: sperasse semper se aliquod alleuiamentum, pro tot elationibus funerum: nihil vltrà spei esse, si, quod viui nequissent, mortui consumerent. Itaque, cùm quadam nocte, propter necessaria, diu soporem distulisset, tandem elaqueatis morarum nexibus in dormitorium pergebat; & ecce, videt in Capitulo* Abbatem, & omnes qui obierant illo anno, eo quo decesserant ordine, sedere. Tremens, & effugere gestiens, retractus est, increpitus, & more monastico flagellatus, audiuit verba Abbatis in hanc sententiam: Stultum est de morte alterius emolumento inhiare, cùm sors cuiusque sub eodem pendeat fato; *impium esse, cùm Monachus omnem vitam suam in Ecclesiæ consumpsit obsequio, vt* careat saltem vnius* anni post mortem stipendio. Scito ergo te citissimè obiturum; sed quidquid pro te fiet, ad aliorum, quibus abstulisti, referetur commodum: modò &* alios corrigere exemplo, quos corripuisti verbo. Abiit ille, & nihil se vanum vidisse,* recentibus plagis, quàm morte proximâ, demonstrauit.* Ita Malmesberiensis. Quid mereantur & luant, sit mihi fas dicere, qui non monachis in Christo piè defunctis, sed tot eleemosynarum ac stipis aceruos, ex Crucifixi patrimonio congestos, velut in luxuriæ triumphum ducunt?

* alleuamentum.

* Abbatis fortè vicarium: nam Abbatem obiisse peste per hac tempora, non liquet.

* imperium Vincent.

* ne


* synecdochicè.


* scito te


* tam


Et, quia sepulcralis imaginis vmbras dum premimus, simul atterimus, quò ne fugiant prorsus, eorum aliquam varietatem exhibemus.


ANTIQVIORVM.













MEDIORVM.



VI. KALEND. MARTII



V. KALEND. APRILIS



Cœnobitis eximiis, ſi quis olim titulus honoris cauſsâ conceſſus, is breuis & ſimpliciſſimus extitit, cuiuſmodi à veteris Abbatiæ ruinis aliquot ſuperant, cœmento parietum temerè adſtructi.

In pariete turris S. Michaelis.

III. IVNII OBIIT HARDERADT PRESB. 7 MONACHVS.

Item:

In periſtylio Orientali.

VI. KALEND. MAII OBIIT ERPENHERI P̄. 7 M.

Neque

Neque ab hoc polyandrio par illuſtre ſiue fratrum, ſiue magiſtratuum, excluſerim; quos non aliis retrò litteris cognitos in oratorio trium SS. Regum vicino ſepulcris Abbatum, maiores vno tumulo clauſerunt, rhythmicis hiſce verſibus ſaxo, pro Epicedio, inſculptis:

FVLDA GEMIT. DICES SVMMOS RARESCERE CIVES.
FERT GRAVE IVSTITIVM GRANDE PER EXITIVM.
VERNA LOCI DIGNVS PAVSAT PATER EN EDELINGVS.
STRENNVVS ET FRATER. VIR BONVS EZZO PATER.
OPPIDO LVGENDI, MORVM GRAVITATE VERENDI.
SERVI QVIPPE DEI FORMA FVERE GREGI.
VITAE XPE DATOR, HIS PARCE DEVS MISERATOR.
DAQVE STOLAS DIGNAS, DENVO CVM VENIAS.

Claudo iam hoc caput, & vnà librum, diſticho: quod in antiquis huius loci epitaphiis legebatur:

Mortis vel vitæ breuis eſt vox: Ite, Venite.
Dicetur reprobis, Ite: Venite, probis.

FVLDENSIVM ANTIQVITATVM LIBRI III.

ARGVMENTVM.

HIC *liber quædam est præcedentium attestatio, etsi reconditam promit ex omni memoriâ monumentorum gazam. Nam Sturmij Abbatis acta, quæ quidem reperiri potuerunt, ipsiusq; Bonifacij flagrans in huius monasterij religione propagandâ studium, & discipulorũ eius gratam iuxtà piamq; in defuncti magistri beatos manes beneficentiam; mox Regum, Principum, populorum, omnisq; sexus & ordinis extollit in eumdem immensam liberalitatem. Scrinia reserat, eruitq; libellos vetustate propè sepultos, præsertim Rudulphi diu exspectatum, de origine omnium ferè circumiacentium monasteriorum; narratq; huius ore, quo adparatu cærimoniarum reliquiæ olim importatæ. Postremâ sui parte, vectigalium accessiones, & donationum, traditionum oblationumq; formulas edit nonnullas, pro illorum temporum vsu, scientiæ haud temnendæ. Desinit tandem in Marquardum Abbatem; qui, vt illa fuit ætas, impolitâ quidem, at magnificâ oratione, monasterij ab se vindicati ac restituti famam, posteris reliquit.*

INDEX CAPITVM.

INGRESSVS IN REM.

VT, qui præclari erudiendis ingeniis dediti magiſtri, artem ducem & præceptricem ſequuntur, non vnam ac ſimplicem inſiſtunt viam, quâ doctrinæ rationem auditor percipiat: ita nec is, qui illuſtrium hominum ętates & tempora perſequitur, vno eodemque picturæ colore res eorum adumbrat; ſed modò denſiùs ſpargit copiam & vbertatem quamdam antiquitatis, modò preſſus argumenti anguſtiâ, materiam eamdem extenuat, cohibetque. Et ſuppetat licet interdum locus, vbi liberior & lætior ſeſe efferat oratio, ſæpiùs tamen, vt humile eſt hoc ſcribendi genus, quamdam mœſtitiam ſponte ſequitur. Quo faciliùs, opinor, culpâ & reprehenſione vacabimus, ſi ſermonis vt picturæ lineamenta, diuerſis coloribus, exprimimus; cùm præſertim eum nobis polliceamur huius conſilij fructum, quòd, quæ fidei faciendę cauſsâ ſcribenda ſuſcepimus, hęc ipſa longè quidem teſtatiora fore ſperemus, vbi membra parteſque ſingulas ſeorſim expoſuerimus, & ceu fontes recluſerimus, vnde narrationis præteritæ vis omnis & robur emanauit. Ac, fateor, in his ipſis litterarum fragmentis, quę vndique colligimus, haud pauca non integra legi, vel ὁλόκληρα prodire; multa ſuis annis, & temporum notis, deſtitui; alia etiam, inſtar Deiphobi, dilacerata atque diſtracta, vnum in corpus ægrè coaleſcere. Sed in illis veteris ſcripturæ tenebris, fatentur maiores ipſi, cauſſas ſibi fuiſſe haud iniuſtas, cur alicubi caliginem hanc non diſcuterent, cùm Scoticam ſiue Britannicam calligraphiam, cuius hîc vſus fuit antiquiſſimus, haud facilè poſſent aſſequi; & pleraque deſcriberent ex obſoletis veterum aduenarum membranis. Quare cùm ducibus hîc peritis, & magnâ luce clarioris documenti, careamus; mirari prudens nemo debet, has cuicuimodi reliquias, non ab omni labe intactas & nitidas exire, ſed etiam ſeueriore vultu in publicum venire. Neque interim magnopere nobis eſt reformidandum, ne rebus tam variis atque ſeiun-

MS. lib. priuileg. donat. tradit.

ctis

ctis in capita certa coniectis, ſcopas, vt aiunt, videamur diſſoluiſſe. Nam, cùm antiquum & velut ſepultum diu theſaurum eruimus, in quo nihil non quantiuis pretij eſt, quidquid demum ſeſe offert; otioſum & ſuperuacaneum habeas, auro argentoque cùm potiare, vtrum ex his, quo loco ordineque promas, anxium cum animo trahere. Ergo rei ſeriem iam nouam orſi, à S. Sturmionis vitâ, principium petamus.

VITA S. STVRMII ABBATIS PRIMI MONASTERII S. SALVATORIS FVLDÆ.

olim à Georgio Wicelio ex MS. Latinis iam amiſſis Germanicè excerpta editaque, nunc primùm Latinè reddita, & aliis documentis illuſtrata.

CAPVT I.

Sturmionis educatio, viuendi genus, perueſtigatio loci ad monaſticam vitam idonei.

CVM S. Bonifacius, peritus Dei domus Architectus Germaniam ſuperiorem obiens, ad verum Chriſti cultum incolas eius gentiles adduceret, hæreticos peruinceret, Catholicam Eccleſiam amplificaret; non defuiſſe aiunt ingenuos & probos homines, qui liberos ſuos huic ſancto Doctori erudiendos offerrent. Atque in his extitiſſe adoleſcentem, cui* Sturmio nomen fuit; qui ex[a] Norico ortus, nobili parentum ſtirpe. Hic à S. Bonifacio benignè ſuſceptus, inter peregrinandum Frideſlariæ[b] Wigberto Presbytero traditus eſt in diſciplinam; cuius in ſcholâ adoleſcens magnos

* *S. Sturmio, Sturmi, Sturmus, var. lect.*

[a] *i. Bauaria,* adi lib. 1. c. 3. *A S. Bonifacio traditur in diſciplinâ S. VVigberti.*

[b] Antiq. lib. 1. c. 3.

gnos

gnos quotidie fecit progressus, præsertim in scientiâ sacrarum litterarum, breuique euasit virtutis studio, & Christianis moribus excellens. Vbi igitur adoleuit, & presbyterij gradum suscepit, hoc præcipuè munere fungi voluit, ad erudiendum alios, & exhortandum. Eoque sanctimoniæ, Deo benefaciente, [a]peruenit; vt etiam miracula non obscurè patraret. Decreuit hinc ipse arctius complecti vitæ genus; & in eo se Christo Domino consecrare, scitu tamen & voluntate magni doctoris Bonifacij. Qui certè pium Sturmis propositum non improbauit; sed eum, quando id ab se postulatum erat, cum benedictione in pace dimisit; simul imperans, vt in Buchoniæ solitudinem concederet, atque ibi idoneam sedem sibi, aliisque se secutis, exquireret. Sturmi ergo duobus comitatus eiusdem propositi sociis, promptè quidem paruit, & iter vnà ingressi ipse sociique, ad locum venere, cui [b]Herolfesfeld erat vocabulum; vbi tuguriis & mapalibus excitatis, agitandæ tranquillæ vitæ, mentem excolere cœpêre sanctioribus studiis, & opportunitates vnà peruestigauere locorum, amplificandæ religioni. Hinc ad S. Bonifacium denuò profectus eremita, viro Dei, quemadmodum ædificare & vbi figere mansiones vellet, exposuit. At Bonifacius, etsi collaudari repertas sedes à Sturmione cognosceret, ratus tamen barbaris Saxonum populis nimiùm eas esse vicinas, ita vt iniuria ab iis aduersus Christianos parata metui posset, Sturmin voluit penitiora saltus rimari, sicubi oportuniora sedium inueniret, ad cœpta adultaque opera eremi explicanda, Deique cultum in Buchoniâ propagandum. Pari itaq. alacritate Sturmio reuersus ad socios in Herolfesfeldiam, vbi iis Bonifacij voluntatem nuntiauit, longiùs intima nemoris petere cœperunt; donec transgressi Fuldam fluuium, eum in locum peruenerunt, vbi Ludera riuus se Fuldæ miscet. At, vbi parum ea loci regio pro voto arrisit, ad priora tuguria reuersi sunt. Post hæc Bonifacius Moguntiaco iter faciebat Fridesłariam; accersitoq. istuc ad se Sturmione, de oportunitate quæsitæ sedis eum interrogabat; qui, cùm parum idoneam ab se repertam dixisset, iussit porrò Bonifacius illum progredi, & indagare; quippe famulis suis istic alibi Deum optatas destinasse ac præparasse sedes. Morem ergo gessit Sancto Sturmis; & asellum conscendens,

Presbyter factus claret doctrinâ & miraculis.

[a] Vide sis in actis c. 6.

Monasticam & eremum colere proponit.

Locum quærit huic vitæ idoneum.

[b] Lib. 1. antiq. c. 3.

Herolfesfeld seu Hersfeldia prima sedes.

Hersfeld.

A Sturmione & Bonifacio magnus habitus locorum delectus.

dens, ſolus ſaltum vſque totum magno cum diſcrimine pererrat, ob ferarum multitudinem, & Saxonum mancipia, quæ transfugio ſe nemorum receſſibus abdebant, & ad Sturmi aduentum, in Fuldâ tum fortè lauabant. **Porrò hæc Buchonij nemoris ſolitudo, per hoc tempus* multa in orbem milliaria colligebat: & quidquid iam culti ſoli ab oppidis, vicis, pagis ſtringitur, vaſti & horridi ſaltus eo tempore ſpeciem habebat, in quo nec pecorum paſtus, nec mortalium quemquam, ſed inania modo cæli terræque, cum belluis ac feris adſpiceres. Quo clariùs videas, hæc ſola terrarum, non oppidorum vicorumque nominibus, quæ iam ſuperſunt, ſed lapſibus potiùs & terminis riuorum olim deſcribi.* *Immiſſa hæc apparent à Vuelio. *Buchonia ſilua vaſtitas.*

CAPVT II.

Monaſterij Fuldenſis, loco reperto, initia facta Carolomanni fauore, S. Bonifacij ſtudio; legeſq; datæ cœnobitis.

STVRMI igitur, hoc tam aſpero profectus itinere, huc etiam delatus eſt, vbi *Giſela riuulus Fuldam auget. Inde ad *Quercilocum veniens, riuum, cui nomen Gretzebach, attigit; ibique circumſpectis diligenter omnibus, inuenit hunc locum ipſum eſſe, quo ex Bonifacij voto ſtructura & habitatio collocanda. Quare & ei benè precatus, Deum collaudauit, & gratias egit. Moxque Hersfeldiam ad ſuos, atque inde ad Bonifacium profectus, repertam opportunè ſedem, & habitationibus idoneum locum, ei lætus annuntiat. Poſtquam ambo, actis Deo gratiis, de vitæ monaſticæ inſtitutis multa collocuti, Bonifacius inde ſupplex Carolomannum Franciæ proregem adiit, ab eoque locum eum poſſidendum colendumque petiit, qui à Quercu appellatus, quatuor paſſuum millia colligens, inſtar limitis decumani per quatuor cæli plagas diuiſus eſt. Cui loco; iuſſu Carolomanni, non parua quoque à locupletibus viris & nobilibus Grabfeldiæ tractum habitantibus, acceſſio facta. Atq. hunc in modum Sturmio, poſtquam annis iam nouem, inſtar anachoretæ, in Buchoniæ ſolitudine Deo ſeruiiſſet, cum *Kiſell *Eichloch *Regio reperta, in quâ Fuldenſe monaſterium extrueretur.*

S. Sturmio, cum septem sociis, monasticem orditur.

ſeptem ſociis, in optatis conceſſiſque ſedibus domicilium figere cœpit, anno Domini DCCXLIV. ibidemque Pſalmodiis, Vigiliis, Ieiuniis operam dans, cum magno feruore pietatis & monaſticæ perfectionis, Deo ſeruire ingreſſus eſt. Nec minus quoque tribuit ſtudij in nemore ſuccidendo, & ad cultum agrorum, & ad vſum habitationis explicando. Bimeſtri hinc

S. Bonifacius inchoata proſequitur.

ſpatio, S. Bonifacius huc ipſe prodiit, fidelium multitudine ſtipatus; inſpectoque loco, gauiſus, Deo gratias egit: populuſq. fidelis, qui cum ſancto viro acceſſerat, gnauiter repurgare inculta loca, excidere truncos arborum, & æquare cuncta planitie. Inter hæc S. Bonifacius montem Aquilonem verſus aſcen-

Degit in vicino monte B. Virginis.

dit; atque ibi orationibus & diuinæ Scripturæ lectioni, diebus non paucis, vacauit. *Porrò mons hinc à S. Bonifacio, Epiſcopi nomen tulit; hodie B. Virginis Mariæ nomen ſortitus.* Et Bonifacius abiens, cùm anno pòſt huc reuertiſſet ad Monaſterium S. Saluatoris, quod à Fuldâ riuo, cui adiacet, nomen interim acceperat, aliquammultis diebus ibi commoratus eſt, inſtituitque congre-

Congregationem monachorum erudit & amplificat.

gationem, quam in diuinarum litterarum ſtudiis, & Patrum doctrinâ, nec non monaſticâ regulâ & diſciplinâ diligenter erudiit. Primumque inter alia vini & carnis abſtinentiam ſim-

[a] Lib. 1. c. 3. antiq. ſub finem.

pliciter[a] omnibus indixit; verùm ea conſtitutio aliquot pòſt annis, infirmorum causâ, poſtquam congregatio multiplicata

MSS. priuileg. Saginæ referunt ad Gregorium IIII. qui anno 828. ſedit.

fuerat, decreto Synodi, cui Pipinus rex interfuit, laxata eſt; nonnullis tamen in inchoato abſtinentiæ rigore durantibus. Poſt ſalutaria itaque monita, & vitæ religioſæ præcepta, cùm aliis, tum Sturmioni præſertim, quem Abbatem ceteris præfecerat,

Sturmin Abbatem creat.

relicta, ſic abiit hinc Bonifacius, vt curæ non expers, ſcilicet quotannis Fuldam rediret, & interuallo gregem ſuum paſtor inſpiceret, ſolatiis erigeret, piiſque monitis in ſuſcepto vitæ genere confirmaret. Porrò quoties Fuldam veniſſet, in Epiſcopi monte domicilium habebat, vbi precibus inſiſtens, & diuinarum litterarum meditationi, ſe feſſus à paſtorali curâ reficiebat.

CAPVT

CAPVT III.

Sturmio Italiam lustrat,& Cassinum adit; rediens instituta sui monasterij perficit,& ad optimum statum adducit.

QVO verò inchoata monastica disciplina firmiores radices haberet, placuit S. Bonifacio, & communi fratrum cœtui, beatum Sturmum in[a] Italiam dimitti; atque istic omnia lustrare monasteria, quæ S. Benedicti Regulâ florerent; vt inspectis legibus ac eorum viuendi disciplinâ, feliciùs inde suos hîc gubernare, & cultum religionis commodiùs instituere posset. Quam quidem ipse peregrinationem cum aliquot comitibus alacriter suscepit; & anno constituti Fuldæ monasterij quarto, perlustratis Longobardiæ & Tusciæ monasteriis, Romam, atque inde Cassinum venit. Cunctis igitur, quæ ad ritus, mores, formamque accuratam viuendi pertinerent, obseruatis, ad suos rediit, & in Thuringiâ, reperto tunc S. Bonifacio, ei rationem itineris, & cuncta visa obseruataque, exposuit.[b] Quibus rebus maiorem in modum Sanctus lætatus, præcepit, vt recèns congregatum cœtum, tum ad exemplar probatissimorum Italiæ monasteriorum, tum ad Cassinensis congregationis maximè disciplinam, conformaret. Deinceps itaque Fulda maiora indies incrementa cepit, seu numerum Deo seruientium attenderes, seu alia virtutis ornamenta, & varia Spiritus sancti charismata. Neque liberalium & ingenuorum hominum quisquam ferè repertus, qui non liberos suos cum omnibus fortunis hîc Deo consecrare cuperet, tum ad studia vitæ perfectioris, tum ad doctrinæ sacratioris culmen faciliùs eo in loco consequendum, vbi ex Patrum regulâ atque præscripto, accuratè disciplina vigeret. Quo verò commorantibus hîc minus solicitudinis res familiaris afferret, haud pauca S. Bonifacius prædia possessionesque, Regum liberalitate, cœnobitis Fuldensibus adiecit.

[a] Lib. 1 antiq c. 3.

Eumdem in Italiam ad varia inspicienda monasteria mittit.

B. Sturmius redit ex Italiâ, visusque Cassinenses infert.

[b] Lib. 1. antiq. c. 5.

Fuldensis congregatio augescit.

CAPVT IIII.

Post S. Bonifacij martyrium, Fuldâ miraculis eius inclarescente, S. Sturmus eijcitur, & restituitur, & Caroli Magni gratiâ floret.

S. Bonifacius in Frisiâ martyrio oppetit, &

a Antiq. lib 1. c. 3. & lib. 3. c. 1.

à S. Sturmio Fuldà transfertur.

HINC decem circiter prælapsis annis, Frisios reuisit Bonifacius, quò Paganos, qui plurimi tum ibi degebant, ad Christi lauacrum inuitaret, & ab idolorum insano cultu abstraheret. Quo in opere, cùm gloriosè rem Christianam gerit, posuit quoque spiritum, infidelium concursu fortiter in martyrio apud Dochumam vicum occumbens. [a] Interfecti Martyris corpus, tum ex Frisiâ, Lulli Archiepiscopi iussu Moguntiacum translatum; eò mox Sturmio profectus est, vt ex S. Bonifacij adhuc superstitis sententiâ consilioque, mortuum in Fuldensem basilicam transferret; quandoquidem hîc quietis & sepulturæ locum Sanctus in vitâ sibi delegerat. Quo faciliùs à Lullo ceterisque, gloriosi pignoris alioquin retinendi cupidissimis, impetrauit, vt exportandi copiam facerent. Hinc seruorum Dei congregatio Fuldæ valdè creuit; multique genere honesto ac nobili, facultatibus omnibus oblatis, certatim monasterij disciplinam ambiebant. Augescebat fama quoque rerum mirandarum, quas apud S. martyris Bonifacij memoriam, circa languentes, & varij generis infirmos, Dei potens virtus exhibebat. Hæc tam læta & exoptata Fuldensis monasterij exordia Satanas auersatus, & B. Sturmi virtutibus & gloriæ sanctitatis inuidens, artibus solitis huc rem deduxit, vt calumniis appetitus apud Pipinum Regem, qui Franciam tunc cum imperio tenebat, eius gratia excideret; Rexque beatum virum, nimis credulus, Fuldensis monasterij gubernaculis amoueret, atque etiam ingenti omnium dolore, quibus innocentia Sturmi comperta, in exilium mitteret. Quare eius in locum quidam, Marcus nomine, successit; cui tamen latis suffragiis mox alium cœnobitæ substituerunt, quem Prezoldum nominabant, Hic verò functione recusatâ, communibus ceterorum votis, in reditum Sturmi intentis, apud Pipinum Regem id egit,

Fulda Martyris sepulchro illustratur.

S. Sturmio calumniis appetitur, &

à Pipino relegatur.

egit, vt Sturmus ab exilio ad priſtinam monaſterij curam re-
diret. Id quod non ſolùm Pipinus eius atque aliorum precibus *Reuocatur ſuorum precibus.*
dedit, ſed Sturmum maiore quàm antè gratiâ & honore pro-
ſecutus, omnia quoque huius loci priuilegia, quæ S. Bonifacius
à Zachariâ Papâ impetrarat, ei confirmauit. Porrò cœnobitæ
de reditu Sturmionis facti certiores, vbi propiùs Fuldam acceſ- *Honorificè excipitur.*
ſit, obuiàm ei cum crucibus & venerandis reliquiis proceſſe-
runt, hymnorum cantu, & vocum lætitiâ reducem excipientes.
Sturmus, poſt hæc tranquillo, Dei beneficio redditus, monaſte-
rium formare optimis moribus ac inſtitutis, tum ædem quoq.
ſacram fulcire columnis, & tectis, aliiſque operibus inſtaurare
cœpit. Aquam ex amne Fuldâ quoque deduxit intra ſepta mo-
naſterij; & abſidem ſupra S. Bonifacij ſepulchrum affabrè ex
auro faciendam locauit. Adhæc à Rege Pipino nactus eſt dono *Prædiis & poſſeſſionibus ornatur.*
pagum*Onumſtadt, qui ad Regium fiſcum pertinebat. Poſt ** Omeneſtadt,*
mortem verò Pipini, vbi Carolus filius cognomento Magnus
ad Franciæ ſceptra peruênit, ab hoc poſſeſſiones Sturmio &
alia munera maiora accepit; in quibus & fuit Hamelburgum,
iam oppidi ſpecie non ignotum.

CAPVT V.

S. Sturmio Saxonum Apoſtolus à Carolo Magno deligitur, in quorum conuerſione operâ præclarè poſitâ, plenus meritis & ſanctitate moritur.

AT Carolus cum Saxonum gente, toties Francis rebelli,
bella tum gerens, prorſus ad eorum animos Chriſto lu-
crifaciendos, & ab erroribus ad veram religionem traducen-
dos, Sturmi Abbatis operâ ſibi vtendum decreuit. Qui*paſto- **Hic in actis c. 6.*
ralem laborem nō refugiens, aſſumptis aliquot diſcipulis, cum
Carolo in Saxonum fines profectus eſt; verbi diuini prædica- *S. Sturmio Saxonibus annunciat Euangelium & fit*
tione, & virtutum magnarum exemplo, Saxonum peruicaciam
& idolomaniam oppugnans. Victis autem à Carolo in parte
Saxonibus, poſtquam ſacerdotes & Epiſcopi dati, Sturmin vo-
luit ad interiores Saxones facere gradum; atque populos eos,
quibus Euangelij fax necdum alluxerat, doctrinâ verbi, & ex-

hortatione sanctâ, cogere in Christi Domini caulas. Quibus rebus Sturmio consecutus est, vt haberetur tamquam alter Bonifacius, Thuringorum & Saxonum Apostolus. Quin & assiduo labore prædicandi docendique Christi religionem, huc efferas gentes ipse perduxit, vt & idola suis comminuerent manibus, & dæmonibus consecratos lucos exciderent, & vero Deo templa erigerent. Quibus ita ex animi sententiâ gestis, Sturmio Fuldam ad suum monasterium reuersus est. *Posthæc Saxones, excitante in arma rursum illos satanâ, cum imperio religionem partim abiicere, & idololatriam instaurare; partim irruptionibus factis, Rhenum armati petere, vastatis obuiis templis, & Christianis crudelem in modum interfectis. Comminati quoque dira Fuldensi basilicæ. Id quod, vbi cognouit Sturmio venerabilis Abbas, de communi suorum cõsilio, [a]exportare S. Bonifacij corpus, & Hamelburgum, dum tempestas ea detonaret, confugere securitatis causâ, sterit. Quare pignore S. Martyris eleuato, post quartum & vicesimum quietis annum, tantum primo die fecerunt itineris, vt huc venirent loci, vbi Flidena riuus Fuldâ recipitur. Postridie [b]Sinnam torrentem transgressi, tentoria sub dio fixerunt; & quatriduum ibi commorati sunt. Atque hîc nuntius ad eos venit, Saxones à Francis in fugam retrò versos, locum dare securitati. Quare cum reliquiis, qui fugerant cœnobitæ, ad propria reuersi sunt. Quo tempore Sturmi in [c]Wederauiam quoque excurrens, pro virili, [d]hostilia illinc pericula propulsauit. Porrò cùm Carolus, maiore mole bellum hinc in Saxones instauraret, Sturmin iam tum annis & ætate fractum & inualidum, [e]Eresburgum concedere voluit. Inde posteà [f]graui morbo languens, ad Monasterium Fuldam cum Wintero Caroli Regis medico, rediit; quare morti quoque proximus, vbi cuncta monasterij negotia prudenter composuisset, conuocatos in vnum fratres & sanctis exhortationibus inflammauit, & piis solatiis erexit; tum etiam, vti in vitæ inchoatæ proposito durantes secundùm Christi Domini voluntatem omnia peragerent, eos admonuit. Atque sic sanctè moriens, inter suorum preces & suspiria XVII. Kal. Ianuarij obdormiit in Christo, multis post mortẽ clarus miraculis; & Fuldæ in suo monasterio, cuius primus Abbas extiterat, sepultus.

Thuringorũ & Saxonum Apostolus.

* M SS. Gesta Abb. id referũt ad ann. Domini 778. Indict. 1.

Saxonum in Thuringiam & Buchoniam incursio.

[a] *S. Bonifacij pignus eleuatur an. 779. vel 778.*

[b] *Sinna, vnde Sinnauia, quæ iã Bruckenauia oppidum.*

[c] *VVederebia, VVederenia à flumine VVederâ, sæpius VVederesbia.* M. SS. *VVedrenÿ populi,* epist. 128. S. Bonifacij.

[d] *S. Sturmus VVederauiæ Apostolus.*

[e] *Eresburgũ celebre Francorum Annalibus in Saxoniâ castrum, identidem à Magno Carolo captum, & restitutũ:* Regino & Annales Frãcorum edit. Pithœi in an. 772. 775. & seq.

[f] *S. Sturmio ex Saxoniâ deportatur æger.*

Sanctè moritur, Mariano 779. Sigeberto 780.

CAPVT

CAPVT VI.

S. Sturmis Abbatis primi Fuldensis acta ex Breuiario maioris Ecclesiæ M.S.

SANCTVS ac venerandus Archiepiſcopus Bonifacius Noricam regionem ingreſſus; cùm populos gentis illius, licet Chriſtianos, ab antiquis tamen paganorum contagiis ac peruerſis dogmatibus infectos, ſalutaribus Chriſti doctrinis inſtrueret; cœperunt ei certatim nobiles viri in ſeruitium Domini nutriendas ſuas offerre ſoboles. Inter quas Sturmim nomine, Noricâ prouinciâ exortum, nobilibus & Chriſtianis parentibus generatum, diuinis legibus ſuſcepit imbuendum. *S. Sturmi educatio,* Puer itaque beatus, pſalmis, lectionibuſque quamplurimis tenaci memoriç traditis, ſacram Chriſti Scripturam ſpiritali ſenſu cœpit intelligere; quatuor Euangeliorum myſteria ſtudioſiſſimè addiſcere; nouum quoque & vetus Teſtamentum, in quantum ſufficiebat, in cordis ſui theſauro vigilanter recondere. *Studia ſacra & mores eximij,* Erat quippe, vt ſcriptum eſt, *meditatio eius in lege Domini, die ac nocte:* profundus in ſenſu, ſagax in cogitatione, pulcher aſpectu, honeſtus moribus, vitâ immaculatus, charitate & humilitate conſpicuus. Poſt non longum verò temporis, omnium voluntate, omniumque conſenſu presbyter ordinatus, Chriſti iugiter in *Presbyteratus,* corpore ferens crucem, Sacerdotij nomen cœpit bonis artibus adornare. Nam ſacræ virtutes, per diuina ſancti Spiritus *Miracula,* chariſmata, fiebant ab eo plurimæ: in Dei ſiquidem nomine immundorum ſpirituum habitationem Chriſtianis expulit: per impoſitionem manus, & humilem orationem, ægrotos ſanauit: & armis ſpiritualibus perornatus, loricâ iuſtitiæ circumdatus, ſcuto fidei munitus, gladio verbi Dei accinctus, ad certamen contra diabolum proceſſit. Cumque vir ſanctus annis tribus presbyteratus ſui officium gereret in plebe, cæleſti inſpiratione ſecum cœpit reuoluere, vt acriori ſe vitâ, & eremi ſqualore conſtringeret. *Monaſtica & vitæ perfectioris deſiderium,* Huius piæ meditationis memoriam, ſingulis momentis & horis gerebat in pectore; donec diuinâ admonitione inſtructus, viro Dei Bonifacio Archiepiſcopo,

quid

quid animo gereret, reuelauit. Quo comperto, vir ſanctus à Deo hanc inſpirationem deſcendiſſe, intellexit; confidenſque per eius induſtriam ad effectum poſſe perduci, quod ipſe diu mente conceperat, miſit eum, adiunctis aliis nonnullis in ſiluam, quæ Buchonia dicitur, ad locum videlicet, vbi nunc ſitum eſt Fuldenſe monaſterium, vt exſtirpatâ nemorum denſitate, aliquos Deo famulantes ibi congregaret; quibus & ipſe pij patris officio præeſſe ſtuderet. Venerabilis itaque Sturmus Abbas, anno decimo poſtquam Fuldenſe fundauerat cœnobium, & ibidem multos in ſeruitium Dei coadunauerat, ſanctique ac Deo dilecti magiſtri ſui Bonifacij triumphum paſſionis conſummatum eſſe cognouerat, deſtinatus à Rege Carolo ad gentem Saxonum iugo fidei ſubiugandum, modis omnibus curam adhibuit, vt populum Domino non paruum acquireret; inſtanſque oportunè, importunè, docebat eos, vt idola & ſimulachra vana derelinquerent, & eccleſias ædificarent. Cuius prædicationis inſtantiâ dicta gens Saxonum mollita, Domino credit, & à beato viro Chriſtianæ religionis initia ſumpſit. Confortatis verò multis in fide, rediens à prædicatione, regreſſus eſt in Fuldenſe cœnobium; gratuſque ſuis ad videndum fratribus aduenit; cum quibus quotidie in augmentum ſpiritualium virtutum ſemet exercens, in omnibus actibus ſuis ſe eis præbuit exemplum.

Quod S. Bonifacio probante explet Fulda.

Saxonum conuerſioni dat operam:

Magno animarum lucro.

Virtutum laude ſuis prælucet.

Atque hæc mihi quidem de S. Sturmionis anteactæ vitę memoriâ cognoſcere, & è tenebris eruere licuit. Verùm multo maxima ei gratia habenda foret, qui genuinam ipſam vitam, vt à maioribus deſcripta, vindicaret. Eam certè ante hoſce annos in bibliothecâ maioris eccleſiæ ſuperfuiſſe, titulus & ordo docent, vbi numerus XXXIII. VITAE STORMIS ABB. adſcribitur.

CAPVT VII.

Elogia veterum grauiumque auctorum de S. Sturmione relicta.

S. LVDGERVS in vitâ B. Gregorij Vltraiectenſis Epiſcopi.

MS. Fuld.

STVRMI *venerabilis Abbas, vnus ex numero illo electorum Dei, quantum profecerit in eremo ſuâ, poſt martyrium S. Magiſtri,*

*Bocca-

Boccana silua in testimonio est; quæ priùs omnimodis inculta erat ac desertum: nunc autem ab Oriente vsque ad Occidentem, à Septemtrione vsque ad Meridiem, Ecclesiis Dei, & electis palmitibus monachorum repleta est. *Boccana

CANDIDVS monachus Fuldensis in vitâ Aegil Abbatis.

Sturmi primus Abbas & fundator monasterij Fuldæ, quem S. Bonifacius præceptor eius, eremitam suum vocitare solebat; morbo atque senectute lassatus, cœpit infirmari: qui etiam, non pòst multo temporum interuallo senex & plenus dierum, in pace migrauit de hac luce temporali, ad lucem, vt credimus, sine fine durantem. *Sturmi eremita dictus à S. Bonifacio.*

Simili consilio atque deuotione idem (Ægil) *bonæ voluntatis vir, anniuersariam Sturmis primi Abbatis fundatoris monasterij Fuldæ, & memoriam omnium fratrum nostrorum de hac luce defunctorum, in natale S. Ignatij martyris Christi, qui paulò inferiùs ab hac anniuersariâ numeratur, propter intercessionem tanti patroni, in Missarum celebratione, psalmodiis, & oratione sanctâ, celebrare sanciuit. Huius rei siquidem constitutio dum cunctæ Congregationi perlecta esset; ac deinde, si placeret, interrogatum fuisset, respondebatur ab omnibus; Placet. Sed, ne cui fortasse hæc celebratio superstitiosa & cassa esse videatur, legat Collationes sanctorum Patrum; & ibi reperiet huius festiuitatis exemplum. Eadem verò die, ob reuerentiam tantæ solemnitatis, secundùm congruentiam monasticæ vitæ, ad victum fraternum, cultius quid solito iucundiusque fieri demandauit. Lectionem quoque libri illius, quem de vitâ supradicti* (Sturmis) *Abbatis & origine monasterij* (Fuldensis) *nuperrimè nominati, Christi gratiâ largiente composuit, fratribus ad mensam recitare præcepit; quatenus hi eadem mirabilia diuinæ operationis audientes, gratias diuinæ maiestati referre studerent; & omnis iucunditas ipsius festiuitatis, in eius laude personaret.* *Anniuersaria maiorũ.* Cassian. coll. 19. c. 1 vbi anniuersarius depositionis dies Abbatis. *Aegil Abbas S. Sturmionis acta libro cõplexus, qui vtinam superessent.*

Inter vetustos huius ecclesiæ virorum aliquot illustrium rhythmos, hic etiam extat de sancto Sturmione, antiquitate par Ratgarij epitaphio:

Jam tenet æterna lucens ardensque lucerna,
Luna velut plena, quæ fulsit luce serenâ.
Macte Deo grate, tu terque quaterque beate,
Sancte pater Sturme, monachalis gloria turmæ.
Fuldam fundasti, ditasti, nobilitasti:

Nil intentatum quod sanctum, quodque probatum,
Dux bone liquisti; diuina Deumque sitisti.
Ecce theoriæ consors in parte Mariæ,
*Pars. *Parsque beatorum memorum memorare tuorum.*
Proque tuâ Fuldâ, nullo solamine fultâ,
Ipse coabbatum sacrum cogendo senatum,
Sis Moyses orans, Amalech pro cæde laborans.

MARIANVS SCOTVS ad annum DCCLXXIX.

Sanctus Sturmus Abbas primus Fuldensis obiit.

IOAN. TRITHEM. de viris illustr. Ord. S. Benedicti lib. III. cap. CXCIV.

Sturmus primus Abbas Fuldensis, beati Bonifacij martyris ac præsulis quondam monachus atque discipulus; vir sanctus, & regularis disciplinæ amator zelosus, multis claruit virtutibus. Moritur anno Domini DCCLXXIX. *cuius natalis* XVII. *Kalend. Ianuarij colitur. Iacet in Fuldâ sepultus.* Addo; spectabili quodam basilicæ loco: sed ob ruinas casusque templi, collectis denique sancti viri ossibus, & in arcam operis inaurati reclusis, in basilicæ sacrario conseruatur.

S. Sturmi sepulchrum.

Epistola S. BONIFACII XVII.

Data hæc, vt arbitror equidem, ad Fridesslariensis monasterij primarios cœnobitas; & nominatim ad Sturmen, post obitum Wigberti Archimandritæ.

Monasticen impensiùs iis excolendam magister præcipit. Munia cuique sua ex ordine tribuit. Sturmioni certè non tam genere suo speciosum quàm animi cultu lætum: STVRME IN COQVINA SIT. nempe ad ima demittendus, vt altiùs iacto humilitatis fundamento, feliciùs pòst eius tanta fabrica consurgeret.

IOANNES BONIFACIVS Hispanus, Societatis IESV, libro de rectâ Institutione.

Quia B. Sturmij laudibus & religioni dum inseruimus, ne recentiora quidem aspernari possumus; placuit inter alios hic, qui cum vbertate sermonis, totum hoc præconij genus colore quodam rhetorico distinxit.

Memoriæ proditum est, Sturmium, virum non modò genere, sed etiam virtute scientiaque nobilem, eorum beneficiorum auctorem fuisse

Germa-

Germanis, quæ verè appellantur bona. Cùm enim Germaniam à litteris & pietate alienam, variisque bellis & seditionibus agitatam vidisset, nec Germanæ iuuentutis indolem improbasset, quæ quales Magistros haberet, talis ferè esset; morum, doctrinæ, & pietatis officinas, id est scholas, optauit erigere. nec defuit voluntati facultas. Nam, fauente Carolo illo* Magno, in vastas solitudines penetrauit,* Fuldenséq. cœnobium bonis auspiciis ædificauit; in eo quadringentos monachos docuit; ex quibus multi, quá erant eruditione & sapientiá, ex* Græco sermone in Latinum multa vertentes, gymnasium atque ædes insigni bibliothecá nobilitarunt. Ne autem studiorum, studiosorumque moles tanta concideret, Caroli Imperatoris, & Bonifacij Moguntini Archiepiscopi liberalitas summa prouidit: Monasterium enim, quod à Fuldá fluuio nomen acceperat, agris, possessionibus, prædiis, pecuniis, vectigalibusque amplissimis, vterque locupletauerunt. Difficile explicatu est, quantos & quales viros schola Fuldensis enutriuerit, ex quá velut sapientiæ, eruditionis ac optimorum morum penu, tot Episcopi, Archiepiscopi, mundo exhausto quodammodò doctorum virorum ingeniis, prodierint.*

* *Scilicet ex, quæ à Thuringis & Saxonibus tenebatur.*

* *Et Pipino patre, ac patruo Carolomanno.*

* *Duce ac præside S. Bonifacio.*

* *Græcæ peritiæ rara vestigia deprehendimus.*

Declarant hæc, quantæ sit vtilitatis & fructus religiosa institutio; quàm profuerit illa domus, in quâ doctrinę studia viguerunt, virtus floruit, & sapientia vtriusq. particeps triumphauit.

CAPVT VIII.

Priuilegium Stephani Papæ Sturmioni Abbati concessum.

STEPHANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilectissimo filio Sturmioni venerando Abbati monasterij S. Saluatoris, quod situm est in Buchoniâ super ripam fluminis Fuldæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Quum semper sint concedenda, quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet, vt deuotioni conditoris piæ constitutionis auctoritas in priuilegiis præstandis non negetur; maximè in his locis, quæ nostræ Apostolicæ sedi specialiter subiecta sunt. Quapropter decreuimus, vt locum tuum, Fuldense scilicet monasterium, quod venerabilis frater noster Bonifacius Archiepiscopus construxit & dedicauit, omnibusque bonis ditauit, in nostrá semper habeamus defensione,*

*Romanâ & Apostolicâ auctoritate munitum, tum propter iustitiam, tum propter beatissimi fratris Bonifacij votiuum desiderium, qui tam te, quàm ipsum Fuldensem locum, in nostrâ Romanâ commendauit defensione. Igitur, quia postulasti à nobis quatenus præfatum monasterium sancti Saluatoris priuilegio Apostolicæ auctoritatis decoretur, vt sit in ditione sanctæ nostræ, cui Deo auctore deseruimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius ecclesiæ iurisdictionibus submittatur; iccircò piis desideriis fauentes, hac nostrâ auctoritate, id quod exposcimur, deuoto effectui mancipamus. & ideò omnem cuiuslibet ecclesiæ sacerdotem, in præfato monasterio, ditionem quamlibet habere, præter Apostolicam sedem, prohibemus; ita, vt nisi ab Abbate fuerit inuitatus, nec Missarum ibidem sollemnia præsumat celebrare. Locus autem idem, simul cum rebus & hominibus, tam iis quæ moderno tempore tenet, quàm quæ futuris temporibus in iure ipsius monasterij diuina voluerit pietas augere, ex donis & oblationibus, decimisque fidelium, absque vllius personæ contradictione, firmitate perpetuâ perficiatur. Præcipimus etiam tibi, cunctisque tuis successoribus Abbatibus eiusdem monasterij, per diuini nominis intemerandam reuerentiam, & per eam quam nobis & Christo debes obedientiam, vt locum tibi commendatum omni studio & diligentiâ excolas; res & facultates sub Dei timore conserues; & nihil ex his, quæ Deo sunt oblata & consecrata, cuiquam laico vel clerico in beneficium concedas vel præstes, sed omnia in seruitio Dei, & ædificiis monasterij, & consolationibus pauperum & hospitum, deuotè ac fideliter dispenses. Fratres tuos secundùm Regulam S. Benedicti dirigas, atque prouideas, & curam animarum tibi commissarum semper intendas. Constituimus quoque per huius decreti paginam, vt quæcumque cuiuslibet dignitatis prædita persona, hanc nostri priuilegij chartam, quam auctoritate Principis Apostolorum firmauimus, temerare tentauerit, anathema sit, & iram Dei Omnipotentis incurrens, à cœtu Sanctorum omnium extorris existat; & nihilominùs præfati Monasterij dignitas à nobis indulta perpetualiter inuiolata permaneat, Apostolicâ auctoritate subnixa. Data VII. Ka'end. . . . . *Imperante Pipino.*

Fuldēse monasterium vni Apostolicæ sedi subiectum.

Nullus in eo Episcopus celebrat nisi ab Abbate inuitatus.

Ne bona sacra & Ecclesiæ vectigalia per feuda alienentur.

*Regnante

CAPVT

CAPVT IX.

Approbatio sanctitatis B. Sturmij, seu Canonizatio, facta ab Innocentio II. in Concil. Lateran. vniuersali, quod Romæ celebratum anno salutis MCXXXIX.

INNOCENTIVS *seruus seruorum Dei dilecto filio Chuonrado Abbati, & monachis Fuldensis monasterij, salutem & Apostolicam benedictionem. Dignum valdè est, & omni laude dignissimum, vt quos Rex regum, & Dominus dominantium honorare dignatur; eisdem ab hominibus deuota reuerentia impendatur. Nos igitur, auditâ vitâ laudabili B. Sturmis Confessoris, cognitis etiam ex parte miraculis, quæ per eius merita Dominus operatur, attestatione fratrum nostrorum, qui de partibus Teutonicis aduenerant; in plenariâ Synodo, quæ apud Lateranum est, per Dei gratiam, congregatâ, communicato consilio Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum atque Abbatum, eumdem beatum virum inter Sanctos & electos honorari præcepimus: & diem depositionis eius cum gaudio sollemniter celebrari. Vestrâ itaque, filij charissimi, interest, ita eiusdem Confessoris obsequiis ad honorem Dei Omnipotentis addictos existere, ita matris nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ decreta veneranda seruare, vt locus vester tam apud Deum, quàm apud homines, laudem & gloriam mereatur, & vestra deuotio æternæ vitæ præmia assequatur. Data Laterani* XIII. *Kalend. Maij.*

Promulgatio Canonizationis S. Sturmis facta seris pòst annis, per Episcopum Herbipolensem, cum largitione Indulgentiarum.

IOANNES *Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Episcopus Herbipolẽsis, dilectis nobis in Christo filiis in Fuldâ, Hunefeldt, Rasdorff, Salmunster, Borslâ, Hamelburg, Bruckenaw, Geysâ, Vache, Lengefeldt, Saltzungen, Herbstein, Luternbach & Slitz, nec non & aliis per districtum & iurisdictionem monasterij & archidiaconatus Fuldensis, Plebanis & Viceplebanis, ceterisque clericis ac oppidanis, incolis oppidi Fuldensis, ceterisque vtriusque sexus hominibus, in oppidis, locis*

& villis, dominio temporali monasterij Fuldensis Ordinis S. Benedicti nostræ diœcesi subiectis, commorantibus, salutem in Domino sempiternam. Ad ea, per quæ diuinus nostris diebus augmentetur cultus, peruigili curâ, sollicitaque meditatione, quantum honestum, decens, & congruum est, libenter intendimus, eisdemque nostrum fauorem, auxilium & auctoritatem libenter impertimur. Quoniam Dominum nostrum Iesum Christum in Sanctis suis laudare, testante Psalmistâ, iubemur, Psalmo vltimo; Laudate Dominum de cælis. *&*, Gloriosus Deus in sanctis suis; & in maiestate mirabilis; *cuius ineffabilis altitudo prouidentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti iudicij censurâ, cælestia pariter & terrestria ordinat & disponit. Qui Deus, etsi cunctos eius ministros magnificat, altisque decorat honoribus, & cælestis efficit beatitudinis possessores; illos tamen, vt dignis digna rependat, potioribus attollit insignijs dignitatum, & præmiorum vberiori prosequitur retributione, quos digniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Sicq. alma mater Ecclesia, eius sacra vestigia insequens, & exemplo ducta laudabili, licet vniuersos in regno cælesti constitutos studiis honorare sollicitis, & sonoris efferre præconiis non desistat, gloriosissimos tamen Apostolos, Euangelistas & Confessores fidei principes & athletas Dei electos, qui viuentes in carne, ipsam Ecclesiam sublimiter suis sanctissimis disciplinis erexerunt & illustrarunt, ipsamque suis moribus & virtutibus, veluti lucernæ super candelabrum in domo Domini positæ, errorum tenebris profligatis, decorauerunt, ac ipsorum decoris sermonibus & actibus, ampla ipsius Catholicæ Ecclesiæ fabrica, velut gemmis vernantibus rutilat, & gloriosiùs illuminata coruscat, & tamquam sidus irradiat, summis attollere vocibus, & laudibus personare præcipuis, & specialibus disponit honoribus venerari. Sedis Apostolicæ etiam circumspecta prouidentia, quæ actibus intenta salubribus, & operibus exposita pietatis, libenter & sollerter exequitur, dignè præmissa considerans, & debitâ meditatione perlustrans, ad diuini nominis honorem, gloriam, & exaltationem Catholicæ fidei, animarum fidelium salutem, eosdem in Ecclesiâ vniuersali honorificentiæ potioris impendiis iudicauit attollendos, vt ab eâ tanto propensiùs honorari se sentiant, quanto ipsam præ ceteris extollentiùs illustrarunt. Verùm, quia olim felicis recordationis sanctissimus in Christo Pater Innocentius Papa secundus, auditis laudabili vitâ, virtu-*

virtutibus, & meritis multifariis, quibus B. Sturmus Abbas monasterij prædicti Fuldensis variè redimitus & exornatus; quique plura opera sancta, in Dei Ecclesiá, & præsertim Fuldensi monasterio, & circumiacentibus terris, perfecit, & de omnibus prædictis informatione, sub attestatione fide dignorum receptá, in Synodo plenariá Romæ apud Ecclesiam Lateranensem celebratá, fretus desuper consilio Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum & Abbatum, eumdem beatum virum inter Sanctos & electos Dei honorari, atque diem sui obitus XVII. ** Decembris, ipso die S. Ignatij Episcopi & martyris, cum gaudio sollenniter, ob Omnipotentis Dei & sanctæ matris Ecclesiæ honorem, per suam bullam celebrari & festiuari præcepit; quam nos sanam, integram, non vitiatam, non cancellatam, sed omni prorsus vitio carentem vidimus, & in nostris manibus habuimus, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis: Innocentius,* &c. vt suprà. *Nos igitur piis ducti consiliis, dignisque studiis, motiuis & rationibus excitati atque moti, dignum, decens, & congruum valdè esse indicantes, vt, quos Rex regum, Dominus dominantium, honorare dignatur, eisdem ab hominibus deuota reuerentia meritò in hac valle impendatur; & præcipuè in mente reuoluentes, quòd in Ecclesiá & monasterio Fuldensi prædictis, dies obitus præfati beati viri Sturmis sub duplici officio celebratur, festiuatur & veneratur; & membra à capite, & subiectos à superioribus suis, non liceat neque honestum sit discrepare & discedere; imò in his, quæ sancta & honesta, & pro salute animarum per sanctos patres edita, piè noscuntur, debeant & teneantur sequi & se conformare; vos omnes & singulos tamquam fidei Christianæ zelatores rogamus, ne notam perfidiæ alicuius incurratis, & in Domino* IESV *Christo exhortamur, & vos inuitamus, & quantum valemus præcipimus, vt singulis annis, solemniter & deuotè hanc diem obitus B. Sturmis primi patris vestri, & Abbatis Ecclesiæ Fuldensis, Dominæ vestræ in temporalibus, venerari, festiuare & celebrare non tardetis. Quin imò, primis Vesperis, Missæ sollemni, & aliis officiis diuinis sollenniter peragendis, ipso die obitus S. Sturmis, cum orationibus vestris, eleemosynis, & aliis piis & misericordiæ operibus, intersitis. Et, vt eo feruentiùs & faciliùs inclinari ad colendum, celebrandum & festiuandum ipsum festum valeatis, quo vberioribus donis spiritualibus vos refectos conspexeritis, animare vos volentes, omnibus verè pœnitenti-*

S. Sturmi nouj unus præconium.

*al. mendosè XVI. Kalend. Decembris.

Canonizationis factæ attestatio.

Ferias indicit & officium diœcesanis Buchoniis.

tentibus, qui hanc diem celebrare, festiuare & venerari studuerint, & sedulas orationes effundere, & largitiones pias facere curauerint, & diuinis officiis interfuerint, in remissionem omnium suorum peccatorum de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum, & SS. martyrum Kiliani & sociorum eius Ecclesiæ nostræ Herbipolensis patronorum, suffragiis, in Domino confisi, quadraginta dies Indulgentiarum, de iniunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Si quis verò hanc paginam violare præsumpserit, Omnipotentis Dei maledictionem, & BB. Kiliani & sociorum eius & nostram indignationem se nouerit incursurum. In quorum omnium præmissorum robur, firmitatem & testimonium, hanc litteram nostri sigilli muniminis appensione iussimus communiri. Datum & actum in castro nostro montis Mariæ Virginis, Anno Domini millesimo, quadringentesimo, tricesimonono, die Dominicâ, quæ fuit penultima mensis Nouembris.

Indulgentia Ioan. Episcopi.

CAPVT X.

S. Bonifacij Epistolæ, curam eius in Ecclesiam hanc & vicina loca testantes.

STVRMIONIS memoriâ, vt potuit in præsenti, ætatum & hominum iniuriâ litteris amissis & deperditis multis, illustratâ, obire iam ea monumenta fert animus, quæ licet hebetata vetustate, vitam omnem non retinent; eam tamen lucem monasterij siue crescentis amplitudini, siue famæ dignitatique crescentium cœnobitarum, infundunt, vt magis, fuisse homines quibus ista benignè faciendi mens tam excelsa superesset, laudem habeat, quàm qui vt hîc piè viuendo munificentiam illam promererentur, admirationem. Et, quia longum hoc opus est, quod etiam proprium volumen desideret, equidem vestigia quædam modò priscæ beneficentiæ per transennam inspicienda nunc offero: nam, vt fundorum, vectigalium & omnigenæ copiæ liberalitatis instrumentum explicem, nec obrepens sensim ætatibus obliuio patitur, nec modus operis suscepti. Quamquam haud infructuosum aut iniucundum fors fuerit, si quæ spectatiora, aut famâ rerum vetustate labentium, aut

aut denique quacumque viâ, comperta teneamus, ea quidem, cùm ad fugacis memoriæ damna restauranda, tum ad Fuldensem antiquitatem quoquo modo sustentandam sub adspectum reuocemus. Existimo enim ita fore, vt & omnia quæ volumus apud posteros extent clariora; & non pauca, quæ tenebris situque alioquin oblitescunt, lucem vitamque quodammodò recipiant. Primùm itaque S. Bonifacij curam erga Ecclesias & monasteria recèns ab se in Thuringiæ finibus instituta, explicamus: deinde, quo fructu operæ, viuus mortuusque, barbarie radicitus exstirpandâ, inserendâ religione, pietate conseruandâ, posteros sibi demeruerit, testari Diuum ipsum placuit: denique monumenta succedunt, quibus Boiariæ Ecclesiæ, & amplissimæ prouinciæ, quid quæque olim memoriæ S. Bonifacij Apostoli ac Institutoris sui donorum obtulerint, quos fundos reliquerint, patefacimus. *Methodus insequentium.*

EPISTOLA S. BONIFACII de consilio suo in Fuldensi monasterio collocando, ad Zachariam Pontificem, ex MS. Fuldensi.

In nomine Domini nostri IESV *Christi. Reuerendissimo Patri ac Domino dilectissimo, & omni honore venerando Apostolicæ sedis infulá dignè sublimato, Zachariæ Papæ, Bonifacius exiguus Christi seruus, licet vltimus, tamen Romanæ & Apostolicæ sedis legatus Germanicus, deuotissimus, optabilem in Christo immarcessibilis charitatis salutem. Paternæ pietatis vestræ sanctitatem subnixiùs obsecro, vt hunc presbyterum præsentium latorem litterarum, grato & clementi animo suscipiatis. habet enim secreta quædam, quæ soli pietati vestræ profiteri debet. quædam namque viuâ voce dicere habet, quædam autem litteris ostendere debet; de quibusdam verò necessitatibus meis inquirere & interrogare; mihique paternitatis vestræ responsum & consilium ex auctoritate B. Petri Apostoli, ad solatium senectutis meæ missum à vobis, repræsentare debet; vt his auditis & consideratis, si quæ sunt, quæ sanctitati vestræ complaceant, facere Deo adiuuante studeam; si quid autem, vt timeo, displiceat, ex præcepto sancti Apostolatus vestri, indulgentiam promerear. Antecessor etenim vester Præsul Apostolicus, venerandæ memoriæ Gregorius, dum me indignum ordinaret Episcopum, obtinui ab eo, vt locum meum, meæ sepulturæ præuisum, Fuldense scilicet monasterium, nondum quidem perfe-* *S. Bonifacij in Sed. Apost. obseruantia.*

ctum, sed eum Dei & vestro adiutorio perficiendum, in suum specialiter susciperet præsidium, B. Petri Apostoli præsidio muniendum, ac Romanâ auctoritate roborandum atque tuendum. Quod & fecit, & dato priuilegio, suâ & B. Petri auctoritate confirmauit, & banni sui vinculo, sub testificatione Christi & Ecclesiæ perpetuo anathemate eos constrinxit, qui de stipendio fratrum, vel decimis & oblationibus fidelium, vel ad hospitale pauperum, seu ad portam hospitum pertinentibus rebus, quicquam distraxerit. Est enim locus ille, quem elegi, Fulda, nomen habens à flumine, quod præterfluit, in vastâ solitudine Bochoniæ, in medio nationum prædicationis nostræ; in quo loco monasterium construxi Domino nostro Saluatori Christo, & eius genitrici perpetuæ virgini MARIAE, *& sanctissimis Apostolis Petro & Paulo: in quo monachos constituimus, sub Regulâ S. Benedicti Deo deuotè seruientes. Hunc locum, per Principes & viros religiosos ditaui prædiis & honoribus, & per Pipinum & Carolomannum auctoritate firmissimâ confirmaui, ne de locis vel prædiis, vel de familiâ eiusdem Ecclesiæ, quisquam aliquid præsumat subtrahere vel auferre. Hunc inquam locum meæ requiei præparatum, in vestram, Pater charissime, & B. Petri Apostoli commendo potestatem, obnixiùs orans atque deposcens, vt dexterâ protectionis vestræ sit semper munitus atque defensus. & quicumque eidem loco quicquam boni contulerit, æternæ beatitudinis præmio remuneretur: qui verò quicquam, quod absit, subtraxerit, diuinæ & vestræ maledictioni subiaceat; & illo vinculo colligetur atque æternaliter damnetur, quo Dominus noster* IESVS *Christus B. Petro Apostolo præcepit, impios ligare super terram, vt in æternum ligati atque damnati sint. & non immeritò ligandi sunt inimici Christi & Ecclesiæ; nam ipse sic præcepit dicens: Ligatis manibus & pedibus mittantur in tenebras exteriores . . . .*

Porta hospitum quàm antiqua.

S. Bonifacij zelus in sacrilegos & prædones monasteriorum.

Gripho Martelli filius in Thuringiâ degit.

Gripho Caroli Martelli minimus natu filius, ex Sonichilde, iustáne vxore an concubinâ, incertum, dum paterni regni exsors, longè infra Pipinum & Carlomannum se relinqui cernit, ætatis calore primùm fraterna iura turbare aggressus; inde parum secundis belli motibus, Arduennæ custodiâ inclusus, anno DCCXLVII. cùm euasisset, in Thuringiâ Saxoniaque imperium affectans, arma mouit. Quo tempore S. Bonifacius nouelli tenerique gregis sui curâ exæstuans, Christianos cuiusque ordi-

ordinis in Thuringiâ locisque finitimis ipsius tutelæ præsidioque commendat, missâ epistolâ, quæ est XXVI. ex editis nuper studio R.P. Nicolai Serarij, Magontiaci.

BONIFACIVS *seruus seruorum Dei* GRIPHONI *filio Carli, optabilem in* CHRISTO *salutem.*

Obsecro & adiuro pietatem vestram, per Deum Patrem Omnipotentem, & per IESVM *Christum filium eius, & per Spiritum sanctum, per sanctam Trinitatem, & vnitatem Dei, vt si tibi Deus potestatem donauerit, vt adiuuare studeas seruos Dei, sacerdotes presbyteros, qui sunt in Thyringiâ; & monachos & ancillas Christi defendere contra Paganorum malitiam, & adiuuare Christianum populum, vt eos Pagani non perdant, vt ante tribunal Christi mercedem habeas perpetuam. & cognoscite, quòd memoria vestra nobiscum est coram Deo, sicut & pater vester viuus, & mater iam olim mihi commendarunt. Deprecamur Deum Saluatorem mundi, vt dirigat viam vestram & vitam ad salutem animæ vestræ, vt in gratiâ Dei semper hic & in futuro sæculo permaneatis.*

Christianorum grex to-uellus, & sacer ordo Grifoni commendatur.

Posthæc, lineis iam, martyrio imminente, propiùs admotis, non in præsens modò vir Apostolicus, operi egregio nuper ab se inchoato consuluit, sed etiam in longam ætatem, initiis benè positis prospiciens, paulò ante vitæ finem, per Fulradum presbyterum familiarem & amicum, Pipini Regis opem & munificentiam implorauit, petiitque, *vt Sacerdotum auxiliares manus, & cœnobitarum ac sanctimonialium, nec non discipulorum reliquam turbam, regiâ ipse beneuolentiâ tueretur; & stipendiis iis ad Christianam militiam eam perferendam posthac instrueret, quò vicinis iuxtà paganis, sacra vix coalita retineri, & religionis propagatores vnà sustentari aliquè possent, Lullo interim totius huius spiritalis exercitus nominato duce.* Et quia epistola hæc priscæ abstinentiæ & artissimæ disciplinæ modum à primis Euangelij satoribus hac regione terrarum vsurpatæ continet, & ad monasticæ nostræ vetustam originem intelligendam facit sanè plurimum, inseri non inscitè hic eam liceat.

EPISTOLA XCII.

BONIFACIVS *seruus seruorum Dei, gratiâ* CHRISTI *Episcopus, charissimo consacerdoti Fulredo presbytero, perennem in* CHRISTO *charitatis salutem.* *Fraternæ dilectionis tuæ*

ſpiritalem amicitiam, quam ſæpè in neceſſitatibus meis pro Dei intuitu feciſti, dignas gratias, quantas meruiſti, perſoluere non poſſum: ſed Deum Omnipotentem deprecor, tibi in alto cælorum culmine mercedis præmia, in gaudio Angelorum æternaliter retribuat. Nunc autem in Chriſti nomine deprecor, vt quod bono initio cœpiſti, cum bono fine perficias, id eſt, vt meo verbo glorioſum & amabilem regem noſtrum Pippinum * ſalutes, & illi magnas gratias referas, de omnibus pietatis operibus, quæ mecum fecit; &, vt illi referas, quod mihi & amicis meis ſimiliter videtur, vt vitam iſtam temporalem, & curſum dierum meorum per iſtas infirmitates citò debeam finire. Propterea deprecor celſitudinem Regis noſtri, pro nomine Chriſti filij Dei, vt mihi nunc viuenti indicare & mandare dignetur circa diſcipulos meos, qualem mercedem poſteà de illis facere voluerit. Sunt enim penè omnes peregrini: quidam presbyteri per multa loca ad miniſterium Eccleſiæ & populorum conſtituti: quidam ſunt monachi, per cellulas noſtras, & infantes, ad* legentes litteras ordinati: & aliqui ſeniores, qui longo tempore mecum viuentes, laborauerunt, & me* adiuuabant. De his omnibus ſolicitus ſum, vt poſt obitum meum non diſperdantur: ſed, vt habeant mercedis veſtræ conſilium, & patrocinium celſitudinis veſtræ: & non ſint diſperſi, ſicut oues non habentes paſtorem; & populi, prope marcam paganorum, non perdant legem Chriſti. Propterea almitatis veſtræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, vt filiolum meum Lullum, & coepiſcopum, ſi Deus voluerit, & ſic clementiæ veſtræ placeat, in hoc miniſterium populorum, & Eccleſiarum componere & conſtituere faciatis prædicatorem, & doctorem presbyterorum & populorum. Et ſpero, ſi Deus voluerit, quòd in illo habeant preſbyteri magiſtrum; & monachi regularem Doctorem; & populi Chriſtiani, fidelem prædicatorem & paſtorem. Propterea hoc maximè fieri peto, quia preſbyteri mei, prope marcam Paganorum, pauperculam vitam habent. Panem ad manducandum acquirere poſſunt: ſed veſtimenta ibi inuenire non poſſunt, niſi aliunde conſilium & *adiutorem habeant, vt ſuſtinere & indurare in illis locis ad miniſterium populi poſſint; eodem modo, ſicut ego illos adiuui. Et ſi pietas Chriſti hoc vobis inſpirauerit, & hoc, quod peto, conſentire & facere volueritis, per hos Miſſos meos præſentes, aut per litteras pietatis veſtræ, hoc mihi mandare & indicare dignemini, vt eo lætior in mercede veſtrâ viuam vel moriar.*

*vt

*ſalutaueris,

S. Bonifacius vitæ finem ſibi imminere prædicit.

S. Bonifacij erga ſuum cœtum pia ſollicitudo.

*legendum

*adiuuerũt.

Paganis finitimi Neophyti.

S. Lullũ loco ſuo parentem dat orphanis peregrinis, & ſucceſſorem in fide propagandâ.

S. Lulli commendatio.

Marca Paganorum, in Thuringiâ, Haſſiâ, & Saxoniâ finitimis.

Sacerdotum Apoſtolicorũ paupertas.

*adiutorium

Ful-

ᵃFulredum hunc accipio, qui consilio & auctoritate apud Pipinum regem multò præstantissimus, res in Galliâ Italiaque summas moderatus est Anastasius in Stephano, *Fulradum venerabilem presbyterum, Pipini consiliarium & Abbatem*, salutat.

Fulredus aut Fulradus quis.

CAPVT XI.

S. Bonifacij pia vota consiliaq́, vt optatis ab ipsius obitu successibus exaucta; & quâ, siue Ecclesiæ ab ipso erectæ, siue populi ab eo conuersi, pietate & beneficentiâ Fuldense monasterium, & Martyris memoriam, prosecuti sint.

Primum Documentum à quatuor Boiariæ Ecclesiis.

CVNCTIS *nostris fidelibus notissimum est, qualiter præclarissimus patronus noster, & totius Galliæ atque Germaniæ Apostolus S. Bonifacius, cùm ab errore gentilitatis Boioariam conuertisset, diuisit eam in quatuor Episcopatus, & quatuor ex discipulis suis ordinauit pastores, ad regendum populum Dei. Ioannem*ᵃ *Saltzburgensi Ecclesiæ;* † *Viuulum*ᵃ *Batauensi Ecclesiæ,*ᵃ *Gowibaldum Ratisbonensi Ecclesiæ, Erinbertum Frisingensi Ecclesiæ præponens. Qui statim velut palmites veræ viti adhærentes, in vineâ Domini, non sine fructu animarum sibi commissarum, comparuerunt; sed & insuper, quantum potuerunt, ipsam Fuldensem Ecclesiam, matrem suam, pro amore pij patris Bonifacij, donis & honoribus extulerunt. Vnde contigit, vt quisque eorum, pro posse suo, charitatis oblationes Fuldensibus fratribus, de suâ patriâ annuatim persoluerent, ac suos ciues, vt idem facerent, incitarent. Sicque factum est, vt de singulis regionibus plurima prædia quique Fuldensi ecclesiæ, pro honore S. Bonifacij Archiepiscopi & Martyris conferrent; cresceretque & augmentaretur domus Domini de die in diem. Obtulit ergo primùm*ᵃ *Saltzburgensis Ecclesia matri suæ Fuldensi Ecclesiæ, in oppido suo Hallâ nuncupato, domum & fontem salis, cum compertinentiis & vtensilibus suis, vnde singulis annis* XII. *talenta persolui possunt. Obtulit etiam Ratisbonensis Ecclesia qua-*

Zachariæ epistolâ ab anno DCCXL. *nō solùm ius in Boiariâ, sed in omni Galliâ prædicandi conceditur.*

S. Bonifacij labores & descriptos ab eo diœcesion limites in Bauariâ, vide lib. 5. Boicar. rerum Mar. Velſ.

ᵃ*Salisburgensi*

ᵃ*Batauensi & Laureacensi. nam coaluere.*

ᵃ*Gaubaldū seu Garibaldum*

† *Viuilus seu Vivilo, quia legitimus in Bauariâ repertus, & à Gregorio tertio ordinatus, censeatur*

ᵃ *S. Bonifacio ad meliora institutus:* Epistola Gregorij ad Bonifacium 130. in editis Bonifacij. ᵃ *Iuuauia antiq. pòst Salisburgum à præfluente Salsâ; Saltnis hodieq́ abundat:* Marc. Velſ. lib. 4. rerum Boic. fol. 215.

quatuor vineas, & quatuor regales mansos, cum curtibus & compertinentiis, ac famulis suis; vnde singulis annis transmittere debent ad Fuldensem Ecclesiam, fratribus Deo & B. Bonifacio seruientibus, [a] *piscem magnum Husen nuncupatum; & de oleo arborum, quantum equi duo in lagenis deferrent. Similiter de oleo & de pisce solebat Bataunensis Ecclesia idem, dum viueret Viuulus Episcopus, fratribus Fuldensis monasterij singulis annis in oblationem transmittere; quo defuncto, paulatim per negligentiam & incuriam, siue per viæ longinquitatem, subtractum est. Frisingensis verò Ecclesia, cui præerat Erimbertus Episcopus, quæ iuxta Alpes & montana Italiæ sita est, singulis annis caseos grandes,* [*] *Bergkeese vocatos, Fuldensibus fratribus in oblationem transmittebat. Prætereà, de singulis terrarum prouinciis, seu regionibus, singuli fideles offerebant Deo & B. Bonifacio, prædia seu mancipia; quæ omnia descripta sunt in octo codicillis, & reposita in librario sanctæ Fuldensis Ecclesiæ.*

Bataunensis.

Frisingensis.

[*] *Caseimontani vel Alpini.*

[a] *Piscem magnum Husen nuncupatum.*] Husen, vel, vt hæc ætas Hausen, semilatinis Huso, piscis est, præcipuâ magnitudine, quem exossem plerique, & esocem interpretantur; illabitur in Danubium aliosque riuos Ponti miscellaneos. Describit eum Magnus Albertus, huius de quâ loquimur olim Ecclesiæ Episcopus, vicenûm quatuor pedum longitudine porrigi, vbi adoleuit maximè; nullis planè ossibus intersitum; quemque color & sapor à sturione multùm discriminet. Porrò, licet huius generis hospes Danubij propriè, ac Danubianus etiam audiat; Plinius tamen, ni species eum fallit, & in Rheno capi, & Sulpitius Seuerus in Ligere iussu D. Martini immanem captum Esocem, perhibent. Vnde nec otiosè hoc loco eius magnitudo celebratur. Balthasaro Principi & Abbati, cùm exutus potestate, Cęsaris opem imploratum in Austriam magnis itineribus contendit, anno 1578. Viennæ prægrandis esox Rudulphi Imperatoris nomine in hospitio munus, quasi à Danubio debitum, postliminio præsentatum est.

Husen piscis, vel Heson. i. Esox.

Lib. de naturâ animaliũ. sed emẽdanda vox *Erox*, seu *Eriox*.

Lib. 9. histor. nat. c. 15.

Lib 3. dial. c. 13.

Secundum Documentum à traditione Lulli Episcopi.

In nomine Domini. Regnante domino Carlo Francorum & Longobardorum Rege, ac patricio Romanorum, die XXV. *mensis Septembris, die Dominicâ, cùm idem gloriosissimus Rex Carolus, curiam haberet apud nos; ego Lullus Dei gratiâ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, tradidi domno meo S. Bonifacio Archiepiscopo & Martyri, coëmptionem prædiorum, quam coëmi in villâ Fargalahâ, quæ sita est in pago Thuringiæ, super fluuium Vnstruth nuncupatum, eâ conditione, vt pars mea sit cum domno, & patre meo sanctissimo, Bonifacio martyre & Archi-*

Fargalaha prædium.

Vnstruth Gregor. Turon. *Onestruda fiu.*

S. Lulli in S. Bonifacium pietas.

Archipontifice, in regno Dei: &, vt fratres Fuldenses mei perpetuò sint memores. Dediq́ue consilium quibusdam fidelibus nostris; quatuor videlicet nobilissimis viris, VValtoni, Reginaldo, VVarmundo, Burchardo, qui prædia in confinio eiusdem villæ Fargalaha in proprietatem habebant, vt partes suas S. Bonifacio traderent, eumq́ue suum heredem facerent in terris, vt sui coheredes fierent in cælis, qui & ita fecerunt. Et hæc traditio coram Rege confirmata est.

Tertium Documentum à S. Willibaldi donatione.

VVillibaldus etiam Eichstatensis Ecclesiæ Episcopus, obtulit Deo & B. Bonifacio, cuius ipse quondam fidelis erat discipulus, fratribusq́ue suis Fuldensibus, in oblationem, villam vnam[b] *in pago Sualefeldensi sitam, Kuchese nuncupatam, vt annuo censu, fratres, pro sui commemoratione, consolationem & oblectationem, &* *pitantiam haberent. Et, vt breuiter multa perstringamus, quia omnium Ecclesiarum* *Galliæ, Alemaniæ, & Germaniæ Apostolus & prædicator extitit S. Bonifacius, iure ab omnibus gentibus ei soluebatur censu.*

[b]*In pago Sualefeldensi.*] Hæc perspicuè in S. Solæ gestis rebus. * Sola quippe, siue Suolon, S. Bonifacij discipulus, VVillibaldi collega, Fuldensis disciplinæ alumnus, finitima Boiariæ loca, & Eistatensi ditioni contributum agrum incoluit: in hoc Sualæ nomen tulit, qui Altmonæ riui oportunitate ceteris feracior, præcipuum vectigal præbebat incolis; quiq́ue latè prædiis ac fundis instructus, non Kuchese tenus modò, Fuldensibus annonam supportabat, sed ex totâ Solæhofij monasterij amplitudine, fructum abundè largiebatur. Totus itaque tractus hic terrarum, Sualæ seu Sualefeldiæ & Sualeueldoni nomen obtinuit: in quo VVunebaldus etiam cum VValpurge sorore monasticam colucre; quorum in actis non appellatio tantùm huius regionis, sed lex quoque Sualafeldica celebratur.

al. *Vilibaldus Eistadiensis.*
Marian. & antiq. Chronol. Hund. Marc. Velf. ad an. 746. Boic. lib. 5. Henric. Canis. lection. ant. Tom. 4.
* *quasi pitisantiam à pitissando.*
* *Nam Rhemos vsque & vltra, Apostolicum munus protulisse,* Hincmarus ep. 6. c. 19. & ipsæ S. Bonifacij epist. variç ac 132. testantur.
* Ermaricus in vitâ S. Solæ, & hic lib. 3 Antiq. Fuldens. Rudolphus in Rhaban. actis. Wolfhardus in S. Walpurg. Tom. 4. antiq lect.

Quartum Documentum, à populis Christianâ lege Bonifacij studio imbutis.

Habuit monasterium hoc in Saxoniâ[c] M M M *mansorum. totidem in Thuringiâ. item in prouinciâ Hessonum & VVetereibiorum. Item in prouincia Rheni & VVormatiæ tria millia. Similiter in prouinciâ Boiariæ &* *Alamaniæ. Quibus ex mansis, ferunt, partito singulis in prouinciis quingenta mansa, senis cuiusque regionis Dynastis loco beneficij cessisse,* *vt Ecclesia Fuldensis iura sarta tecta conseruarent, sed cupidine & auaritiâ, secùs ea patrocinia cecidisse. Huc iam denique,*

Tria millia mansorum. MS. Fuldensis. *xv. millia Mansorum vniuerse.*
* *Hic pro Sueuiâ.*

nique, si Regum & Imperatorum Carolomanni, Pipini, Caroli, Luduici, Lotharij, Arnulphi, Ottonis, Conradi, Henrici sancti, & aliorum Principum, ac priuatorum hominum donationes, prædia, fundos, decimas Thuringicas, ceteraque auita patrimonia adijceres; starentque veteri iure cuncta, æstimes, dubium fore, an vlla huic Ecclesiæ etiam Archiepiscopalis sedes, diuitiis & vectigalium magnitudine, æquiparari posset.

Godescal. Stecvvech ad Veget. lib. 3. c. 19. Adi leg. Fráci. & Ripuar. Simonis Schardij lexicon iuris. Budæum in Pandec. Pet. Gregor. lib. 8 c. 10. n. 1. Fr. Hotoman. de verb. Feudal. vbi citátur multi.

[a] Vitus Amerbach ad constitut. Car. M. Mann & Mass. & Zasius I C. Mássmar.

[b] Leg. Frácor. lib 1. c. 85.

[c] Constitut. Caroli Magni, & MS. diplomat. Marc. Vels. lib 4 Boicarum rerum ad an. 616.

[d] Contrà Fr. Hotoman.

[e] al. *indominicata*. Amo in lib. 3. c. 35. *Ledilia à Leudis, id est hominibus subiectis.*

[f] *Mansi regales.*

[g] *Sacrales à Frônen, i. seruitium dominis præstare.*

[c]*Tria millia mansorum.*] Vt hæc immensitas prædiorum oculis subijciatur; obseruo, mansus & mansiones, vno sensu inter militaria diuersoria recenseri: at Iurisconsulti, vt obuiam hanc vocem in barbaricis legibus passim vsurpant; ita non perinde eius notionem exprimunt. Mansa hæc, vtique Latinæ dederim potiùs origini, quàm vernaculæ parum ad rem subiectam aptæ; siue cum[a] nonnullis virum, seu mensuram aut metatum respicias. Nam absque controuersiâ, Mansi nomine fundum accipiunt, vbi colonus maneat; etsi de modo fundi litigent, num is tantus, quantum par boum elaboret aratione, num iugeri molem haud excedens. Equidem hæc mansa, [b]Francorum ritu, accipio iis agrorum circumscripta spatiis, vnde minimum agricola, saluo dominorum fructu, se familiamque largè sustentaret. Quorsum enim alioqui[c] legislator de vno manso ad Ecclesiam dato iussa conderet; & mansi vnius, ac duorum donatio, in tanti pretium veniret? Prælucent hîc mihi collectanei libri Fuldensis Ecclesiæ, qui iugera, fundos, seruitia plura, singulis hisce mansis describunt. Sed age, locum hunc, etiam ex Cæsario Prumiensi Abbate magis illustremus, qui ad monasterij sui vetera diplomata, & donationum indices, glossas scripsit; quas olim ex egregio manuscripto delibare licuit: *Mansa,*[d] inquit, *vnde mansionary; erant villæ aut loci familiarum singularum, quæ quadripartita. I. Seruilia, quæ in seruitiis omnibus & pendendo fructu, conditione deteriora. II.*[e] *Ledilia, quæ multa quidem dominis commoda ferebant, sed non ita continuò seruiebant. III. Ingenualia erant in Arduennâ, vulgò dicta* [f] *Künigshouen. IIII. Mansi Absi, sic dicti; quòd non haberent cultores, sed dominus eos haberet in suâ potestate, vulgò*[g] *Vroynde.* Atque pro mansionum varietate Colonorum, deprehendo diuersam quoque conditionem extitisse: nam apud Hennebergios Rhora Fuldensis Ecclesiæ monasterium, vno terrarum districtu, agricolas numerauit, Lidos VIII. Seruitores LXXVIII. Saxones XVIII. Sclauos LXXV. Colonos XXX. Tributarios XXXIX. Neque sua hisce locis hierarchia defuit; siquidem in tractu Abbatesrode, qui septem constitit territoriis, totidem Ecclesias, & Clericos extitisse lego, qui decimas & rem diuinam ibi procurarent. Ceterùm, quia hæc fundorum & opum exaggeratio, non luxui vel ambitioni nata, sed S. Bonifacij religioni meritisque tributa; gloriosiùs ille multo, quàm Curio Dentatus, triumphator non Samnitium, sed tot Christo deuictarum gentium; neque in concione populi Romani,

mani, sed in concilio beatorum cælitum, iteret hasce voces, *Tantum agri(hominum & animarum) cepi, vt solitudo fuerit futura, nisi tantum hominum cepissem. Tantum hominum porrò cepi, vt fame essent (æternâ) perituri, nisi tantum agri cepissem.*

Quintum Documentum, à cunctis promiscuè Christi fidelibus.

Extant elenchi, qui per villarum & hominum nomenclaturas recensent traditiones fidelium, qui de diuersis regionibus Fuldensi monasterio sua prædia contulerunt; in his primus titulus:

*Descriptio eorum, qui de pago VVormatiense, & * Rinense, & de Alsatiâ & de Grapfelt, S. Bonifacio sua prædia seu mancipia contulerunt.*

* *Rhenense.*

Quæ ne minuta leuiaque censeas, in hoc ordine & sequentium titulorum, reperias homines illustres ac nobiles, qui in Alsatiâ & vrbe Strasburgo, areas immensas, agros, prata, siluas, vineta, domos, numerosam familiam singuli, cum omnibus fortunis, huic monasterio munificè obtulerunt. *Alsatiorum donaria.*

Wormatiensi in pago sparsis locis prædiorum & vinearum plus quadringentis possessum. *VVormatiēsi in agro quid possessum.*

Leiderat verò Comes per manus Lulli Archiepiscopi Moguntini omne patrimonium suum VVormatiensis tractus huic Congregationi tradidit, & in vrbe Moguntiâ complures domos & familias. Permulta quoque vitiferis è locis Rhenus vini dona vndique conuehebat. *Leiderati Comitis munificentia.* *A Rheno vina.*

Par ratio beneficentiæ à Lotharingis & Transrhenanis; in quibus numerant, Wetereibam, Moingowe, Hassiam; remotiores autem, Loganaha, Angergowe, Westphaliam, quiq. maris accolæ Fresiam S. Bonifacij martyrio inclytam habitabant. *Transrhenani. Loganaha. Angergovve. VVestphalia. Fresia.*

Sueuiæ item & Boiariæ amplissima prædia, pascua, & hominum pecorumque vim annumerant; vbi ex vno fundo annuè præberi persæpè legas indomitos equos octoginta, quinquaginta boues pascuales aut vaccas, porcos nonaginta. *Sueuia. Boiaria. Equi indomiti. Boues pascuales. Porci.*

De Thuringiæ Saxoniæque decimis quid loquar? centum tredecim è pagis olim collectas? quarum omnium rerum tituli & indices reperiuntur adhuc, antiquitate & methodo suâ spectati; quibus & loca, nominaque tum donantium, tum pensitantium, satis disertè exponuntur. Vnum Erkanberti locuple- *Thuringica Saxoniaq. fundi.*

 tissimi

tissimi Præsulis multiplex donum præterire nequeo; qui è Saxonicis agris per manus Luitfridi, Deo & S. Bonifacio innumeros propè fundos assignauit. de quibus vetus membrana: *Numerus mancipiorum* CCLIII. *villarum* XXIII. *prædiorum seu hubarum* CLXX.

CAPVT XII.

Nonnulla, quæ ad Carolum Magnum amplissimæ munificentiæ patronum huius Ecclesiæ.

DE huius Principis origine & natalibus, cùm Gallicas Teutonicasque nationes longa trahat & anceps hac illac disceptatio, deposcente sibi qualibet sideris tanti decus; breuiarium regiæ donationis ex antiquis codicillis affero, quâ conceptionis origo prodi videtur: (MS. Tradit. n. 15.)

Donamus (ait inter alia) *& contradimus Domino nostro Saluatori, sanctoque Bonifacio martyri, qui in Fuldensi requiescit monasterio, Terram conceptionis nostræ, hoc est,* [a] *totam comprouinciam circa flumen* * *Vnstrudt, ipsamq́;* * *chortem nostram in Vargalaha cum omnibus compertinentiis suis, & cum omnibus villis longè vel propè positis, quæ ad eam respiciunt; cum omni proprietate, sicut eam nos à parentibus nostris in proprietatem accepimus.* (Carolus Magnus quo loco conceptus. * Onestrudis, Franc. annal. * Curtem vel Cortem)

Relatio priscorum hominum de eâdem Traditione.

Ferunt priscæ ætatis homines, Pipino, cum illic vnà cum S. Bonifacio in eâdem chorte degeret, diuinitus innotuisse, se Magni Caroli, id est fidei olim propagatæ & rerum gestarum magnitudine clarissimæ prolis, fore parentem. Monstratumque locum iuxta molam, in quo Carolum narrabant exorsum primordia vitæ suæ.

[a] *Totam comprouinciam.*] Geographicum hîc vnum promo, quod ex obseruationibus est Henrici Haueri Kempensis, viri in Societate nostrâ, dum vixit, tum doctrinâ aliâ multijugâ, tum peritiâ Saxonicarum rerum, tum denique prolixis eam in gentem meritis, & innocentiâ morum, valdè spectati. Is Meliboci montis vasta iuga rimatus, ostendit Hercyniæ inclusum, venire in eam quoque Thuringiæ regionem, quæ Eichsfeldiæ titulo à reliquâ ditione seiuncta, maiorum religione seruatâ, Moguntino Præsuli paret: quodque Tacitus Cattos vrgeri ab Hercynio saltu narrat, id ipse de Meliboco Hassiam etiamnum prosequente & deponente, verum esse confirmare solitus. Istinc namque (Henric. Hauerus Societ. Iesv presbyt. Ptolom. in Germ. Melibocus mons. Hercynia. Lib. de moribus German. Hartzvvald.)

namque Viſurgin, quod rectè Ptolomæus ſcripſit, deriuari, cuius brachio auxiliari ſeu fonti, qui VVerra dicitur, mons hic ſit proximus. Eſſe itaque terminum ditionis Eichsfeldicæ Melibocum, quà Haſſiam Occidentem verſus adſpicit, intra VVerram & Vnſtrudtam riuos concluſus; quorum ille ab Haſſiâ Vnſtrudta à Thuringiâ Saxoniam * olim diſterminabat. Atque ita in confinibus Thuringiæ Saxoniæque locus obſeruatus, vbi Carolus Magnus in materni corpuſculi hoſpitio primulùm exiſtere cœpit.

Epit. hiſtor. Landgrauiorum, cap. 7.
** ante annos 1071.*

Et quia VVerræ iam mentionem intuli; is profectò amnis, incliti nobis alterius loci memoriam & originem aperit, ob hæreſin intermorituri, ni viuat in litteris. Ac VVerra quidem citra dubium Viſurgi aduena eſt, ſi non ipſe Viſurgis: nam quantum hîc exſtat priſcorum diplomatum, in his VViſaram ſiue VVeſaram appellari, quam nunc VVerram dicimus, compertum habeo. Interim, vbi Viſurgin ſubit, nec antè, confuſis aquis, nomen hoc vſitatum ponit; quod nomen haud vanè quidam accepiſſe conijciunt, ab aluei diſtorſione, & aliorum conflictu amnium, quibuſcum receptis luctetur, donec cum Schleusâ permiſceatur. Ceterùm iuxta vtriuſque amnis confluxum, anno ſalutis MCXXXI. Veſſera ſurrexit, nobile Præmonſtratenſis familiæ monaſterium. Id Gundebaldus Hennebergi Comes in VVeſerâ, pago amni cognomine, inchoauit: Otto Babenbergę magnâ ſanctimoniâ Epiſcopus, auxit & inſtituit; Henricus Kemenata Fuldenſis Abbas fundum, in quo conderetur, ſed permutatione, dedit. VVilhelmus Comes V. eius nominis, Sodalitio præclaro nobilium equitum illuſtrauit, * quod glorioſæ Dei genitrici, & XIV. Sanctis auxiliaribus, ac in primis S. Chriſtophoro ſacrum, Chriſti anno MCCCCLXXX. Xiſtus IV. Pontificatus ſui anno IX. denique confirmauit. Porrò in monaſterij Baſilicâ lectum aiunt:

VVerra flu.
quaſi Guerra & German. Veruvürren.
Veſſera nobile monaſterium in comitatu Henneberg.
Tantumdem in VVelkerſhauſen à Comite recepit.
** Anno ſalutis 1465.*
Eodem temp. edito libello vulgata Sodality leges.

S. OTTO.

ANNO DOMINI MCXXXV. GODEBALDVS
COMES HVNC LOCVM AD ALTARE
S. PETRI BAMBERG. TRADIDIT.

[a] SVPPLEX LIBELLVS MONACHORVM FVLDENSIVM CAROLO IMPERATORI PORRECTVS.

HÆC QVOQVE COENOBIVM TOTVM FVLDENSE ROGAVIT
AVGVSTVM CAROLVM, IVRA NOVARE SIBI.
QVÆ CVNCTA HONESTA CENSEBAT CÆSAR OPIMVS,
ET VOTVM PRECIBVS IVSSIT INESSE PIIS.

Psalmodia prisca ritus Fuldæ usurpatus.

S. Sturmis fertur pro Diuo cultus.

IN *primis petimus pietatem tuam, Clementissime Imperator, quòd liceat nobis, orationum, psalmodiæ & vigiliarum modū tenere, quem Patres nostri habuerunt, pro amicis nostris viuentibus atque defunctis; id est, quotidianam precem pro te, Domine Auguste, & pro liberis tuis, & pro omni populo Christiano. Quam manè, quando in vnum conuenimus, & Capitulum de Regulâ coram fratribus legebatur, exurgentes post lectionem, ter versum, Deus in adiutorium meum intende, adiuncta Gloria Patri, cantantes, flexis genibus Psal.* L. *cecinimus, simul cum Versibus & Collectâ. In secundâ quoque feriâ vniuscuiusque septimanæ, orationem pro omnibus eleemosynas nobis tribuentibus, id est, eumdem Psalmum* L. *quem tota Congregatio, iuxta corpus B. Martyris simul prostrata, cantauit, cum oratione Dominicâ, & Versibus. Pro defunctis ergo fratribus nostris commemorationem illam, quam quotidie bis habuimus, id est, post matutinam celebrationem & vespertinam, quæ est Antiphona videlicet, Requiem æternam. & prima pars Psalmi: Te decet hymnus Deus. Versus & Collecta. In Kalendis verò omnium mensium, vnam Vigiliam &* L. *Psalmos. Pro Sturmi quoque Abbate, & fundatoribus monasterij istius, in anniuersariâ obitus die, vnam Vigiliam, & vnum Psalterium, per singulos annos.*

Presbyteri sæpè sacrificēt.

Ad ordines qui promouendi.

II. Quòd presbyteris concedatur Missas sæpiùs celebrare, & quòd spatia eis ad hoc dentur, sicut à maioribus nostris dabantur. Quodque illi ad sacrum ordinem eligantur, qui eruditi sint verbo, & sanctâ conuersatione probati: & nec fures, nec scelerati, & qui sacerdotij iuris penitus ignari sunt.

III. Vt

III. Vt Sanctorum honor & festiuitas non detestetur; sed in Vigiliis & Missis eorum digna commemoratio fiat: & quòd in his festiuitatibus, quibus maior veneratio conuenit, fratribus ab opere ad lectiones & psalmodiam vacare liceat, sicut apud maiores nostros licitum est: id est, in festiuitate S. Mariæ, & XII. Apostolorum, S. Stephani & S. Laurentij, & ceterorum, quorum memoriæ apud Ecclesias Germaniæ celebres fiunt: nec non & eorum, quorum corpora in his regionibus habentur. Sanctorum honor. Reg. S. Ben. cap. 48.

IIII. [b] Quòd communicationem fracti panis ante cibum quotidie sumere non respuatur, secundùm exempla præcedentium Patrum. Eulogia.

V. Quòd infirmorum maior cura sit & miseratio, senum videlicet & debilium; neque penuriâ victus affligantur, neque vestitus paupertate conterantur; & nec ineptiis aliquibus vexentur; ita vt nec baculum eis pro sustentatione ferre liceat, nec ad inclinatoriũ, quod nos formulam dicimus, morando [*] hærere: quia cæcus & claudus, non possunt sine sustentatione baculi benè incedere; nec decrepitus, sine formulâ, genua flectere. Hoc rogamus, vt tales propter fastidium de monasterio non eijciantur, ne fortè in cellis sub laicis constituti, sine confessione & necessario vitæ viatico moriantur. Infirmorum & senũ cura. Collat. Abbatũ: *Vt baculi à Monachis pro necessitate ferantur.* [*] *habere.* *Confessio & Viaticum.* Reg. S. Ben. 58. & 59.

VI. Quòd omnibus ad monasterium vitæ huius amore venientibus, pietas congrua impendatur; & nec infirmi, neque seniores, neque delicati duritiâ [*] aufugentur; sed omnes cum misericordiâ suscipiantur; & solatium, quod petierint, honestè infirmitati eorum impertiatur. *Amor & pietas erga monastica vita cupidos.* [*] Alludit ad cap. 48. reg. vbi infirmi & delic. nec violentiâ laborũ opprimãtur, vt effugẽtur.

VII. Quòd nullus ante probationem suscipiatur, neque corpori monasterij societur; ne fortè aliquis magis propter commoda terrena, quàm propter æternæ vitæ amorem, se monasterio sociare voluerit; & receptus, inhonesto suo more conturbet fratres. *Probatio.*

VIII. Vt nullus propter pecuniam vel possessionem terrenam, fictis suasionibus seductus, & blanditiis deceptus, postquam in Monasterium susceptus fuerit, & non habens quod sibi promittebat, tristitiâ & pœnitentiâ sæculi pereat; sed veritas vnicuique ore proferatur, & opere impleatur. *Intentio sincera renuntiantium.*

IX. Quòd nullus vi monachus fieri cogatur, nec ad Clerum tondeatur, siue liber sit siue seruus; quia tales in Monasterium suscepti, auctores sunt scelerum, & executores vitiorum. *Intrusi vitentur.*

X. Quòd victum & vestitum sicut maiores nostri nobis consti- *Victus & habitus.*

S. Sturmis. *tuerunt habere liceat: quia primus Abbas noster Sturmis in monasterio S. Benedicti per annum conuersans, huc posteà rediens, secundùm electionem S. Bonifacij habitum eorum & victum diiudicantis, nobis istum constituit; cuius rei plures adhuc testes supersunt.*

* Ministeriū. Regimen cōmune. *XI. Quod commune * Magisterium à Decanis & Præposito omnibus fratribus fiat; quia hæ diuisiones, quæ modò factæ sunt, occasiones sunt scandalorum, dissensionum & contradictionum. Credimus enim propter pacis charitatisque custodiam expedire, secundùm priorem constitutionem communiter fratribus Decanos omnes constitui, vt communis cura cautelam præbeat, & dilectionem impendat.*

Ædificiorum modus. *XII. Vt ædificia immensa atque superflua, & cetera inutilia opera omittantur; quibus fratres vltra modum fatigantur, & familiæ foris dispereunt; sed omnia iuxta mensuram & discretionem fiant; fratribus quoque secundùm Regulam, certis horis vacare lectioni liceat, & item certis operari.*

Reg. S. Ben. cap. 53. Hospitalitas. * Patrum. Lotio pedum. *XIII. Quòd peregrinorum susceptio & lauatio in eis pedum non negligatur, sed secundùm Regulam, & secundùm* priorum nostrorum consuetudinem, quandocumque venerint, misericorditer suscipiantur, & ab omnibus fratribus lauatio pedum eis exhibeatur.*

XIIII. Quòd hospitalitas antiqua non obliuiscatur, sed omnibus hospitibus congruus honor, & omnis humanitas exhibeatur. Quando autē plures simul aduenerint, vt in Missâ S. Bonifacij, consolatione vndique factâ, ab his qui Cellas prouident, omnibus refectio præbeatur.

Ciuilia negotia extra monasterij septa tractentur. Possessio omnium in commune, sicut & vsus. *XV. Vt priuata negotia, & sæcularia beneficia, & diuisio possessionum atque agrorum in ipso Monasterij loco non fiant; quia inde exoriuntur iurgia, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, inimicitiæ, dissensiones, inuidiæ, furtiuæ comessationes, & ebrietates; & penè omnia mala, & saluti nostræ contraria. Sed omnes agri atque Cellæ in communi omnium fratrum fiant, & omnes homines, qui in eodem Monasterij loco habitant, ab vno vestiario vestitum accipiant, prout Præpositus siue Cellarius dispensauerint; nec mercimonia aliqua ab aliquibus ibi ventilentur, sed sint omnia omnibus communia.*

Officia ac ministeria per religiosos exercenda. *XVI. [c] Vt ipsa Monasterij ministeria per fratres ordinentur, id est, pistrinum, hortus, bratiarium, coquina, agricultura, & cetera ministeria, sicut apud decessores nostros fuerunt; quia deuotiùs & digniùs per fratres omne exercebitur officium, quàm per laicum aut seruum maleuolum.*

XVII. Quòd

XVII. Quòd malitiosæ & furiosæ mentis homines, & ad cuncta flagitia perpetranda promptissimi, non colligantur intra Monasterium, sicut factum est, de illo homicidâ Clerico, qui Monachum interfecit; qui, contra omnium fratrum voluntatem & consensum, locatus est in Monasterio. quia timemus, ne fortè cognati ipsius Monachi, diabolicâ suasione in vltionem eius inflammentur, & homicidium augeatur. quodque ipsi, qui propter scelera sua & improbitates inter sæculares esse non poterant, in vicina Monasterij loca gregatim non collocentur; quia furto monasteria deprædant, & proxima quæque loca latrociniis infestant. Ne sceleratis detur asylum in monasterio vicinisque locis.

XVIII. Quòd ipse Abbas corrigatur, ne institutis S. Bonifacij detrahat, dicens, quòd decreta eius Synodus damnauerit; & quòd Maiores, & cetera Monasteria non reprehendat, quasi regulariter non viuant. Abbas corrigendus.

XIX. [d] Vt crucis gloriatio in singulis diebus Dominicis fiat ante Missam, fratribus omnibus circa vicina quæque loca Monasterij Crucem sequentibus, Hymnos & Antiphonas cantantibus, sicut apud Maiores nostros vsus erat, in diebus Dominicis, Passionis & Resurrectionis Domini gloriam celebrari. Et quòd in diebus ieiuniorum ab Episcopo decretis, Crucem portare, & Litanias facere liceat.* Crux adoranda. * glorificatio

XX. Hoc igitur, quod maximè nobis necessarium esse iudicauimus, præ omnibus optabamus; id est vnitatem & concordiam cum Abbate nostro habere, sicut cum anterioribus nostris Abbatibus habuimus; & misericordiam & familiaritatem, pietatem & modestiam in illo sentire. Et, vt esset benignus infirmis, propitius delinquentibus, affabilis fratribus; mæstorum consolator, laborantium adiutor, beneuolorum auxiliator, benè certantium hortator, lassorum refocillator, cedentium sustentator, cadentium restaurator: omnes fratres amaret, nullum odiret, & nullum zeli vel liuoris dolo persequeretur: fieretque non turbulentus vultu, non anxius animo, non nimius in iudicio, non obstinatus in consilio: sed hilaris facie, lætus mente, discretus in opere, consentiens in vtilitate. Et quando aliquis de fratribus præoccupatus fuerit in aliquo delicto, non statim tyrannicâ vindictâ illum excruciaret, sed misericordi disciplinâ corrigere festinaret; conuersumque clementer susciperet, nec prauâ suspicione denuò illum fatigaret, neque perpetuo odio exterminaret. Abbatis viua effigies exhibetur. Reg. S. Ben. c. 2. 3. & 64.

His & talibus, Domine Imperator, apud priores nostros Abbates

tes

tes vsi sumus; & de hoc istum Abbatem sæpissimè rogauimus, sed vsque in præsentem diem impetrare non potuimus.

NOTÆ.

[a] Libellus supplex hic, quando non à nobis laudatus? redit integer, saluberrimis scatens religiosæ vitæ documentis. Datum facilè recordaris, Ratgario Abbate rerum potiente, qui fortè reformationis obtentu, & disciplinæ melioris, congregationi res nouas moliri visus. Porrò oblatum Carolo, & aliis quoque primoribus communicatum,

Ægil. Abbas per huius libelli preces impetratus.

ob argumenti & negotij magnitudinem, non silet Candidus. Hinc Ægil abbas, reuersus à palatio, cùm recèns à Luduico confirmatus, hospitium Moguntiaci apud venerandum Pontificem Heistolphum

Heistolphus Archiepisc. Mog. hunc libell. agnouit.

haberet, is Ægilem ad muneris æquitatem curamque iis planè verbis erexit, quæ huius libelli vltimo capite leguntur, ita præfatus: *Talem te filiis tuis patrem exhibere contende, qualem tibi & fratribus tuis tecum paulò antè fieri postulabas. Cuius petitionis & optionis exemplar, à vobis hoc modo dictatum ac scriptum Carolo præsignabatur Augusto.* subijcit inde verbatim vltimum membrum libelli.

[b] Ad §. IIII.] De Eulogiâ, quæ & *ἀντίδωρον*, morem eum capio: quæ benedicti panis quædam cõmunicatio. Exprimit eum S. Benedicti Regula capitibus 36.& 37. & Collatio Abbatum Aquisgrani facta, Luduico Pio imperante. vbi decernit, *vt eulogiæ fratribus à presbyteris*

Lib. 2. de ritibus Eccles. cap. 58.

in refectorio dentur. Prolixè eulogiarum ritus exequuntur Stephanus Durantus & Scriptor illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum.

Tom. 3. ad annum 313.

[c] Ad §. XVI.] Idem statuit dicta Collatio sanctorum Abbatum, *vt in coquinâ, in pistrino, & in ceteris artium officinis, propriis manibus operentur.*

Bratiarium.

Bratiarium, quod horridiùs alij Braxatorium fecerunt, populis Franciæ & Germaniæ magnæ, qui Septemtrionem versus Oceanum accolunt, & per Saxoniam ad Flandricum vsque litus se diffundunt, potus illius conficiendi officina, qui ex hordeo fricto, aquato coctoque, velut Cereris vinum indiscriminatim Cereuisia, Ceria, Celia & Zythum ab nonnullis appellatur, siti non magis sedandæ, quàm robori & salubritati quærendæ; præsertim, vbi tritici polline, & lupulo salictario benè temperatur. Ceterùm nomen id à Bratio trahit originem, quod priscis Germanis hordeum de madido torrefactum: polentam appellamus. Cuius licet barbaræ, tamen antiquissimum vocis & potus vsum ex membranis vetustis eruo. Primùm in censu Geysahę, nunc oppidi Fuldensis, omnes simul coloni præbent CCCCXL. modios bracij vel auenæ cum singulis modiis tritici vel siguli. Inde in censu Hamalæ oppidi Saxoniæ præter alia, pendunt LXVI. heminas auenæ, XV. heminas bracij, &c.

Cereuisia.

Plin. natural. hist. libro 22. cap. 25.

Hadr. Iunius animaduers. lib. 2. c. 12. ex professo.

Bratiū aliàs Brasium.

Antiq. dict. MS. Fuldēs.

[d] Ad §. III. & XIX.] Conuentu Francofurtensi, Adriani Pontificis & Magni Caroli ætate, imperitiâ doloq; partium, dum Feliciana hæresis oppugnatur, à Carolini libri scriptoribus, vnà Synodus Nicæna secun-

ſecunda, quæ imaginum cultui fauebat, improuidè reiecta; eoque deflexa calumnia, ceu legitima Synodus latriam imaginibus decreuiſſet, errore magno & præiudicio ſancti probatiq; cultus, adhuc imaginibus impenſi. Huius mox cauſæ ſe tulere ſuffragatores, non obſcuri nominis in Galliâ, Germaniaq; ſcriptores, quos Gabriel Vaſquezius eximius Societatis noſtræ Theologus in libris De cultu adorationis, & Illuſtriſſimus Baronius in anno DCCXCIV. tomo X. notant. Quippe modeſtiæ fines, paucis conſultis, egreſſi, vulgarunt, abrogato cultu ac maiorũ inolitâ veneratione, imagines ſaltem ornatus & inſtructionis cauſâ, in Eccleſiis eſſe retinẽdas; cuius ſcilicet tam irreligioſi ſenſus adſtructor inter alios Hincmarus Rhemenſis Antiſtes, & VValafridus quoque Strabo, fuiſſe perhibẽtur. Nam Francofordienſem alioqui Synodum ab omni quoque facti errore Vaſquezius noſter non ſolùm vindicare, ſed contra multorum opinionem, ſanam etiam de imaginum cultu ſententiam ei tribuere nititur. Verùm Iconomachorum tamen errorem in Galliam & Germaniam vſque penetraſſe, peſtilens Claudij Taurinenſis liber edocuit, quem Pij Luduici fauore Ionas Aurelianenſis feliciter oppugnauit. Cùm ergo cœnobitæ Fuldenſes, ritus ac cæremonias tam laudatas, & Apoſtolicis pares ætatibus eripi ſibi queruntur, nihil certè ſuſpicari habeo aliud, quàm huius tam latè gliſcentis tum erroris præproperum auidumque Ratgarium, ſeu quos alios diſciplinæ cenſores, aliquid hîc imminuere aggreſſos de cultu Sanctorum, neque glorioſæ Cruci paſſos haberi priſtinos honores. Similiter quòd hîc à Synodo quapiam ſcribitur notatus S. Bonifacius, nullam equidem certam reperio, cui hoc imputem; & conijcere incertam, vix iam vacat.

Lib. 1. diſp. 6. c. 1 & diſputat. 7. c. 7. 8. &c.

Diſput. 7. cap. 5. 6.

SAXONES victos à MAGNO CAROLO, gratos in FVLDENSEM congregationem, à quâ fidem Chriſtianam acceperant, extitiſſe, inter innumera alia hoc ſingulare ſpecimen eſto.

Bennith Comes Saxonicus, patre Amalungo natus, cùm Saxonum factionem, patriamque fidei poſthabet, patrem ſecutus, Carolo gratioſus euaſit in paucis. Pater Amalungus, agrum VValdesbech inter VViſaram Fuldamque incolens; terrarum quod ex Buchoniæ ſaltu occupauit, nouando arandoque ad eximium cultum prouexit. Filius heres patre mortuo, Caroli nutu interueniente, patritam hereditatem S. Bonifacio piè legauit; quæ ſoli culti tantum habuit, vt duas in longum, totidem in latum, at circuitu ſex leucas circa Viſurgin ambiret. Id quod notauimus ex ipſis Bennithi codicillis.

Bennith Comes Amalungi F.

Porrò Saxones vario bellorum caſu paſſim à Franco traductos & alienigenis intermiſtos, cùm aliunde claret, tum Fuldenſis Eccleſiæ moribus non eſt in obſcuro, vt docent veterum prædiorum indices. Et in Rorâ, quæ tandem Parthenoni cele-

Saxonum migratio varia.

Colonorum varia conditio.

bri nomen dedit, coluisse eos vnà cum Lidis & Sclauis anteà tradidimus. Ipsi deinde Christiani facti, mirum dictu, quanto liberalitatis certamine se suaque omnia nominatim S. Bonifacio dicarunt: & inter alios, nuper apparuit, quàm sit egregium in hunc locum studium professus Erkanbertus Episcopus.

Erkanbert. Episcop. munificus Fuld. Monast.

Sclauicâ gente victâ deductaque, penitiore Saxoniæ recessu, apud Albim, ex eius generis hominibus huic Ecclesiæ coloni quoque cum agris adscripti. Et luculētum ex Ottonis II. diplomate documentum suppetit, *Adelbertum* Archiepiscopum, *VVerinhario* Abbati cessisse fundis, & omni iure, quod *Magdeburgensis Ecclesia in Australis Thuringiæ prouinciâ, & Comitatibus, Saltzungæ, Cruciburgi, & alibi terrarum obtinebat*; Werinharium vicissim mutuariâ lege, sua migrasse prædia, Frekenlebam, Seekestetam, Arniram, Lembecam, Manesfeldiam, Eislebam, quæ Sclauonicæ familiæ colebant, habitabantque.

CAPVT XIII.

Reliquiarum translationes in Buchoniam, & condita templa.

QVONIAM deinceps Hrabani acta, vt ea Rudulphus litteris consignauit, emittere, aut potiùs in iis huius Ecclesiæ simul omnia ornamenta profundere, & quotquot ab primâ ætate loca decus hîc aliquod obtinuere, eorum origines pandere, propositum est; Luduici Pij Cæsaris donationem, ceu caput, præfigimus, ex quâ, Hrabano qui stimuli ad basilicas nouaque templa condenda ornandaque subiecti, facilè apparebit; cùm multis vndiq; Sanctorum exuuiis huc importatis, cælites ipsos hisce ossium suorum transmigrationibus fauisse non obscurè, ac tot editis quoque prodigiis interuenisse, credere possis. Amplissimus hîc se campus aperit, in quo de Reliquiarum translatione, & acquirendi iure, excùrrere liceat. Sed hoc iam à nobis non agitur. Vt ergo nundinationes in hoc genere, turpisque quæstus & doli mali non vitia tantùm, sed nomina prorsus ipsa detestamur & fugimus; sic à Christianis hîc, quò res multo charissimas sibi compararēt, multa astutè ac solerter

Reliquiarum acquisitiones.

ſolerter excogitata meminimus: quæ ſi ad æquitatis legem reuocemus, verendum, vt lapidem quaſi Lydium, & iuſtæ cenſuræ virgulam ſuſtineant. Et hinc adeò ceu latæ ſententiæ culpâ conſtricto, *pij furis* Leo Pontifex Arnulpho Imperatori dicam impegit; & * alibi, *ſanctas quoque rapinas*, celebrari legimus. Quòd ſi tamen liberiùs in hoc genere quidquam olim peccatum eſt, id ſi non germanæ virtuti, at immodicæ ſaltem Religioni adſcribi, conſuetudo ſuſcepit. Cur autem hæc ſacrorum pignorum tam crebræ tranſlationes, id ætatis, à priuatis etiam hominibus, nuncuparâ vix auctoritate, vſurpatæ ſint, ex Anaſtaſij Bibliothecarij hiſtoriâ id videor argumenti eruere; quòd Roma tunc inteſtinis malis lacera, externis præſidiis deſtituta, Longobardorum ac Saracenorum inſidiis iniuriiſque ſemper oportuna, nedum ad priuatæ rei, ſiue ſacræ ſiue profanæ, ſed ad publicorum etiam vulnerum cladiumque ſenſum occalluerat; & niſi Francorum vindicatâ manu, vix ægrè reſpirabat. Intereà loci, conditoria Martyrum, & conſecratæ Diuis olim memoriæ, abſque cuſtodiâ, curioſorum vtrique & liberiori contrectationi, & interdum rapinis etiam patebant: cuius rei illuſtria documenta Eginhardus ex Magni Caroli Cancellario primus Abbas Seligenſtadienſis, in libris, quos de SS. Marcellini & Petri martyrum tranſlatione ſcripſit, de ſe & Hilduino S. Dionyſij Abbate, prodidit. Quibus in libris Deuſdonam diaconum Romanum, qui iuxta baſilicam beati Petri Apoſtoli AD VINCVLA Romæ domicilium habuit, & Sabbarinum eius familiarem, non ſemel appellat. Vtriuſque, vt in reliquiis tractandis exportandiſque ſollertiam veteres approbent, læti fortè rerum ſucceſſu, eos tamen in re tam ſacrâ, neque optimâ fide, neque caſtè verſatos, qui Eginardum adierit, facilè quiuis intelliget. Sed iidem nihilominùs præclarè induſtrij homines, operam itidem hîc Rhabano impigrè nauarunt; quod ex Rudulphi hiſtoriâ iam nunc manifeſtum euadet: quam quiſquis cum Einardi commentario, qui Tomo ſeptimo Suriano legitur, conferre voluerit, mutuâ operâ maiorem ilicò vtrimque facem allucere ſibi ſentiet. Memorat Anaſtaſius in Leone quarto, quemadmodum ipſe pomœrio Romæ contracto, nouis nouam ciuitatem mœnibus cinxerit, & hanc Leoninæ de ſuo vo-

Baron. in anno 1052. de corpore ſancti Dionyſij diploma.

* Caſſianus collat. 6.

Româ cur hac ætate tam facilis exportatio lipſanorum.

In Pontif. vitis huius ætatis.

Reliquiæ furtim ſubduci ſolitæ.

Deus dona.

Sabbatinus.

Leo quartus condit Leoninam, contracto veteri pomœrio.

eabulum ferre voluerit; atque inde multa corpora Sanctorum, quæ disperſa per vias & inculta eouſque iacuerant, ſummo ſtudio intra mœnia congregarit. Et ſanè in eorum pignorum numero, quæ à Leone tranſlata, compluria hîc inuenias, quorum iam priùs quàm oſſa legerentur per Sabbatinum & Deuſdonam, in Germaniam atque hoc Buchoniæ ſolum, Luduici Imperatoris fauore, adnitente Hrabano, importata ſunt.

PRÆCEPTVM TRADITIONIS DOMNI HLVDVICI IMPERATORIS FACTÆ HRABANO ABBATI SVPER PRÆDIO VRESPRVNGEN.

Regum Christianorũ prouidentia circa Eccleſias & Monaſteria.

IN *nomine Domini & Saluatoris noſtri, Luduicus gratiâ Dei Romanorum Imperator Auguſtus, omnibus ſuis familiaribus & totius regni fidelibus. Quia noſtræ prouidentiæ eſſe ſcimus, non ſolùm regni gubernacula, ſed etiam ſanctæ Eccleſiæ moderamina procurare, & maximè Chriſti fidelium neceſſitatibus deuotè inſeruire: iccircò ea, quæ pro Dei honore & æternæ vitæ amore circa Eccleſias ac Monaſteria ſeruorum Dei agimus, ſilentio obtegere non*

Hluduic. Imperat. vaticinatur de noſtri temporis hæreticis.

Rabanus

audemus; ne ignorantiâ ſuccedentium, ab importunis quibuſlibet infidelibus, fortè, quod abſit, infringatur; & quod nos Deo & Sanctis eius conferimus, ipſi auferant; & per hoc æternam perditionem conquirant. Notum ergo facimus fidelitati veſtræ, quòd fidelis Secretarius noſter Rhabanus venerabilis Abbas ſanctæ Fuldenſis Eccleſiæ,

Hluduici Secretarius.

Rabani ſtudium erga reliquias.

adiit excellentiam Celſitudinis noſtræ, inſinuans nobis curam & ſollicitudinem ſuam, quam circa conquirendas Sanctorum reliquias habet, tam ex Romanâ ciuitate, quàm ex diuerſis ciuitatibus, vbi plurimi Martyres tradiderunt corpora ſua ad ſupplicia, vt mererentur habere perpetuas in cæleſti regno coronas. Rogauit igitur excellentiam Celſitudinis noſtræ, idem vir venerabilis Rhabanus Abbas, vt noſtrâ auctoritate liceret ei legatos ſuos dirigere vbiuis terrarum, & maximè ac

Imperatoris fauor.

præcipuè ad Romanam ciuitatem; & cum litteris noſtræ auctoritatis expoſcere ſacratiſſimos cineres; videlicet ſanctorum Martyrum, ſeu ceterorum orthodoxorum Iuſtorum membra: cui præſtitimus ex noſtrâ libera-

liberalitatis munificentiâ facultatem, vt ex nostræ auctoritatis præceptione scriberet, & mitteret, vbicumque terrarum vellet, propter prædictum negotium sanctarum Reliquiarum; postularetque tam ab Apostolico, quàm à ceteris fidelibus. Unde cùm labor tantæ sedulitatis eius non esset inanis, nuper audiuimus, quia corpus S. Venantij martyris de longinquis terrarum partibus acquisisset, & in Ecclesiâ S. Ioannis Baptistæ honorificentissimè collocasset. *S. Venantij martyris corpus.* *Cuius merita Martyris in Fuldensi Ecclesiâ ex testificatione miraculorum, facta sunt longè latéque celeberrima: accurrunt enim infirmi, & sanantur; dæmoniaci, & liberantur; paralytici, & curantur; cæci, & illuminantur; & ex omnimodâ infirmitate, genus humanum, per gratiam Domini nostri* *Miracula crebra.* IESV *Christi, operâ & intercessione S. Venantij, saluantur. Cuius facti famâ nos ex diuinâ compunctione commoti, gratias agimus Deo & sancto eius martyri Venantio, qui nostris temporibus, in nostris terrarum partibus, visitare dignatus est plebem suam; & ex diuersis necessitatibus & angustiis miseris mortalibus dignatur subuenire.* *Ludouici mirifica pietas erga Sanctos.* *Proinde rogatu & petitione prædicti Secretarij nostri Rhabani Abbatis, offerimus nos Deo & S. Bonifacio, sanctoque martyri Venantio, in præfato S. Ioannis Baptistæ monasterio, quasdam res proprietatis nostræ, hoc est, villam Vresprungen nuncupatam, cum omnibus villulis & viculis, imò cum omnibus appendiciis & pertinentiis suis; item terris, agris, pratis, siluis, campis, pascuis, curtibus, areis, domibus, familiis, aquis, hortis, pomæriis cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, exitibus & reditibus, viis & inuiis, & cum omnibus terminis & finibus suis, totum & integrum tradimus atque donamus; traditumque in perpetuum esse volumus præfato loco, pro animæ nostræ remedio, & piæ memoriæ genitoris nostri Caroli Imperatoris, & omnium parentum nostrorum: hoc conditionaliter statuentes, vt nostri commemoratio inter fratres Fuldensis monasterij eo attentiùs & frequentiùs fiat, quo nostris oblationibus iidem fratres sustentari videntur. Placuit ergo idem donarium nostrum cum nostræ Imperialis dignitatis præceptione munire, & sigillo nostræ Maiestatis insignire. Ex quâ præceptione nostræque auctoritatis indictione decernimus, vt nullus hominum hoc nostrum statutum, atque donarium, irritum facere præsumat; neque aliquis iudex, seu qualibet persona, præfato loco seu colonis eius, aliquam iniuriam seu violentiam inferre præsumat. Data Idus Maij. Fuldæ . . . . .* *Donatio Vresprungen.*

Caput XIV.

Hrabani acta, quæ Rudulphus deſcripſit.

Hoc capite Rudulphus, quem locupletiſſimum ſæpè teſtem vſurpauimus, ipſe loquetur; ventum enim iam ad Fuldenſis velut antiquitatis ſolem & puluerem. Nec tam vitæ Rabani Phœbus hic noſter veſtigia premit, quàm operum, quæ reliquiis transferendis, & inſtruendis Eccleſiis Rabanus ſuſcepit, exequitur ſeriem. quam ob rem huic libro, quem primùm iam luce donamus, geminam quam legis inſcriptionem dedêre. Neque diſtinguere, quod continuauit auctor, in capita par erat; nec operæ, notis vberioribus enucleare res ab aliis & ſæpiùs hîc illuſtratas. Occurrent haud pauca quoque, vulgo incolarum, ſcio, nota loca; & labor inſequens, ſi quid expectabitur ampliùs, à faſtidio pariter & ignoratione non neminem vindicabit. Lucebunt, & faculas etiam obiicient lectori, breuiculis rapti punctis, & adſperſi radij ad oram marginalem. Iam denique, quia Rudulphi ingenio fruimur, qui eius alicubi laudes pænè contriuimus, hîc & iuſta illi ſua perſoluamus.

Annales Francorũ incerti auctoris ex Bibliotheca P. Pithœi.

DCCCLXV. *Ruodolfus Fuldenſis cœnobij presbyter & monachus, qui apud totius pænè Germaniæ partes, doctor egregius & inſignis floruit Hiſtoriographus, & poëta, atque omnium artium nobiliſſimus auctor habebatur,* VIII. *Id. Mar. diem vltimum feliciter clauſit.*

Hermannus Contractus recèns editus tom. I. Antiq. lect.

** Riddoſus ſed mendoſè.*

**Rudolfus Fuldenſis presbyter & monachus, doctor, poëta, & hiſtoricus ſatis doctus,* VIII. *Id. Maij obiit.* At longè his antecellit

Luduicus Luduici Pij F. Rex Germaniæ & Orientalium Francorum:

Luduici regis in Scholaſticos Fuld. liberalitas.

In chartâ donationis, quâ Scholaſticos Fuldenſes proſecutus eſt, Luitulfo, Chriſtano, Heſſoni, Comitibus, ceteriſque fidelibus edicit, *ſe cenſum & regios colonos, & eorum omnem vtilitatem, pro æternæ mercedis augmento concedere cuidam fideli clerico, Oratori & Confeſſori ſuo, Rudulpho videlicet monacho, qui præeſt ſcholaribus in monaſterio S. Bonifacij Fuldæ; velléque fructum ad ceteros item tranſire ſcholaſticos. Datum Fuldæ monaſt.* VI. *Kal. Febr. Indict.* XII.

Rudulphus Luduici Cõcionator & Confeſſarius.

LIBER HRABANI DE RELIQVIIS SANCTORVM.

Ex MS. Ecclef. Fuld. gemino titulo.

VITA RABANI ABB. EDITA A RVDOLFO PRESBYTERO.

SCRIPTORES rerum Ecclefiafticarum, cùm fapienter, tum etiam vtiliter, inftituerunt vitas & facta iuftorum, & fecundùm diuina præcepta viuentium virorum, per litterarum reuelatiônes tradere pofteris. Meritò à fidelibus magnis ideò laudibus extollēdi, quòd non inuidiosè filentes ea prætermiferunt, fed charitate, quæ omnibus prodeffe defiderat, abundantes, ad exemplum rectè viuendi cunctis imitari volentibus, fidei veritate fubnixi, protulerunt. Si enim non ita feciffent, nequaquam fcire potuiffemus, quid fancti Patriarchę, quid Prophetę, quid Apoftoli, quid etiam ceteri fancti Martyres & Confeffores Chrifti gefferint, vel docuerint; quibufque fignis & virtutibus ante vel poft mortem fuam claruerint, nifi ex eorum fcriptis credita & intellecta nofceremus; qui ea non captandæ propriæ laudis intentione protulerunt, fed, vt per eiufmodi exempla, ad emendandos prauos mores humanæ præfumptionis, & ad conlaudandam diuinæ maieftatis potentiam, quorumcumque animos incitarent. Itaque eorum laudabile inftitutum pro modulo meo fequens, facultate quâ valeo, fcribere nitor virtutes & miracula, quæ Deus per Sanctos fuos modernis temporibus facere dignatus eft; quorum facri cineres regionem noftram illati, quotidie fidelibus caufâ falutis exiftunt; credens me non inaniter, imò vtiliter; & mihimetipfi, & multis aliis laborare. Mihi quidem; quia præmium laboris mei cum eis, quos ob laudem Dei in fimili opere fudantes imitatus fum, me habiturum effe, per Dei gratiam *confidens; aliis verò, quia rebus cognitis,

Ecclefiaftica hiftoria elogium.

* confido,

nitis, veneranda Sanctorum ſollennia fideliùs amplectuntur, & maiore mentis deuotione accenſi, in laudem Creatoris ſui lætiùs adſurgunt.

Reliquiarum crebræ ab vrbe Româ in Franciam tranſlationes.

Temporibus igitur Hludowici Imperatoris, qui poſt genitorem ſuum Karolum Magnum Imperatorem per annos ſeptem & viginti Francorum tenuit Imperium, multorum reliquiæ Sanctorum ab vrbe Româ in Franciam delatæ ſunt; quarum aliæ quidem ab eis adductæ ſunt, qui iuſſu dominorum ſuorum, vt id efficerent, Romam profecti ſunt; aliæ verò, per Clericos ſanctæ ſedis Apoſtolicæ & ciues Romanæ vrbis allatæ, vel per viam, quâ ferebantur, vel in locis, quibus ſuſceptæ & conditæ ſunt, multis & magnis miraculorum ſignis, cuius eſſent apud Deum meriti, claruerunt. Conſtat namque reliquias S. Sebaſtiani martyris ab vrbe Româ deuectas; & ab Hilduino Abbate apud Auguſtam * Sueſſionum Galliæ ciuitatem, in eccleſiâ S. Medardi confeſſoris venerabiliter conditas, tantis & tam inauditis omnibus retrò generationibus florere miraculis, vt relatio eorum fidem excederet, niſi certum eſſet omnibus fideliter credentibus, quòd Deus & Dominus noſter IESVS Chriſtus, qui glorioſus eſt in Sanctis ſuis, mirabilis in maieſtatibus, facienſq; prodigia, omnia quæcumque voluerit in cælo & in terrâ, ſine vllâ difficultate poteſt efficere.

S. Sebaſtiani in Sueſſiones. * *Sueſſonum* Einardus de tranſlat. ſanctor. Martt. Marcell. & Petri lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. 1. 3.

Marcellini & Petri, ac aliorum, in Salingunſtat Abbatiam. Einhard. ipſe l. 1. à cap. 10. vſque ad 18. vlt. & lib. 2.

Oſſa quoque BB. martyrum Marcellini & Petri, Proti atque Hyacinthi, cum reliquiis S. Hermetis, non minore miraculorum gloriâ, in diuerſis ſanitatibus infirmantium cotidie fulgent; quæ & ipſa à Româ tranſlata, & ab Einardo Abbate adducta, iuxta Mœnum Germaniæ fluuium, in villâ, quæ priùs *Mülinheim, nunc autem Saligunſtat dicitur, dignâ celebratione à fidelibus venerantur. De quorum tranſlatione ſimul & virtutibus, quas per eas Deus operatus eſt, * quia diligenter memoriæ traditum eſt, hîc dicere omitto. De oſſibus verò Alexandri martyris & aliorum Sanctorum, quorum nomina ſuis locis dicentur, ſcribendum eſſe cenſeo, qualiter, & à quibus, vel ad quæ loca tranſlata ſint: quibuſque ſignis & virtutibus, ſiue in itinere quo ferebantur, ſiue in locis quibus condita ſunt, floruerint, memoriæ tradendum; vt cùm de tranſlatione & miraculis eorum, ſecundùm veritatem geſtorum fuerit ſermo prolatus,

* *Mülenheim vetuſto diplomate Ludouici Py deſcribitur in page Moinegovv, ſuper ripam fluminis Mein.* Extat 3. tom. veteres ſcriptor. Germ. & apud Einhard. dicitur *Mülinheimū vicus.*

* Ab Einhardo cit. quatuor libellis.

latus, quibus in locis à fidelibus veneranda debeant inueniri, per hæc ſcripta valeat agnoſci. In eâ parte Germaniæ, quam Franci, qui dicuntur Orientales, inhabitant, locus eſt ex nomine vicini fluminis Vulda vocatus, ſitus in ſaltu magno, qui moderno tempore ab incolis illarum regionum Bochonia appellatur; quem S. Bonifacius martyr, Legatus in Germaniâ ab Apoſtolicâ ſede directus, & Epiſcopus Magontiacenſis Eccleſiæ ordinatus, quia ſecretus erat, & à populari frequentiâ valdè remotus, impetrauit à Carlmanno Rege Francorum, & cum auctoritate Zachariæ ſanctæ ſedis Apoſtolicæ ſummi Pontificis, monaſterium in eo conſtituit monachorum, anno ante paſſionem ſuam decimo, qui fuit ab Incarnatione Dominicâ quartus & quadrageſimus & ſeptingenteſimus annus. Huic itaque monaſterio quintus à B. Bonifacio præfuit in regimine Hrabanus Abbas & præceptor meus, vir valdè religioſus, & in Scripturis diuinis adprimè eruditus: cuius omne ſtudium fuit in meditatione legis Domini, & in doctrinâ veritatis; curaque maxima, circa diſciplinam monaſticam & profectum diſcipulorum. Mens eius ad ea diſponenda, quæ ad cultum diuinum pertinent, ſemper erat intenta. Quotieſcumque à curis ſæcularibus, quas, prout poſſibile erat, toto niſu declinabat, liber eſſe permittebatur, aut alios ſacris litteris inſtruebat, aut in legendo vel dictando, diuinis Scripturis ſemetipſum paſcebat. Inter hæc, & alia, quibus in oratione, vigiliis, & abſtinentiâ, cæteriſque virtutum titulis formam ſe ſibi ſubditis prębebat, Monaſterium totum domibus apertis, & habitaculis congruentibus, exſtruxit; & Eccleſiam, ex diuerſo metallorum pretioſarumque veſtium genere, pulchrâ varietate decorauit. Per Cellas quoque fratrum ſibi commiſſorum, & per alia loca multa ad ſe pertinentia, in quibus priùs non erant, eccleſias cum permiſſione Epiſcopi ſui conſtruxit; quas collectis vndecumque Sanctorum reliquiis, eorum nomine & honore cōſecrari fecit. Erant etiam per diuerſas prouincias prædia Monaſterio ſubiacentia, partim ex donis Regum, partim ex liberalitate fidelium perſonarum, propter amorem Dei, & venerationem S. martyris Bonifacij, illuc collata: quorum alia quidem per *villicos ordinauit; alia verò, & maximè illa, in quibus eccle-

Fulda & Vulda.
Bochonia.
Monaſterium ibi quando inſtitutum.
Anno DCCXLIV.
Hrabanus Abbas.
Eius encomium.
Occupationes & ſtudia.
Oeconomia.
Eccleſiarum erectiones.
Prædia in Italiam vſq. dilatata.
** laicos*

Adumar Comes.

Alabingus Italiæ dynasta origine Francus.

ſiæ fuerant, presbyteris procuranda atque diſponenda commiſit. E quibus, qui in Italiâ prædium procutabat, quod Adumar quondam Comes S. Bonifacio tradidit, nomine Addo, inde rediens, inter cetera retulir, Alabingum, quemdam potētem in Italiâ virum, mandaſſe Abbati, quòd cuiuſdam ſancti Martyris oſſa vellet ei tranſmittere, ſi congruus ab eo venerationis locus exhiberetur; partemque hereditatis ſuæ, quam in Franciâ, vnde oriundus fuit, habebat, ſolenni donatione loco illi conferre diſponeret, ad deſeruiendum vſibus eorum, qui ibi eſſent ſeruituri. Quibus ille auditis, quia multùm in Domino gauiſus, talium rerum deſiderio non parum mouebatur; abſolutiſq́. celeriter cauſis, propter quas Presbyter venerat, remiſit eum in Italiam, mandans memorato viro Halabingo, in tranſlatione reliquiarum illius Martyris non ſegniter agendum; quin potiùs, propter varios euentus rerum, omni velocitate, vt efficeretur, eſſe feſtinandum. Iam ſe diuinis officiis faciendis baſilicam congruentem habere conſtructam, & omnia parata, quæ ad ſuſceptionem & cultum eiuſcemodi rerum vſus expoſcit. Neque aliquid eſſe ex hac parte impedimenti, quin pollicitationem ſuam, ſi voluntas non defuerit, valeat implere. Cumq́. profectus eſſet Presbyter, vt in Italiam reuerteretur, contigit, vt quidam Diaconus Romanæ Eccleſiæ, nomine Deuſdona, veniret in Franciam, ſpecie quidem, quaſi pro quibuſdam ſuis neceſſitatibus Regis opem imploraturus, re autem verâ, Sanctorum quas ſecum habebat reliquias daturus alicui religioſorum in Franciâ virorum, cuius adiutorio poſſet inopiæ ſuæ aliquod capere ſupplementum. Tranſcenſis igitur Alpium iugis, cùm ad plana & campeſtria deſcendiſſet, in finibus Alamannorum venit ad quamdam villam, quę vocatur Kentibruto, in pago * Zurihgawe, vbi eccleſiam cum Reliquiis ingreſſus cùm benignè à Presbytero ſuſceptus eſſet, dedit ei partem reliquiarum B. Alexandri martyris ſub altare eccleſiæ collocandam. Quo facto, mox quanti apud Deum eſſet meriti, miraculis declarantibus, cœpit oſtendi: audientes enim populi, Sanctorum reliquias eſſe, debiles & ægrotos & variis incommodis afflictos vndique cœperunt adducere, credentes per orationes Sanctorum priſtinam recuperare ſanitatem. Inter quos femina quædam

Addo presbyter Fuld. prædij Italici curator.

Deusdona Diacon. Romanus reliquias S. Alexandri mart. transfert in Alemāniam.

De hoc Eginhartus, lib. 1. & 2. aliquoties, & in fine quarti.

* *Thuribgavve, Turgavv vel Durgovv; notus in Alemanniâ & finibus Helvetiorū tractus.* Adi Ortel. in v. Turegum. Bruſch. in Sangall. Monaſt catalogo, &c.

Miracula apud S. Alexandri reliq. patrata.

dam immundo ſpiritu poſſeſſa, baſilicam introiuit, cumq́ue à Presbytero iuxta morem eccleſiaſticum exorcizaretur, per os illius Dæmon reſpondit, ſi ab eâ fuiſſet eiectus, ſtatim in aliud vas, quod ſibi in eâdem regione conceſſum eſſet, ingredi deberet; & Otmarum quemdam, quem intraturus eſſet, ex nomine deſignans. Ad quem Presbyter, qui non procul habitabat, mox nuntium mittens, iuſſit, vt confeſſione factâ peccatorum, pœnitentiam ageret, ne fortè facinorum ſuorum merito, fieret inimici. Qui præceptis obediens, ad pœnitentiam, quam diabolus ſemper auerſatur, totâ mente confugiens, inſidias euaſit inimici. Dæmon verò, per virtutem S. Martyris ipſâ die eiectus, feminam quam tenebat, ſanæ mentis & incolumem reliquit.

Dæmon expulſus.

Confeſſio peccatorum antidoton cõtra dæmonem.

Item quædam femina, orationis cauſâ veniens ad reliquias Sancti, duas inaures aureas pro munere obtulit ad altare; quas ancilla, quæ in eius obſequio erat, ſuper altare poſitas concupiſcens, cùm inter ceteras mulieres, quæ aduenerant, orationi incumberet, optauit in corde ſuo, vt eas cum iuſtitiâ redemptas, habere potuiſſet. Cumq́ue inter orandum id animo volutaret, mox mirum in modum, aliis ab oratione ſurgentibus, ipſa ſe erigere vllâ arte non potuit; ſed ita, vt ſuper genua ſua orationi incubuit, quodam rigore contracta, permanſit. Interrogata autem à Presbytero cauſam peccati, cuius merito tam ſubitò membrorum contractionem pertuliſſet; vel quid animo gereret, quando in oratione procubuit; reſpondit, nullam ſibi aliam læſionis ſuæ cauſam videri, quàm inaurium illarum concupiſcentiam: cui Presbyter, Si ſancti, inquit, Alexandri voluntas ſit, eas, ſicut deſideraſti, poſſideas; ſurge & tolle eas de altari. Ad cuius vocem, mox illa, ſanitate receptâ, ſurrexit; linteumq́ue, quod circa caput ſuum habuit, ad altare volens offerre, nullo conamine de capite potuit abſtrahere. Quod cùm videret Presbyter, & ex recuperatione ſanitatis intelligeret, puellæ etiam inaures, quas deſiderauerat, diuinitus eſſe conceſſas, datis ei inauribus, ait: Accipe munus, quod deſideraſti; idq́ue tibi gratis à Sancto Dei, non pro temporali pretio, cognoſce eſſe donatum. Illa verò gratias agens Deo, & merita S. Alexandri glorificans, domum cum dominâ ſuâ gaudens reuerſa eſt. Poſteà contigit, quaſdam pauperculas mulieres orandi gratiâ ad ſanctas illas

Inaures ablata Sancto, pœnas exigunt.

Thurichſeo fluuius.

reliquias, deuotâ mente properantes, veniſſe ad fluuium Thurihſeo; cumque non poſſent abſque nauigio tranſire, nec haberent quod pro naulo darent, non enim eis erant niſi quinque tantùm panes ad viaticum; nauta autem cùm vehementer inſtaret, naulum ab eis exigens, tandem obtulerunt ei quatuor panes, vno tantùm ſibi, ob neceſſitatem victus, reſeruato. Sed cùm ille adhuc non acquieuiſſet, dederunt ei & quintum, magis eligentes ad tempus famem moribundi corporis perpeti, quàm victuram perpetuò animam ſanctæ orationis fructu priuare. Recepto autem quinto pane, in alteram amnis ripam feminas miſer ille nauigio tranſpoſuit; aſſumptiſque panibus, ac ceteris, quas ſimili inhumanitate contraxerat rebus, ad propria redire volens, ſubitâ neruorum duritiâ ita diriguit, vt de loco, in quo erat, vllo ſe conamine mouere non poſſet. Stabatque ſtupefactus, ac pauore perculſus cogitare cœpit, vnde ei tanti mali contingeret caſus: tandem, accuſante conſcientiâ, in ſe reuerſus, ſcelus, quod commiſerat, recognoſcit: commiſſique pœnitens, ad Sancti reliquias, quæ iam tunc ab omnibus ferè regionis illius incolis religioſâ veneratione frequentabantur, pro abſolutione ſuâ ire deſiderat; ſtatimque diuinâ miſeratione gradiendi facultatem recipiens, proficiſcitur; Eccleſiam intrat; panes ante altare cum publicâ facinoris ſui confeſſione deponit; quos vt mulieres receperunt, integram ſanitatem adeptus, domum ſuam cum gaudio repetiuit. Item quidam de comitatu Geraldi Comitis, nomine Perahtgarius, filius Theodaldi, iter agens, cùm veniſſet ſecus eccleſiam, in quâ ſancti Martyris poſitæ ſunt reliquiæ, & vellet præterire; admonitus à puero, qui comitatus eſt eum, vt ad ſacras reliquias, cauſâ orationis, paululùm declinaret, reſpondit, ſibi tunc quidem eſſe feſtinandum, propter legationem domini ſui peragendam; tempore verò oportuno ad orationem eſſe veniendum. Inter hæc verba, ſubitò equus, cui ſedebat, inuiſibili potentiâ fixus, ſtabat immobilis; & licet nimiùm calcaribus fatigatus, nullo modo ad ambulandum poterat impelli: vnde factum eſt, vt confuſus, ac pauore perterritus, deſcenderet de equo; & quod priùs equitando facere contempſit, impleuit ambulando. Perrexit igitur ad eccleſiam, & coram reliquiis ſancti Dei Martyris, expletâ

Sanus nauclerus à rigore neruorum liberatur.

Patrocinij ſui immemorem S. Alexander ſe venerari malo cogit.

pletâ ſuppliciter oratione, agrum iuris ſui, qui poſſeſſioni eccleſiæ illius contiguus erat, pro ſalute animæ ſuæ, ſolẽnni donatione ei contulit; ſicque itinere ſuo, quo miſſus fuerat, libero curſu perrexit. Alio quoque tempore contigit, vt vir quidam de Orientalibus Alamanniæ partibûs, cum ſociorum ſuorum comitatu non modico, cauſâ orationis ad prædictas reliquias veniret, portans ſecum donaria, ad ſacrarium Domini offerenda: quæ cùm poſuiſſet ſuper altare, protinus elapſa in terram ceciderunt: factumque eſt, vt tertiò ſuperpoſita, nihilominùs in terram corruerent. Vnde Presbyter, intelligens aliquid ineſſe latentis nequitiæ menti vel actibus offerentis, ait ei, vt ſua tolleret, & ad propria remearet; monuitque eum, circa ſalutem animæ ſuæ eſſe ſollicitum, ac purâ confeſſione & dignis pœnitentiæ fructibus conſcientiã ſuam mundare, quò orationes eius & munera deinceps Deo potuiſſent eſſe placabilia. Erat vir quidam in eâdem regione Sigibaldus nomine, ex cuius ſeruis, inter ceteras multitudines, quæ ad orandum confluebant, vnus ad eccleſiam venit, ſuſceptuſque à germano ſuo eiuſdem eccleſiæ ſeruo, apud eum diebus aliquot manſit: cùm autem reuerteretur, ſubitò in itinere, quo gradiebatur, obmutuit. Qui verò cum eo erant, cognito quod acciderat, duxerunt illum ad dominum ſuum; eique geſtæ rei ordinem per omnia pandebant. Dominus verò ſerui, ſtatim eum remiſit ad eccleſiam; & quia per merita ſancti Martyris Chriſti, recuperata priſtinâ ſanitate, curatus eſt, tradidit eum in loco reliquiarum eius perpetuò ſeruiturum. Multa quidem & alia, in eodem loco diuinitus fieri miracula, à commeantibus, celebri ſermone, nuntiantur; quæ huic operi, ne fortè legentibus faſtidium generarent, inſerere nolui. Hæc autem, quæ commemoraui, in quodam libello inde allato ſuſcepi, & eodem ordine quo ſcripta erant, licet non eis verbis, quia certa eſſe videbantur, inſerui; vt ex his cetera quæ vulgari ſermone referuntur, veraciùs credi, & certiùs valeant ſciri. Supradictus autẽm Diaconus, itinere quo cœperat, in Franciam venit. Ac primùm ſe ad Einhardum contulit, cuius ſuprà mentionem feci, erat enim ei familiaris; deinde commendatis ſub ſignaculo Sanctorum reliquiis, ibi in eccleſiâ SS. Martyrum Marcellini & Petri conſeruandis, Mogontiam profe-

Donaria reſpuit profanorum.

Mutus officium lingua recuperat.

Deuſdona quâ occaſione Fuldam varias reliquias importarit.

Huius aduẽtus ſecundi Deus donæ mentio apud Eginhardũ, lib. 4. c. 26.

profectus est; vbi tunc erat quidam Presbyter, ex Monachis nostris, nomine Theotmar, pro causis quibusdam ab Abbate ad Otgarium Archiepiscopum missus. Is cùm Diaconum vidisset, cognito quòd esset Romanus, percontatus est, ob quam causam tam procul à patriâ peregrè esset profectus. Auditisq. causis itineris, hortari eum cœpit, vt partem reliquiarum, quas se habere confessus est, suo donaret Abbati; sciens se proculdubiò ob id benè ab eo fore remunerandum. Placuit Diacono suadentis consilium; factaque promissione, dimisit Presbyterum, die quâ tunc inter eos conuenerat, ad locum vbi reliquias dimisit, obuiàm ei reuersurum; & si Abbati conuentio eorum placuisset, reliquias suscepturum. Ille autem cum festinatione ad Monasterium reuertens, primùm responsa Archiepiscopi retulit Abbati; deinde, quo modo cum Diacono de reliquiis condictum habuerat, intimauit. Quibus ille auditis, valdè gauisus est; volensque velociter experiri fidem sponsionis, remisit eum, & alterum cum eo Presbyterum ex fratribus nostris, nomine Artharium cum munusculis, sicut promissum erat, Diacono perferendis. Ad cuius hospitium cùm venissent, allatis muneribus, reliquias, quas promiserat, reposcebant. Tum ille; Deliberatum, inquit, habeo, vobiscum pariter ad Monasterium proficisci; & non solùm partem reliquiarum, sicut promisi, sed etiam totum, quod modò habeo, ex omnibus quas ad hanc terram attuli, vestro Abbati offerre; eiusque fidei me cum eis pariter committere. Erat autem eo tempore festiuitas SS. Martyrum Marcellini & Petri; ad quam, quia magna multitudo populi confluxerat, & Diaconus quosdam ex eis apud quos hospitabatur, suspectos habebat; veritus est enim, ne fortè eorum machinationibus, vel fraude, vel violentiâ, reliquias amitteret; visum est eis non priùs loco egredi, quàm transactâ festiuitate populus ad sua remearet. Miseruntque ad Abbatem, Diaconi voluntatem nuntiantes. Ipsi intereà, quæ itineri suo, & subuectioni sanctarum reliquiarum, necessaria videbãtur, parare curabant. Erat etiam non procul ab eis Presbyter vnus ex fratribus nostris, Anthadus præpositus locorum in illis partibus Monasterio subiacentium; cui iniunctum erat, vt statutis temporibus, inde necessaria fratribus administraret. Hunc statue-

Theotmar Fuldẽsis Monachus Moguntiæ viam munit. Otgerius Archiepiscopus Mogunt.

Theotmar & Artharius presbyteri Fuldẽses iussu Hrabani negotiũ translationis Moguntiæ expediũt.

Anthadus Præpositus.

ſtatuerunt accerſiri; quo faciliùs id quod inchoatum habebant, & efficere moliebantur, fraterno roborati conſilio, implere potuiſſent. Qui cùm veniſſet, & populus, finitâ ſolennitate, ex maximâ parte iam receſſiſſet; paratis omnibus quæ itineris eorum vſus poſtulabat, loculum, quo ſanctæ reliquiæ erant conditæ, eleuantes, cum hymnis & laudibus ferre cœperunt; vndique per viam confluentibus populis, & elatâ in excelſum voce diuinas laudes canentibus. Ac ſic iter eorum Domino proſperante, cum turbâ non modicâ, quæ feretrum ſequebatur, die alterâ ad monaſterium venerunt. Fratres autem occurrerunt eis, cum crucibus & cereis, aduentum eorum præſtolante Abbate, in eccleſiâ B. Ioannis Baptiſtæ, quæ erat in itinere eorum, diſtans à Monaſterio Africum verſus quaſi ſtadiis nouem: in quam* pridie Nonas Iunij cum ſacris reliquiis intrantes, populo, qui eos de diuerſis veniens per ſaltum ſecutus eſt, & iam reuerti volebat, orandi, ac vota ſoluendi ſpatium dabant. Quibus peractis, leuantes loculum, ad Monaſterium venerunt; ac baſilicam B. Bonifacij martyris cum laude & lætitiâ ingreſſi, iuxta altare, in parte Meridianâ, feretrum cum ſacris cineribus poſuerunt. Alterâ autem die, Deuſdona Diaconus, & germanus frater illius nomine Theodorus laicus, primo mane cum Abbate ac duobus Presbyteris, quorum ego alter eram, baſilicam ingreſſi, loculum aperuerunt, & ſingulorum oſſa Sanctorum, ſicut in puluinis ſemotim condita fuerant, proferentes, Abbati dederunt: coxam videlicet ac pedem S. Alexandri Papæ & martyris: & brachiũ Feliciſſimi Diaconi: caput S. Concordiæ martyris; ac partem de oſſibus ſanctorum Apoſtolicorum Fauiani atque Vrbani martyrum Chriſti: pedem B. Caſtuli; ac dentem S. Sebaſtiani. De oſſibus SS. Pamphili presbyteri & martyris, Papiæ, Mauri atque Victoris, S. quoque Felicitatis matris VII. filiorum: & ſanctarum virginum ac martyrum Emmerentianæ atque Baſillæ partes non paruas, ſingulis ſacculis ſeorſim conditas. Quas cùm ille venerabiliter ſuſcepiſſet, & cum honore ac reuerentiâ deoſculatas, loculo reconderet, poſt paucos dies, remuneratum Diaconum ac fratrem eius remiſit in patriam, promittentes ſe cum aliis Sanctorum reliquiis, ſi eis vita comes ac diuinus fauor adeſſet, iterùm ad eum eſſe

Pompa trãſlationis.

S. Ioannis eccleſia, vulgò nunc Iohanſberg.

* II. Non. Iunij.

Reliquiarum exhibitio.

Orgarij Archiepisc. auctoritate per Reginbaldũ Suffraganeũ reliquiæ conduntur.

In ecclesiâ nõtu B. Virginis.

esse venturos. Postquam illi reuersi sunt, vt irent in patriam suam, euolutis diebus admodum paucis, memoratus Abbas cum auctoritate Orgarij Archiepiscopi Mogontiacensis Ecclesiæ, per Reginbaldum Corepiscopum eius, ossa sanctorum Martyrum Alexandri & Fabiani cum magno honore intulit in ecclesiam beatæ Dei Genitricis Mariæ, ad Septemtrionalem plagam Monasterij sitam; atque in arcâ saxeâ inclusis eorum plumbeis loculis, ad Orientem altaris collocauit IV. Kalend. Augusti, erigens desuper ligneum ædificium, mechanicâ arte fabricatum, quod argento, & auro, atque lapidibus, pulchrâ varietate decorauit; addens etiam versus, quibus vnde, & quò, & ad quæ loca translati sunt, declaratur, metricâ lege compositos, & litteris aureis scriptos, hoc modo:

PONTIFICES SVMMI ROMA HVC QVOS MISIT HABENDOS,
RECTORES FVERVNT SEDIS APOSTOLICAE.
HOS SERVVS CHRISTI HRABAN SVSCEPIT OVANDO.
ILLORVMQVE OSSA HIC CONDIDIT ET LOCVLO.
LEVITAE ERGO DVO PRAEDICTA EX VRBE SECVTI,
VENERVNT ISTVC, DIGNI ET HONORE SVO.
QVOS IDEM FAMVLVS DOMINI MOX OBVIVS, ASTANS
SVPPLEX ACCEPIT. HICQVE SIMVL POSVIT.
MARTYR ALEXANDER, MARTYR FAVIANVS ET IPSE,
HVC VENERE SIMVL, DOCTOR VTERQVE PIVS.
DISCIPVLI XISTI PAPAE, DIGNIQVE MINISTRI,
FELICISSIMVS HIC AGAPETVSQ. MANET,
OMNES HI PARITER AVLAM HANC SATIS OSSIBVS ORNANT,
VIRGO DEI GENITRIX QVAM DICAT ET MERITIS.
VOS QVOQVE QVI INTRASTIS TEMPLVM, ISTOS CVM PRECE FVSA
PATRONOS VOBIS QVAERITE IN AVXILIVM.

Alia reponuntur in basilicâ primariâ.

Reliquorum verò Sanctorum ossa, qui suprà nominati sunt, in arcâ, quam ad instar arcæ fœderis Dei ex ligno fabricatam, atq. deauratam cum Cherub in *adspectibus suis in basilicâ S. Bonifacij martyris in absidâ Orientali posuerat, donec venerationi eorum locum congruum pararet. Quod & posteà cum diuino adiutorio, quàm celerrimè potuit, deuotus impleuit. Hæc autem

* adfectibus

autem gesta sunt, anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXV. Indictione XIII. regnante Domino nostro IESV Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ann. DCCCXXXV.

Posthæc autem, anno sequente, venit quidam laicus ab vrbe Româ Sabbatinus nomine, cum sociis suis in Franciam ferens, secum reliquias; auditoque nomine suprà memorati Abbatis, cuius deuotionem in diuino seruitio de veneratione Sanctorum longè lateque fama diuulgabat, venit ad eum VIII. Kalend. Maij; deditque illi ossa S. Quirini martyris, qui fuit in Sisciâ vrbe Pannoniæ quondam Episcopus, & ossa B. Romani militis, qui à B. Laurentio baptizatus, statim capitali sententiâ consecutus est martyrium. De corpore S. Cornelij Papæ ossa XIII. & de corpore S. Calisti Papæ ossa X. De corporibus verò SS. Nerei & Achillei ossa XVI. Sancti autem Turturini ossa X. & S. Stactei, de cineribus corporis maximam partem, & ossa X. Ille verò vniuersa hæc venerabiliter susceptа, in arcam, quam suprà sub duobus Cherubim positam diximus, supplici deuotione collocauit. Igitur dum hæc agerentur, Addo Presbyter Abbatis, quem suprà ad Alabingum quemdam pro suscipiendis alicuius Sancti ossibus * Italiam missum fuisse retulimus, corpus B. Venantij martyris in territorio Ariminensis vrbis inuentum sustulit, & in Franciam redire festinauit. Ac primò quidem, propter metum incolarum illud occultè ferebat; deinde verò, postquam Alpium iuga transiit, & in fines Baioariorum peruenit, iam securior effectus, feretro impositum, confluentibus vndique populorum turbis, & excelsâ Deum voce laudantibus, detulit in Cellam quæ vocatur * Suolenhus, in regione Sualaueldoni: & ad Australem plagam altaris Ecclesiæ, in feretro, sicut allatum erat, honorificè posuit. Erat autem eo tempore Præpositus cellæ illius, ex fratribus nostris, nomine Santharatus; qui statim misso nuntio, omnem rei gestæ ordinem mandauit Abbati; rogans sibi renuntiari, vtrum sanctas reliquias eo in loco, vbi tunc erant, permanere voluisset, an sibi ad Monasterium transferri. Omnes enim populi regionis illius hoc petebant, idque summis votis optabant, vt corpus sancti Martyris ibi habere mererentur; cuius opem in diuersis infir-

Sabbatinus Romanus reliquias alias in Fuldensem ditionem importat: huius meminit Einardus l. 4. cap. 25. cui SS. Hermetis, Proti & Hyacinthi, Deus-donæ iussu, reliquias attulit.

Addo presbyter Fuldens. S. Venantij corpus exportat ex Italiâ.

** in*

** Solenhoff. S. Suola Cella de quâ hic 3. libro Antiquitat.*

Santharatus cellæ D. Solæ Præpositus apud se asseruari cupit S. Venãtium.

mitatum ſanitatibus, cottidie ſentiebant. Abbas verò cùm audiſſet, mox de ſuis duos monachos Presbyteros miſit ad prædictum fratrem, præcipiens eis, quantâ potuiſſent celeritate, ſanctas illas reliquias ſibi adferrent. Erat enim iam tunc per omnes pęnè regiones illas celebre nomen S. Venantij martyris, propter virtutes & miracula, quæ Chriſtus Dominus & Rex Martyrum per eum facere dignatus eſt; de quibus, quæ facta ſunt in eodem loco, priuſquam venirent qui ab Abbate miſſi fuerant, paucis arbitror eſſe perſtringenda.

Miracula ope S. Venantij in Solenhoff edita.

Nam, cùm adhuc feretrum cum ſacris oſſibus iuxta altare eſſet poſitum; quædam fœmina de ipſo pago, quæ ante ſex annos oculorum lumen

Femina cæca curatur.

amiſerat, togauit ſe illuc adduci, credens ſibi per merita & orationes S. Venantij Dominum propitiari. Cumque perducta eſſet, & ante feretrum proſtrata ſupplicitet oraſſet; viſum recepit.

Claudus item puer.

Poſthæc altera mulier, filium ſuum ſexennem ex vtero claudum, ante reliquias ſancti Martyris poſuit; & expletâ laude veſpertinâ, ceteris ad ſua regreſſis, ipſa cum puero pernoctauit. Manè autem facto, ſublatum adhuc, ſicut fuerat debilem, domum reportans, in lectulum poſuit, cellariumq́. ſuum, vt puero panem daret, intrauit: à quo cùm fuiſſet egreſſa, filium ſuum, quem claudum in lecto reliquit, cum aliis eiuſdem loci pueris in plateâ ludentem reperit, ita ſanum, vt nec ſignum aliquod in eo priſtinæ debilitatis remaneret. In quo liquidò oſtenditur, quòd ſuffragantibus meritis S. Venantij, puer ille ſanatus ſit per virtutem eius, qui & filium Reguli & puerum Centurionis verbo curauit; & in omni loco præſentiâ ſuæ maieſtatis, quæcumque voluerit, facillimè poteſt efficere, IESVS CHRISTVS Saluator noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Hæc quidem duo miracula, quæ modò retuli, ab eis qui præſentes erant, & ea ſe vidiſſe teſtati ſunt, didici. Cetera verò, quæ ſcripturus ſum, ipſe coràm poſitus vidi: qui ex eis, qui ad perferendos ſacros cineres miſſi fuerant, vnus eram.

Rudulphus à Rabano emiſſus in Solĕhof ad euectionem S. Venantij oculatus teſtis miraculorum.

Igitur cùm veniſſemus ad locum, quem Solenhus vocari ſuprà diximus, paratis celeriter omnibus quæ ad deuectionem ſanctarum reliquiarum neceſſaria videbantur, primâ luce, poſt completum matutinum officium, celebratis ex more Miſſarum ſolenniis, cùm ingenti luctu ac mœrore eorum, qui

ibidem

ibidem erant remansuri, sanctum illum thesaurum sustulimus, atque iter ingressi, portare cœpimus: erat enim cęlum graue nubibus obscurissimis, & quæ citò in ingentem pluuiam resolui possent, nisi id virtus diuina fieri prohiberet. Nam totâ nocte illâ, sine intermissione, pluebat: ita, vt nobis iter illud eâ die inchoari posse minimè videretur: sed superna gratia, per merita Sancti sui, id quod timebatur, longè aliter esse fecit. Nam, vt pergere cœpimus, mox dissipatis nubibus, cæli serenitas venit; & per viam luti parum inuentum est. riui quoque, qui in tam magnâ & iugi pluuiâ, vt eâ nocte erat, crescere solebant, pænè nihil creuisse reperti sunt.

Serenitas inexspectata.

Pergentes autem per singulas villas, obuiis populorum turbis excipiebamur; qui nos in dicendis laudibus diuinis, & sacro onere ferendo, non segniter adiuuabant, donec veniremus in locum, qui vocatur Holtzkiricha, sitũ in Alamanniâ; vbi congregatâ maximâ multitudine promiscui sexus & ætatis, cum ingenti lætitiâ suscepti sumus.

Applausus populorum in trãsuectione.

Holtzkiricha Monasteriũ S. Xisti tractus Franconici dicti VValdsaz.

Erat autem ibi oratorium non grande, quod intrare, & feretrum inferre volentes, præ multitudine turbarum, quæ præibant & quæ sequebantur, minimè potuimus; ac per hoc sub diuo, in loco editiore, altari erecto, ac feretro iuxta illud posito, rursus Missarum solennia celebrauimus. Vbi inter celebrandum duæ mulieres, spiritibus immundis obsessæ, vexari cœperunt: & mox per virtutem Christi, ac merita S. Venantij, fugatis dæmonibus, integerrimam mentis & corporis meruerunt recipere sanitatem.

Istic dæmones ab obsessis excluduntur.

Expletâ autem Missarum celebratione, cùm populus ad sua reuertisset, oratorium, quod vicinum erat, sanctos cineres intulimus, ac feretrum ponè altare posuimus; ordinatis qui ibi excubias ducerent, atque diuinis laudibus dicendis operam darent, ipsi nos in hospitium recepimus. In ipsâ autem nocte, cùm ad nocturnas vigilias diuinæ laudes dicerẽtur, quædam mulier muta, per merita sancti Martyris, soluto linguæ vinculo, loquelam recepit.

Muta vsum linguæ recuperat.

Nec multo pòst altera mulier spiritu immundo possessa, & brachium habens aridum, per orationes sancti Martyris, eiecto dęmonio, ita perfectè corpore & mente sanata est, vt die crastinâ, feretrum ipsa cum ceteris portaret.

Arida debiliaq́; membra sanantur.

Manè autem facto, cùm Missarum solennia agerentur, quædam mulier, quæ tribus semis annis cæca fuerat,

rat, visum recepit. Et altera, dextram manum habens debilem, per merita Sancti, consecuta est integram sanitatem. Cùm autem inde promouere parassemus, & in ipso profectionis nostræ articulo, solenniter à Sacerdote diceretur oratio; vnus ex Clericis qui nobiscum erant, nomine Otheri, cui suscipiendorum munerum, quæ à populo offerebantur, cura commissa fuerat, partem quamdam allatæ pecuniæ * fraudans, subitò cecidit, & in conspectu totius multitudinis, quæ innumerabilis vndique confluxerat, spiritui traditus immundo, vexari cœpit: & eousque à dæmonio possessus est, donec à circumstantibus allatâ pecuniâ, quam in zonâ absconderat, per merita & orationes sancti Dei Martyris tam perfectè curatus est, vt ab eodem loco incolumis, cum laude Dei, & publicâ sceleris sui confessione, feretrum comitaretur, donec loco suo reliquiæ sanctæ conderentur. Neque enim priùs aliquid huiuscemodi insaniæ, ab infantiâ vsque ad tempus illud, in eo auditum aut visum est. Sed nec posteà, quamdiu vixit, potestas in eum data est inimico. Igitur inde profecti, venimus in villam quæ vocatur Truhtmuntiga, vbi iuxta sacros cineres in ecclesiâ positos, quatuor mulieres in ipsâ nocte ab immundis spiritibus liberatæ sunt. Nec prætereundum esse arbitror miraculum, quod meritò huic Sancto Dei adscribitur; antequam enim ad prædictam villam ventum esset, quædam matrona nobilis, audito quòd per regionem illam Sancti Dei reliquiæ veherentur; erat enim in viâ, ad alium quemdam locum ire volens; relicto quo tendebat itinere, obuiàm nobis properauit, fibulamque suam auream, quam linguâ Francorum spangam vocant, in ipso transitu perdidit: quam cùm diu cum omni comitatu suo, qui erat non modicus, quæreret, & minimè reperiret, cœptum iter carpebat, dicens: Si Domino nostro Iesv Christo placet, cuius sancti famuli reliquiis supplex occurri, fibula, quam perdidi, facile est, vt à quolibet inuenta, mihi restituatur. Venit ergo, & adoratis reliquiis, oblatisque muneribus, cùm rediret, occurrit ei quidam homo ignotus, eamdem fibulam præ se ferens in manu: quam cùm illa suam fore dixisset; Recipe, inquit, quia per orationes Sancti, cuius reliquias venerata es, reddita est tibi. Atque ita mulier, accepto quod suum erat, itinere suo pergebat,

Clericus peculator punitur & liberatur.

* fraudatus,

Truchtmüd.

Nobilis matrona in cultu Martyris amissam fibulam mirabiliter recipit.

bat, laudans & benedicens Deum. Altero autem die, celebratis primo mane Missarum solenniis, cum sanctis cineribus iter ingressi, venimus in locum, qui vocatur Hassarodt, in quo monasterium est Monachorum, qui egressi cum crucibus & capsis Sanctorum reliquias continentibus, diuinas laudes concinentes, ex illâ parte fluminis aduentum nostrum expectabant. Nos verò, cùm venissemus ad pontem fluminis, propter multitudinem, quæ ab Alamanniâ nobiscum venerat, & iam redire volebat, vt orandi locum haberet, parumper constitimus; in quo loco, ex accolis regionis illius, non minima pars populi è diuerso nobis occurrit. Inter quos, femina quædam vellus lanæ ferens, cùm manum ad feretrum munus oblatura extenderet, lana, quam tenebat, velut fumus euanuit. Quod cùm vidisset, illa pauens ac tremens, cœpit quærere Presbyterum, cui peccatorum suorum confessionem daret, consiliumq́. suæ salutis acciperet. Interrogata autem, si lana quæ de manibus eius euanuit, esset furtiua, confessa est, non à se furatam, sed à quadam sociâ suâ sibi fuisse donatam. Cumq́ue res diligenti inquisitione vestigaretur, inuentum est, quòd ouis, à quâ vellus illud sumptum erat, proprio possessori fuit fraude sublata. Ibi quidem turba illa, quæ nos, vt diximus, ab Alamanniâ prosecuta est, adoratis atque osculatis sacris reliquiis, domum reuersa est. Monachi verò, qui nos in alterâ fluminis ripâ opperiebātur, & alia multitudo quæ nobis ibi occurrit, comitati sunt nos cum diuinis laudibus, vsque ad eum locum, in quo simili modo ab aliis occurrentibus excipiebamur. quæ tunc similiter, vt prior, factâ oratione, ad sua reuersa est. Hoc modo per singulos dies, à manè vsque ad vesperam, comitantibus nos & Kyrie eleison cantantibus populorum turbis, cum ingenti gaudio gradiebamur. Cùm autem appropinquassemus villæ, quæ vocatur Hamalunburg, sita super fluuium nomine Sala, quæ fuit quondam fiscus regius, donec ex largitate Pipini Regis Francorum, partibus S. Bonifacij martyris, solenni donatione collata est, occurrerunt nobis cum cereis & crucibus fratres nostri, qui habitabant in Cellâ, quæ ob hoc quòd ab eo quondam est habitata, Baugulfi vocatur; & cum eis ingens multitudo virorum ac mulierum, ex diuersis locis vndique confluentium.

Hassarodt Monasteriū.

Lana Sancto oblata euanescit, quia ex furto.

Confessionis secreta vsus.

Mos honorādi & agminatim publicâ viâ prosequendi excipiendiq́, reliquias.

Hamalunburgi veteris descriptio.

Baugulfi Cella.

 Inter

Claudus gressui restitutus.

Inter quos erat claudus quidam, de ipsâ villâ quam suprà nominaui, qui propter cruris ac pedis vnius imbecillitatem, duobus se baculis ad incedendum sustentabat. Is, nobis paululùm consistentibus, vt populus qui occurrit, sacras reliquias adoraret, in conspectu multitudinis per merita sancti Martyris, tam perfectè curatus est, vt vltrà in ambulando baculorum adminiculo non egeret. Cùm autem pergentibus nobis, & sacrum onus ferentibus, ventum esset ad fluuium, inuenimus Abbatem nostrum, cum Sacerdotibus ac Monachis, & magnâ multitudine hominum in alterâ ripâ fluminis, aduentum nostrum expectantem. Erat quidem ibi transitui nostro nauis parata, sed non in apto loco ad terram subducta; iccircò præceptum est nautis, vt eam nobis obuiam ducerent, qui longè sursum ab eo loco ad litus venimus. Illis verò festinantibus, vt iussa explerent, cùm funem soluissent, & in nauem descendere parassent, subitò è manibus eorum lapsa in amnem, vi quadam inuisibili contra impetum fluminis acta ferebatur, donec ad locum quo sacrum onus susceptura erat, litori adplicita, peruênit. Transpositis autem reliquiis, & in prato adiacente Missarum solenniis propter multitudinem sub diuo celebratis, cùm in oratorium, quod in villâ erat, feretrum cum sacris cineribus poneremus, mulier quædam neruorum contractione ita curuata, vt penitus ad videndum cælum se erigere non posset, cunctis qui aderant videntibus, coram Sancti Dei reliquiis, ab incommodo, quo iam per multos annos laborabat, in momento temporis virtute diuinâ liberata est. Posterâ die inde profecti, venimus in locum vocabulo Lihtoluesbach, qui est in saltu Buconiâ, quatuor leucis distans à Vuldensi cœnobio, vbi suscepti ab accolis siluæ, quorum magna multitudo obuiàm venerat, cùm in oratorio feretrum posuissemus, quædam mulier paupercula, filium suum sexennem à natiuitate surdum & mutum in vlnis ferens, ante Sancti reliquias posuit, ibique pernoctans, die crastinâ, vt populi dicebant, audientem & loquentem reportauit. Nos verò completis Matutinarum laudibus, Missarumque solenniis ritè peractis, cum populis diuinas laudes concinentibus iter ingressi, cùm venissemus ad conspectum Monasterij, ecce Abbas noster, qui nos pridie præcessit,

Nauis aduerso amne properat excepturа reliquias.

Missa sub dio celebrata.

Mulier rigore corporis incurua erigitur.

Lichtesbach.

Surdus idem & mutus puer restituitur.

Occursus congregationis reliquiis obuia.

cessit, ad ordinandam susceptionem sanctarum reliquiarum, obuiàm venit; & cum eo omnis multitudo fratrum nostrorum, exceptis quos vel ætas vel infirmitas exire prohibuit, cum crucibus & cereis portantes in loculis ossa beatorum martyrum Vrbani & Quirini, quæ de Româ nuper allata suprà memoraui. Erat etiam cum eis & Reginbaldus Corepiscopus, & infinita hominum multitudo: quippe propter Litanias maiores, quæ tunc Idibus Maij mensis, de diuersis locis ad Monasterium conuenerant. Cumque suppliciter adorassent, cum summâ veneratione, susceptum corpus B. Venantij martyris, ecclesiam S. Ioannis Baptistæ, quæ distat, vt præfatus sum, à Monasterio quasi stadiis nouem, cum hymnis & laudibus intulerunt: quod Reginbaldus Corepiscopus, factâ oratione, in absidâ ecclesiæ ad Orientem altaris in arcâ saxeâ condidit; cineresque sanctorum martyrum Vrbani & Quirini pariter adposuit, singulos seorsim in singulis loculis inclusos. Vbi orationibus eorum fideliter Deum deprecantibus, beneficia præstantur vsque in præsentem diem; ad laudem & gloriam Domini nostri IESV Christi, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Abbas verò desuper ligneum erexit ædificium, quod ex auro & argento decenter ornauit, scriptis in circuitu metricis versibus, gestæ rei causam declarantibus, hoc modo:

Litaniæ maiores quâ frequentiâ Fuldæ olim celebratæ.

Reginbaldus Magontiac. Suffraganeus S. Venantium condit in ecclesiâ montis S. Ioannis, cum SS. Vrbani & Quirini cinerib⁹.

PRAECVRSOR DOMINI CHRISTVM QVI TINXERAT VNDIS,
HANC AVLAM INHABITAT SANCTIFICATQ. DOMVM.
QVATVOR HANCQ. VIRI CHRISTI MAGNALIA SCRIPTIS,
QVI TVM EXPRESSERVNT, ECCE COLVNT PARITER.
SED HOMINES SANCTI, VALDE ET SACRO ORDINE CLARI,
NON MINVS EXALTANT NOBILITANTQVE LOCVM.
QVOS HVC DIVERSIS DVXIT EX PARTIBVS ORBIS
SERVORVM DOMINI STRENVVS ACTVS AMOR.
VRBANVM ROMA, QVIRINVM SISCIA MISIT:
QVOS PIE SVSCIPIENS CONTINET ISTE LOCVS.
INSIGNIS PRAESVL SANCTVS VENANTIVS ATQVE
DE ARIMINO VENIENS HIC SIMVL IPSE MANET.
HOS QVOQVE SVSCEPTOS HRABANVS SORTE LOCAVIT
SARCOFAGO HOC: DIGNE EDIDIT ET TITVLVM,

DEPO-

DEPOSCENS OMNES TEMPLVM QVI GRESSIBVS INTRENT,
IPSVM VT COMMENDENT RITE DEO PRECIBVS.

Felix Clericus Italicus, Theodorus & Sabbatinus Romani varias Sanctorũ huc inferunt reliquias.

Lunisonem sæpè Einardus citat Deus-donæ fratrem.

S. Quirini ossa.

S. Vrbani.

S. Cæciliæ.

SS. Tiburtij & Valeriani ac Maximi.

Zenonis & Hippolyti.

Posthæc allatæ sunt ei reliquiæ sanctorum Episcoporum Cornelij atque Calisti; & sanctorum Martyrum Agapiti, Georgij, Vincentij & Maximi: sanctarum quoque Virginum Cæciliæ & Eugeniæ, Dignæ & Emeritæ atque Columbanæ. Attulit autem eas quidã Clericus Italicus, nomine Felix, anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXVIII. die quinto mensis Aprilis; post cuius reditum, non multis diebus interpositis, Theodorus frater Deusdonæ, cuius suprà mentio facta est, cum quodam socio suo Sabbatino, ab vrbe Româ profectus Alamanniam venit; & sicut dudum promiserat Abbati, Sãctorum reliquias secum detulit: ossa videlicet S. Quirini, qui in Sisciâ Pannoniarum oppido quondam Episcopus erat, & temporibus Diocletiani Imperatoris, sub Amantio Præside, inter multas quas pro Christi nomine pertulit passiones, ligatâ ad collum molâ, in flumen præcipitatus est: cumque diutissimè super vndas nataret, cum spectantibus locutus est, ne suo terrerentur exemplo, & vix oratione à Domino, vt mergeretur, obtinuit. Cuius corpus inuentum, & à fidelibus honorificè sepultum est II. Non. Iun. Incursione autem barbarorum in partes factâ Pannoniæ, populus Christianus, accepto corpore B. Quirini martyris, Romam fugit, & sacras reliquias, viâ Appiâ milliario tertio, in ecclesiâ Apostolorum Petri & Pauli, vbi aliquamdiu iacuerunt, sepeliuit in loco, qui dicitur Catacumbas. Detulit item & reliquias Vrbani Papæ & confessoris, cuius doctrinâ suo tempore multi coronati sunt martyrio. Ossa quoque S. Cæciliæ virginis, quæ sponsum suum fratremque eius Christo lucrata, Martyres fecit: & ipsa deinde martyrizata, ignem quidem superãs, sed ferro occisa, sub Almachio Vrbis Præfecto. Nec non & ossa SS. Tiburtij & Valeriani atque Maximi, quorum primi quidem sub prædicto Almachio Vrbis Præfecto fustibus cæsi & gladio sunt percussi; vltimus verò tamdiu plumbatis verberatus est, donec redderet spiritum. Attulit quoque ossa SS. Agapiti, Ianuarij & Magni, Diaconorum B. Xisti Papæ, qui cum eo sub Decio decollati sunt, sicut in gestis Pontificalibus legitur. Zenonis quoque Diaconi & Hippolyti martyris ossa, qui

tempore Decij Imperatoris, ligatus pedes ad colla indomitorum equorum,& per cardetum tractus,emisit spiritum. Aquilæ etiam atq. Priscillæ, vt Actus Apostolorum testantur,quondam comitum Pauli, sacrosanctas reliquias detulit: de quibus per viam, quâ ferebantur,magnum atque inauditum contigit miraculum.Vero enim cruore visæ sunt maduisse: nam tantus humor sanguinei coloris de loculo, in quo conditæ fuerant, distillauit, vt vestes quoque portantium inficeret, mentesque spectantium rei nouitate percelleret. Igitur, cùm venissent, suscepit eos Santhratus frater noster,quem Cellulæ Suolonis præpositum fuisse suprà diximus: & aduentum quidem eorum, cum celeritate nuntiare curauit Abbati, reliquias verò in loco, qui vocatur Holtzkiricha,honorificè collocauit, Sabbato sancto Pentecoste v. Kal. Iun. Conuenit autem illuc multitudo magna virorum ac mulierum, inter quos adducta est puella quædam duodennis,à natiuitate cæca,& brachiis cruribusque contracta; quæ per merita & orationes in ipsis vigiliis,& sanitatem membrorum,& vsum recepit oculorum. Inde post dies duos,vel tres,mulier quædam cæca visum recepit; & hominis cuiusdam à natiuitate muta ad loquendum lingua restituta est. Posthæc die tertiâ, quædam mulier tribus continuis annis nihil videns,per merita Sanctorum lumen recipere meruit: & sequenti die,alterius mulieris manus contracta, pristinæ restituta est sanitati. Igitur, dum talia apud reliquias Sanctorum diuinitus agerentur, venerunt, qui ab Abbate missi fuerant, ex Monachis nostris Presbyteri tres, quorum vnus vocabatur Megingoz,alter Oedolfus dicebatur, tertius autem Theotmarus erat, idem cuius feci mentionem in translatione reliquiarum B.Martyris Alexandri; qui secundùm mandatum quod habebant,acceptis Sanctorum ossibus,quæ allata fuerant,cum honore & reuerentiâ ferre cœperunt. Comitata est autem eos multitudo magna virorum ac mulierum psallentium, & diuinas laudes gratulabundâ voce canentium. De pagis quoque,& de villis, certatim populi confluxerunt, adducentes secum spiritibus immundis obsessos; & diuersis infirmitatum generibus afflictos; credentes, per merita & orationes Sanctorum desideratam recipere sanitatem. Inter quos adducta est

Aquila & Priscilla.

Ex quorum ossibus cruor distillat.

Inferuntur primùm in Cellâ S. Suolonis vel Sola.

Inde Holtzkiricham.

Cæca & māca mirè conualescit; aliaq́ miracula exhibentur.

Presbyteri monachi tres obuiàm missi reliquiis.

Hos multitudo consequitur alacris.

mulier dæmoniaca, nomine Hruodmuui, erat enim de potestate S. Kiliani martyris, habitans in villâ, quæ vocatur Aschbah. Mox igitur vt peruenit ad conspectum loculi, quo Sanctorum reliquiæ ferebantur, arrepta ab immundo spiritu, diu multumque torquebatur, donec per Dei gratiam in conspectu multitudinis tam perfectè curata est, vt deinceps incolumis & sanæ mentis, in Dei laudibus perseueraret, quæ priùs frequenter huiusmodi incommodo laborare solebat. Hoc quidem gestum est VI. feriâ XIV. Kalendarum Augustarum. Abbas verò circa honorem Sanctorum magnam gerens sollicitudinem, me & quosdam fratribus obuiàm misit, præcipiens, vt ossa sanctorum martyrum Ianuarij & Magni dimitterentur in monasteriolo, quod vocatur Holtzkiricha, situm in prouinciâ Waldsazi; ceterorum verò Sanctorum reliquiæ ad se ducerentur. Occurrimus autem eis in villâ, quæ dicitur Biscofesheim, vbi in Dei laudibus pernoctantes, & excubias ducentes, alterâ die, quæ erat Dominica, ad Holtzkiricham cum sanctis reliquiis peruenimus; positoque in ecclesiâ iuxta altare feretro, cùm sacra Missarum solennia celebrarentur, mulier quædam à dæmonio curata est; nam cùm miserabiliter in conspectu populi cruciaretur, musca nigerrima & miræ magnitudinis, ab ore eius visa est auolare; post cuius egressum, receptâ mentis sanitate, curata est. Sequente autem die, relictis ibi, vt præceptum erat, ossibus sanctorum martyrum Ianuarij & Magni, atque in loculo, sicuti allata fuerant, ponè altare venerabiliter positis, cum ceteris Sanctorum reliquiis profecti sumus, prosequentibus nos fratribus, & magnâ multitudine hominum regionis illius. Vndique etiam ducebantur infirmi, & variis passionibus affecti; inter quos puella quædam nomine Selina, in ipso itinere, quo gradiebamur, arrepta à dæmonio, cucurrit, & morsu feretrum adprehendens, mox sanæ mentis effecta est: acceptoque sanctæ crucis vexillo, gaudens & laudans Deum, Sanctorum reliquias præcedebat. Cumque venissemus ad Mœnum fluuium, Sanctimoniales de Monasterio, quod vocatur Zellinga, cum crucibus & cereis egressæ nos susceperunt. Ingressique cum sacro onere in ecclesiam, vt populus, qui nobiscum venerat, & iam tunc reuerti volebat, locum haberet orandi, ac vota soluen-

Potestas S. Kiliani pro ditione Frãconici soli.

Dæmoniaca vindicatur ab insessore.

Holtzkiricha ornatur reliquiis SS. Magni & Ianuary.

Biscofesheim villa.

Dæmon muscæ forma abigitur.

Selina à dæmone liberatur.

Zellinga monasterium monialium.

ſoluendi, ſextâ horâ diei ſolennia celebrauimus. quibus expletis, cum omni illâ multitudine venimus ad nauem. Erat etiam ex aduerſo, in alterâ ripâ fluminis turba non modica aduentum noſtrum opperiens. Nobis autem cum ſacris oſſibus nauem adſcendentibus, ecce ancilla quædam Mahthildæ Abbatiſſæ Monaſterij illius, nomine Liobſuind, morbo contracta vetuſto, & humo ita adclinis, vt ad videndum cælum nequaquam ſe erigere valeret, venit, reptans pedibus & manibus ſcamnellis innixis, cumque nauem vellet adſcendere, nec poſſet, vnus ex noſtris fratribus, nomine Goxmundus, eleuatam poſuit in nauem. Tranſpoſitis autem nobis, & in litus alterum cum ſacris reliquiis egreſſis, mox mirum in modum, per virtutem Dei & merita Sanctorum mulier ita curata eſt, vt ſine cuiuſpiam adiutorio ſe erigeret, & *ſcammelis, quibus eatenus innitebatur, ſummitatem feretri tangeret. Stabat etiam adhuc innumerabilis multitudo promiſcui ſexus & ætatis, ex vtraque parte fluminis, inter quos erat Reginolfus quidam Presbyter Humberti Epiſcopi; qui adſcenſo editiore loco, mulierem ſanam, populis in diuinâ laude clamantibus oſtendit; vt geſti miraculi multi teſtes, multi Dei fierent laudatores. Sed & domina illius atteſtata eſt, ex multis annis illo morbo contractam illam & inutilem effectam vſque ad id temporis perſeueraſſe, quo per Dei gratiam, & Sanctorum eius orationes, ab eiuſmodi incommodo liberata eſt. Inde profecti cum diuino adiutorio, die tertiâ, hoc eſt VIII. Kalend. Auguſti, ad Monaſterium peruenimus. Egreſſi autem fratres, cum crucibus atque cereis occurrerunt nobis in cliuo montis, qui vocatur Hurodleicheſberg; turba autem non modica ex accolis eremi, partim quidem nobiſcum, partim verò obuiàm veniens, illuc confluxerat. Subſtitimus paululùm, vt conuenientibus ſpatium daretur orandi: & ecce mulier quædam, quæ erat ab annis x. & eo ampliùs clinica, portabatur; cumque perlata à portantibus feretrum tetigiſſet, continuò, receptâ omnium ſanitate membrorum, gaudens & laudans Deum, remauit ad propria. Fratres verò, ſuſceptas Sanctorum reliquias cum hymnis & laudibus in eccleſiam B. Bonifacij martyris intulerunt; poſitaſque cum loculo, ſicut allatæ fuerant, iuxta altare BB. Apoſtolorum, die noctu-

Machthilde Abbatiſſæ Zellingenſis famula curatur.

**Scammela, ſchimmel Teuton. vox. fortè ſcamnulis.*

Reliquiarũ quæ veneratio olim per occurſus Monachorum.

Clinica ſanatur.

Humbertus Episcopus VVirzburg. Hrabani inuitatu Sanctorum ossa tumulat in Holtzkirch.

noctuque, congruâ veneratione frequentabant. His ita gestis, cùm dies aliquanti transissent, vir venerabilis HRABANVS Abbas, Humbertum Wirziburgensis Ecclesiæ Episcopum, inuitauit ad Monasterium, quod Holtzkiricha vocari iam suprà dictum est. Et quia ad eius diœcesin locus pertinebat, cum illius auctoritate ossa SS. Martyrum Ianuarij & Magni, venerabiliter ibi in arcâ saxeâ, ad Oriẽtem altaris collocauit, VIII. Kalend. Nouemb. super quam ligneum erigens ædificium, auri argentique metallo, pulchrâ varietate decorauit, scriptis in circuitu metricis versibus, litteris deauratis, hoc modo:

ECCE VIROS ISTOS PRAECLAROS VALDE PATRONOS,
ROMA DECVS ORBIS MISERAT HVC PARITER.
QVOS QVOQ. HRABANVS HVMILIS SVSCEPERAT ABBAS,
PRAESVLE CVM HVMBERTO RITE LOCAVIT ET HIC.
HIC MAGNVS PAVSAT, MARTYR IANVARIVS ATQVE:
OFFICIO INSIGNES ATQVE SACRIS MERITIS.
QVI CVM PONTIFICE XISTO MVCRONE PEREMPTI,
LEVITAE CAELO REDDIDERANT ANIMAS.

SS. Magni & Ianuarij miracula frequentantur in Holtzkirichâ.

Igitur ex eo tempore, quo eorum sacræ reliquiæ ibi conditæ sunt, diuina vsque hodie populis præbentur beneficia. Per orationes enim & merita eorum, debiles & infirmi curantur, & ab obsessis corporibus dæmones effugantur, ac desiderata fideliter orantibus vota præstantur. Ex quibus pauca miracula, quæ ab his qui præsentes erant, & ea se vidisse testati sunt, ad meam notitiam litteris denotata, breuiter intimare curaui. Villa est ab eo Monasterio passibus mille distans ad Meridiem, nomine Gundichenhus; ex quâ mulier quædam, nomine Adelburg, cùm sedisset ad mensam cum marito suo, & cibum caperet, subitâ contractione neruorum ita diriguit, vt vnguibus in palmam defixis, nequaquam digitum à digito potuisset explicare: quod cernens eius maritus, quantâ potuit celeritate, prædictam ad Monasterium, Presbyteris & fratribus loci illius præsentauit, supplicans, vt pro sanitate illius diuinam clementiam precarentur. Ducta est igitur ad memoriam Martyrum; fratribusque vespertinum celebrantibus officium, & illâ coram altari prostratâ & orante, dextera manus restituta est: alterâ autem die, circa horam tertiam, receptâ etiam sinistræ manus sanitate, cum

Mulier contracta sanitatem recipit.

cum gaudio remeauit ad propria. Altera quoq. villa eſt etiam non longè ab eodem Monaſterio, nomine Hohhus; in quâ puella quædam, cùm ſtaret ad textrinum opus, ſubitaneo impetu ſpiritus maligni arrepta, manibuſque contractis, inutilis effecta eſt; cumq. per continuos tres dies ac tres noctes æſtuans & vociferans, multa ignota quaſi cognita loqueretur, S. Gerdrudam appellabat, aliorumque Sanctorum nomina proclamabat. Inter cetera quoque affirmabat, Luciam de cęlis deſcendentem ſe admonere, vt ad S. Ianuarium Magnumque martyres properaret; aiebatque ſemper dictos Sanctos ſe videre, & vſque ad locum vbi requieſcunt, nominatim exprimens, ire deſiderabat. Quò cùm fuiſſet à parentibus adducta, Presbyteris ac Monachis loci illius eadem ex ordine replicauit. Pater autem puellæ, tres denarios ſuper contractam filiæ ſuæ manum poſitos, dextrâ ſuâ manum illius ad altare cum munere porrexit. Quod cùm factum fuiſſet, mox mirum in modum per orationes Sanctorum, in vno eodemque momento, & denarij ſuper altare ceciderunt, & puellæ integra mentis ac manus ſanitas reſtituta eſt. Erat etiam illis temporibus mulier quędam in villâ, quæ dicitur Erlabach, diſtans à Monaſterio leugis XII. quæ per decem annos continuâ immundi ſpiritus vexatione laborabat; hanc parentes ſui plenâ fide perduxerunt ad memoriam ſanctorum Martyrum, ſtante Eburhardo Presbytero iuxta altare, ac Miſſas celebrante; cumque pro eâ fuiſſet oratum, ſubitò immundum, neſcio quid, ac fœtidum euomuit; pariterque cum vomitu egreſſo dæmonio, curata ac ſanæ mentis effecta eſt, factaque peccatorum ſuorum confeſſione, gaudens & laudans Deum, reuerſa eſt ad domum ſuam. Vir quidam erat in regione illâ, Freuiuricus nomine, de villâ quæ vocatur Betinga, cuius ancilla vocabulo Gerſuind, ſubitò obmutuit, ac per VII. continuas dies muta permanſit: octauo autem die, ad memoriam Martyrum, per merita eorum, priſtinę reſtituta eſt ſanitati: nam cùm in eccleſiâ publicè Miſſarum agerentur ſolennia, & lectio legeretur Euangelij, ſtantibus omnibus iuxta morem cum ſilentio & reuerentiâ, illa repentè, quaſi vi quadam acta, erupit in vocem, & Kyrie eleiſon, coram omni populo exclamauit; ac ſic per virtutem Dei & merita Sancto-

Puella mentis & manus impos, mirabiliter ſibi redditur.

Immundus ſpiritus à muliere fugatur.

Muta loquitur.

rum Martyrum, receptâ locutione, domum reuersa est. Dies erat natalitius SS. Martyrum Ianuarij & Magni, præceptum est omnibus ad ius Monasterij illius pertinentibus, viris ac mulieribus, vt eo die à rurali ac seruili opere vacarent, diemq́. festum dicarent. Contigit in villâ quadam, quæ à* Schlauis Christianis habitabatur, vt vnus eorum parui pendens honorem, cum suis exiret agrum, metensq́ue segetem, & messem congregaret in aceruos, ceteris solennes ferias celebrantibus. Intereà igitur aër densissimas creuit in nubes, & tempestas sæua exorta est; fulgura ventiq́ue vehementer vndique ferebantur: coruscationes quoque valdè terribiles, & fulgura discurrentia horrorem nimium mortalibus ingerebant; factumq́ue grande miraculum, Domino discernente, inter venerãtes, & festa Sanctorum eius contemnentes. Omnes enim aceruі frugum, quos miser ille eo die messos congesserat, cælesti igne consumpti sunt, ceteris, quos vel ipse, vel conciues eius pridie messuerant, inlæsis permanentibus. Tantusq́ue timor ex hoc omnes perculit in circuitu, vt deinceps festa Sanctorum summâ colerent reuerentiâ. Contigit etiam in die solennitatis, vt puella quædam de villâ Munbrunnosi, nomine Selina, filia Bernalahi, de cottidianâ vexatione maligni spiritus tam perfectè sanaretur, vt ab eâ die nequam spiritus numquam eam inuaderet. Talibus quidem miraculis, & aliis innumerabilibus, quæ breuitati studentes omittimus, Dominus noster IESVS Christus declarare dignatus est merita sanctorum suorum Ianuarij & Magni, quorum ossa ordine supradicto translata & condita esse constat. Ceterorum verò corpora Sanctorum, quæ vel eodem quo isti, vel alio tempore adducta sunt, quo translata & condita sint, iuxta fidem gestorum declarabo.

*Schauis

Ferias Martyrum negligenti messis perit, colentibus prouenit.

Malignus spiritus coërcetur.

Locus est à Monasterio Fuldensi decem & eò ampliùs* leucis distans ad Boream, nomine Rathesdorph, à Monachis quidem habitatus, sed ad præfatum Monasterium, eo tempore ad Hrabanum Abbatem pertinentibus: in quo pulchram & diuinis officiis congruentem nouiter exstruxit ecclesiam, quam picturis & diuersorum varietate metallorum decenter ornauit; altaribus, & crucibus, auro argentoq́ue paratis, vasisq́ue diuersi generis, quæ diuinus cultus exposcit, congruenter adhibitis:

*leugis

Rathesdorphiensis ecclesia à Rabano erecta à monachis habitata, reliquiis SS. Cæciliæ, Tiburtij, Valeriani decorata.

bitis: in quam, cum auctoritate Humberti, qui Herilolfum Presbyterum illuc vice suâ miserat ossa B. Cæciliæ Virginis, & SS. Martyrum Tiburtij & Valeriani intulit, atque in sarcophago saxeo post altare posuit; singulorum ossibus, in loculis singulis seorsim conditis; erectamque desuper, vt ei moris erat, ligneam tumbam auro parauit & argento. Titulum quoque rei gestæ seriem declarantem, metrico carmine compositum, litteris deauratis in circuitu conscripsit in hunc modum:

Rabani epigraphe.

POSTQVAM REX REGVM CHRISTVS SVPER AETHERA CELSA
VICTOR CONSCENDIT, ARBITER OMNIPOTENS.
SERVORVM TVRBAM HIC LIQVIT, PLEBEMQ. FIDELEM,
QVI VERBO ET FACTIS PLVRIMA LVCRA DARENT.
INTER QVOS ISTI, QVORVM HIC MEMBRA QVIESCVNT,
VIRTVTVM TITVLIS EXIMII FVERANT.
HI POMPAM MVNDI SPERNENTES, RITE TENEBANT
MARTYRII PALMAM, VIRGINEVMQVE DECVS.
GERMANI ECCE DVO HIC PAVSANT, QVOS VIRGO BEATA
LVCRATA EST CHRISTO DOGMATE CAECILIA.
VALERIANVS ADEST VNVS, TIBVRTIVS ALTER,
NOMINE PRAECLARVS, CLARIOR ET MERITIS.
HAS TRES PERSONAS ROMANA EX ARCE MEANTES
SVSCEPIT HRABAN, CHRISTE TVVS FAMVLVS.
PATRONOSQVE SIBI EXOPTANS FIERI, ARTE MAGISTRA
ORNAVIT TVMVLVM: CONDIDIT ET TITVLVM.

Ædificauit etiam ecclesiam valdè conspicuam in monte excelso, XII. ferè stadiis ad Orientem à suo Monasterio distantem, quam cùm ex præcepto Otgarij Archiepiscopi, per Reginbaldum Corepiscopum eius, in honorem beatorum Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum atque Virginum, omniumque sanctorum spirituum cælestium fecisset consecrari, intulit in eam ossa S. Felicitatis matris VII. filiorum Martyrum, & S. Concordiæ, sanctarumque Virginum *Basillæ, Emerentianæ, Candidæ & Eutropiæ; quibus addidit ossa ac vestimenta SS. Aquilæ & Priscillæ IV. Kalend. Octobris: erectamque desuper, sicut & in ceteris fecerat, ligneam fabricam, auro argentoque decorauit, scriptis

Mõtis S. Petri ecclesia item à Hrabano extructa.

Otgarij Archiepiscopi Moguntini iussu & Reginbaldo Episcopo auxiliatore consecrata.

Reliquiis variorũ SS. ornata.

Blasilla.

cx

ex vtraque parte versibus, qui gestæ rei ordinem declararent hoc modo:

HIC LOCVS ECCE TENET SANCTORVM CONDITA RITE
OSSA, SIMVL MEMORANS ET PIA FACTA COLIT.
MATER FELICITAS, SANCTA ET CONCORDIA NVTRIX
HIPPOLYTI, HIC PAVSANT, CANDIDA ET EVTROPIA.
PAVLI NAMQVE HOSPES AQVILA HIC ET PRISCA QVIESCVNT:
EVGENIA HIC VIRGO, ATQVE BASILLA, MANENT.
VIRGINIS AGNETIS HIC COLLACTANEA SISTIT
NEMPE EMERENTIANA, MARTYR ET IPSA SACRA.

S. Leuba, vel Liobain eam monte translata.

Transtulit quoque eâdem die, ossa B. Leubæ virginis, cuius vitam atq. gesta breui dudum libello comprehendi, & posuit eam cryptâ eiusdem ecclesiæ post altare in honorem V. Dei genitricis, sanctarum Virginum Christi, dedicatum in arcâ saxeâ; quam etiam ligno circumdatam, auri argentique metallo decenter ornauit. Sequenti autem die, per manum prædicti Corepiscopi, collocauit reliquias sanctorum Episcoporum Cornelij, Calisti, Sixti, *Sinisij, Nicasij & Felicis; Stactei quoq. & Pamphili Presbyterorum; & sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani, Nerei & Achillei; Sebastiani quoque, Castuli & Romani; Papiæ & Mauri atque Valeriani; sanctarumque Virginum Cæciliæ, Eugeniæ, atque Anastasiæ martyrum Christi, in ecclesiâ S. Bonifacij, in loco quo priùs sanctum corpus illius quiescebat. Ædificauit enim ibi turrim lapideam post altare, in cuius turris summitate mediâ, condidit prædictorum ossa Sanctorum, arcâ saxeâ diligenter inclusa; super quam culmen ligneum, columnis quatuor sustentatum erigens, auro ornauit & argento. Intra quod, arcam oblongam quadrangulo schemate factam posuit; quam etiam auro & argento, atque lapidibus ornans, singulorum Sanctorum imaginibus decenter expressis decorauit; versusque quasi ex personâ eiusdem arcæ prolatos, in circuitu conscripsit hoc modo:

**Sisinij vel Synesij, Reginbaldus Corepiscopus Mogunt. complurium SS. ossa in primariâ basilicâ composuit.*

Opus turritum à Rabano exstructũ in æde summâ.

NOMINE QVOS NOTO LOCVS HIC ET IMAGINE SIGNAT
PRAECLAROS CHRISTI ECCE DEI FAMVLOS,
QVI CORDE IMPAVIDO RVBVERVNT SANGVINE SACRO,
PRO CHRISTO IAM ANIMAS EXPOSVERE SVAS.

Sed

Sed & in turre subiectâ versus conscripsit; quatuor quidem in vno latere, & quatuor in altero, elegiaco carmine hoc modo compositos:

MARTYRIBVS CHRISTI, QVORVM HIC OSSA QVIESCVNT,
HRABANVS HVMILIS CONDIDIT HVNC TVMVLVM.
HORVM TV LECTOR SI NOSCERE NOMINA CVRAS,
ARCA SVPERPOSITA PANDIT ET IPSA TIBI.
ROMA DECVS MVNDI, LAVS RERVM, SVMMA POTESTAS, *Roma laus.*
HOS IAM LECTORES PONTIFICESQVE HABVIT.
CVM QVIBVS HIC PAVSANT SVMPTI DE PARTIBVS ORBIS
VIRTVTE CLARI, CHRISTE, TVI FAMVLI.

In reliquis verò duobus lateribus Asclepiadeo carmine hos versus scripsit:

FELICES NIMIVM ATQVE BEATI,
QVOS REX CHRISTVS OVANS ARCE SVPERNA
SANCTIS PRO MERITIS COLLOCAT ASTRIS,
VITAM PERPETVAM REDDIT ET ILLIS.
QVI TEMPLVM DOMINI GRESSIBVS INTRANT,
HOS NVNC ADMONEO CORDE BENIGNO
CHRISTVM SVPPLICITER VT PRECE POSCANT,
QVO CVM MARTYRIBVS SIDERA PRAESTET.

Aliorum autem Sanctorum reliquias de diuersis partibus orbis plurimas congregauit; atque in oratoriis, quæ tempore sui regiminis numero triginta construxerat, & ab Episcopis, in quorum diœcesi fuerant, dedicari fecerat, honorificè collocauit; de quorum locis, & consecrationum auctoribus atque temporibus, Sanctorumque nominibus, quorum spoliis inlustrantur, si vita comes & diuinus fauor adfuerit, locis oportunis scire volentibus declarabo.

Cùm igitur vir ille venerabilis, Monasterium sibi commissum, per annos xx. nobiliter rexisset; & deposito curæ pastoralis pondere, ad ecclesiam, quam ad Orientem Monasterij in monte constructam esse suprà dixi, se contulisset; ibi manens ac Deo seruiens, cælesti philosophiæ vacabat. Erat enim in Scripturis à pueritiâ valdè studiosus, & secundùm donum sibi cælitus datum, lectionem diuinorum librorum plurimùm adamauit; atque in his sæpiùs meditatus est. Vnde etiam hortatu fratrum *Mons S. Petri.* *Rabani studium & eruditio sacrarum litterarum.*

ſuorum atque amicorum, aggreſſus eſt ſcribere expoſitiones diuinorum librorum, tam veteris quàm noui Teſtamenti. Nam, vt ipſe teſtatus eſt, primùm ſcripſit anno ætatis ſuæ circiter trigeſimo, in laudem ſanctæ Crucis duos libellos. hoc eſt, vnum metrico ſtylo cum figuris myſticis, quæ in diuinis libris longè antè prænotatæ ſunt, vt in his manifeſtaretur Christi paſſio, & redemptio noſtra, in figurâ S. Crucis eſſe prænuntiata. In quo etiam ſolutâ oratione ſubiecta eſt vniuſcuiuſque figuræ explanatio: & ſic viginti octo, exceptâ ſuperliminari paginâ, videntur in eâ contineri figuræ, ſimul cum expoſitionibus ſuis. Sequentem autem libellum ideò conficiendum putauit, quem etiam in viginti octo capitulis breuiauit, vt locutionem metrici prioris libelli, in eo lucidiorem faceret. Poſthæc, ſcripſit ad Heiſtolfum Archiepiſcopum, de inſtitutione Clericorum libros tres; in quibus de Eccleſiaſticis ordinibus, & officiis diuerſis quæ in Eccleſiâ geruntur, ratio demonſtratur; & ordo diſcendi, ac modus docendi verbi Dei, declaratur. Ad quem etiam ſcripſit tractatum ſuper Euangelium Matthæi, conſummans illum octo libris: cuius & hortatu fecit Homilias diuerſas per totum annum, ad diuerſas feſtiuitates; & de variis vitiis atque virtutibus ſubiunxit Sermones, ad prædicandum populo Dei. Poſthæc, rogatu Epiſcoporum Frecholfi videlicet & Friderichi, & Humberti, ſcripſit in octoteuchum commentariorum libros XXIX. hoc eſt in Geneſim lib. IV. in Exodum lib. IV. in Leuiticum lib. VII. in Numeros lib. IV. Similiter & in Deuteronomium lib. IV. in Ieſu Naue lib. III. in Iudicum lib. II. in Ruth quoque librum vnum fecit. Etiam rogatu Hiltuuini Abbatis libros IV. in expoſitionem libri Samuelis & Regum. Similiter, Hludouuico Imperatore hortante, in Paralipomenon edidit lib. IV. Scripſit prætereà expoſitionē in hiſtoriam Iudith lib. I. & in hiſtoriam Heſter ſimiliter lib. I. quos tradidit Iudith Auguſtæ. Librum quoque Machabæorum priorem, petente Geroldo Archidiacono, libellis duobus explanauit: ſequentem verò libello vno. Librum quoque, qui nuncupatur Sapientiæ, hortatu Otgarij Archiepiſcopi in tribus libellis, prout potuit, enodauit. Et librum Ieſu filij Sirach, qui appellatur Eccleſiaſticus, decem libris ſimiliter elucidauit. In Ieremiam quoque Prophe-

Commentary & lucubrationes. de quibus cōſule Trithem. & Nic. Serarium lib. 4. rerum Magunt. in Rhabano.

Prophetam xx. libros expoſitionis, iuxta ſenſum maiorum edidit. In epiſtolas quoque Pauli, hortatu Lupi Diaconi, collectaneum fecit, colligens de diuerſis opuſculis SS. Patrum, ſententias eorum, & in ordinem diſponens, in xxx. libris illum determinauit. Sunt quoque alia opuſcula eius, quæ ad interrogata diuerſorum ei reſpondere neceſſarium fuit: quorum vnum eſt, de Corepiſcoporum ordinatione, ſuper quo ad Drugonem Archiepiſcopum ſcripſit librum vnum. Ad Notingum quoque Epiſcopum Veronenſem de præſcientiâ ac prædeſtinatione Dei, de gratiâ & libero arbitrio, ſcripſit librum vnum; in quo, quid rectè ſentiendum eſſet, oſtendit. Nam ad Hluduicum Imperatorem ſcripſit librum vnum, contra eos qui oblationem ſecundùm Regulam S. Benedicti deſtruere volebant. Cui & miſit epiſtolam conſolatoriam poſt calamitatem, quæ ei accidit ex parte filiorum ſuorum, & Optimatum: in quâ ex diuinis teſtimoniis oſtendit, quòd falſum iudicium non poteſt rectè condemnare innocentem: in quâ etiam nouiſſimè prouocat eum, ad indulgentiam in ſe commiſſorum. Poſteà, hortatu eiuſdem, fecit collectarium vnum de ſententiis diuinorum librorum; in quo primùm teſtimoniis diuinis probauit obſeruandum eſſe honorem parentum, & ſubiectionem poteſtati à Deo ordinatæ: deinde, de diuerſis ſpeciebus virtutum, & è contrario vitiorum, teſtimonia de auctoritate diuinâ, in eodem opere ſubiunxit; demonſtrans, qualiter cuicumque ordini in eccleſiâ Deo militandum ſit: quod opus xl. capitulis conſummauit. Ad interrogata quidem Bonoſi Abbatis reſpondendo, quomodo cognationis commixtio declinanda ſit, & magica ars deuitanda, confecit librum vnum. Scripſit quoque libellum vnum ad Otgarium Archiepiſcopum, in quo primùm de pœnitentiâ legitimâ, & ſpe indulgentiæ, deinde diuerſa capitula de canonibus diuerſorum Conciliorum ſubiunxit, ad corrigenda hominum vitia, & inſtituta religionis Chriſtianæ roboranda. Prætereà quoque Machario monacho petente, de computu confecit dialogum vnum . . . .

.... Deſiderata nonnulla in MS. expleat velim, qui poteſt.

CAPVT XV.

Henricus Imperator sanctus, quàm salutari pioque præceptionis genere Fuldensis ecclesiæ patrimonia communierit; & quid de possessoribus iniquis aut prodigis ipse senserit.

Tradit donatque ecclesiæ Fuldensi Comitatum in Stoddenstat.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Heinricus, diuinâ fauente gratiæ clementiâ, Romanorum Imperator Augustus. Quoniam nostrum est, de bonis nobis diuinitus collatis, præcipuè sanctas ditare Ecclesias; eidem deuotioni, licet per pauca munera, pia tamen nostra præstò est voluntas in Domino, qui dat præmia pro bonâ volũtate. Quapropter Christi nostrique nouerint vniuersitas, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, per interuentum ac petitionem dilectæ coniugis nostræ Chunigundæ Imperatricis Augustæ, necnon & fidelis nostri Richardi Fuldensis Abbatis, Comitatum Stoddenstat, situm in pago Moyngowe, Fuldæ ad altare S. Bonifacij, tali iure, talique constitutione, quali & debet, & à principio ab omnibus sibi placitis Prælatis hucusque est habitus, in potestate prædicti Abbatis, sine alicuius contradictione donauimus. eâ videlicet ratione, vt ipse, suique successores, sicut de ceteris eiusdem Abbatiæ bonis, dehinc liberum habeant arbitrium, quoquo modo desuper præcipiendi, seu quodlibet vtile prædictæ Ecclesiæ inde faciendi. Hoc tantùm caueant Abbates præfati Monasterij, ne vel religio monastica consuetudinis suis temporibus cassetur, vel cura animarum sibi commissarum periclitetur; vel alimenta Deo ibidem seruientium rarescant. ob hoc maximè, quòd Deo collata patrimonia, & decimationes Ecclesiarum, laicorum manibus tradita polluuntur; illique Deo culpabiles inueniuntur, qui pro nihilo habent, quòd peccata hominum super se onerauerint. Illi enim, qui terrena patrimonia Deo & Sanctis conferunt, de peccatis suis exonerantur: illi verò, qui oblationes fidelium recipiunt, & ea, quæ Deo debentur, & ad Dei seruitium traduntur, rursus ad secularem pompam, & superbiam exercendam

Richardus Abbas Fuld.

Ecclesiastica aut sacra bona quid prosint iniquis possessoribus.

*dam concedunt, * oneraria peccata super se duplicant. Vnde consulimus & præcipimus, vt modus his ponatur & terminus. Inter hæc tamen vnum medium est. Oportet vt in Ecclesiis multæ sint facultates; & maximè in Fuldensi. quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. multa enim debet dare seruitia, & Romanæ & Regali Curiæ; propter quod scriptum est:* Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *Quapropter consulant sibi, & præueniant scandala, antequam fiant; habeantque secum, quæ Deo offeruntur, nec abiiciant incassum. quia citò veniet tempus, quando mundus recipiet, quod Deo dedit; & monasteria, quæ iam sunt in abundantiâ, prima erunt in rapinâ: vt fiat quod Saluator ait:* Abundante iniquitate, refrigescet charitas multorum. *Præcipimus ergo, sub districtione diuini iudicij, vt omnes traditiones regum, & decreta Apostolicorum, atque oblationes fidelium, sub tutâ custodiâ teneantur, & fideliter obseruentur. Et, vt hæc traditionis & præceptionis auctoritas stabilis & inconuulsa omni tempore permaneat, hanc paginam conscribi, & sigillo nostro eam iussimus insigniri. Datum* VI. *Julij, Indict.* VII. *Actum Goslariæ feliciter. Amen.*

* *oneranti*a

Henricus vaticinatur de Lutheranismo, & nostri temporu harpyis.

Idem Henricus Imp. sanctus, iudex in discordiâ Fuldensis & Hersfeldensis familiæ, exhibet imaginem iustitiæ; & spectabiles coërcendæ atrocium hominum licentiæ pœnas: affirmatque Primatum Ecclesiæ Fuldensis.

Qualiter temporibus Henrici Imperatoris composita est seditio inter Fuldensem familiam & Hersfeldensem.

IN *nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus, diuinâ fauente clementiâ, Rom. Imper. Augustus. Omnibus fidelibus tam futuris, quàm præsentibus, notum fore cupimus, qualiter assidua proclamatio nostras aures inquietabat, ob innumeras & frequentes seditiones & contentiones, quæ creberrimè fiebant inter Fuldensem & Hersfeldensem familiam. quæ insania in tantam prorupit dementiam, vt etiam innumerabilia inter se fierent homicidia; & inde maximum detrimentum vtraque pateretur Ecclesia. Quapropter, ne talis ac tantæ præsumptionis audacia, sine dignâ vltione inter vtrasque familias diutiùs remaneret, cum consensu & consilio vtrorumque Abba-*

 tum,

Richardus Abbas Fuld. Arnold. Hersfeld.

tum, Richardi videlicet & Arnoldi, aliorumque fidelium nostrorum, per huius chartulæ præceptum, tale constituimus præceptum: Ut primùm omnis iniustitia, quæ iam per multa tempora incorrecta permanserat, ab aduocatis & præpositis illorum, vtrimque pleniter corrigatur; & deinceps, si quis ex familiâ vtriusque Ecclesiæ, aliquem seruorum vel S. Bonifacij vel S. VVigberti insequetur, & ausu temerario, & armatâ manu, ad occidendum, vel ad deprædandum eius curtem, siue domum, infregerit, & eum impugnauerit, illi, qui huius facti dux & princeps fuerit, tollatur corium, & capilli, & vtraque maxilla, ferro candenti comburatur; reliqui eius sequaces, cute & capillis priuentur.

Excoriationis supplicium in facinoris duces memorabile.

VVeregeldus & VVeregelda, antiquis Germanis æstimationis pretium. In vet. Saxon. iuris speculo: pretium, quo quis mortuũ luit. Domits man einen todten verbüsset. i. 24. alte schock, vt Ius Saxon. loquitur.

*Si autem ibi aliquis occiditur vel vulneratur, auctor homicidij, vulneris, obtruncationis, VVeregeldum illi Ecclesiæ, cuius homo est occisus, vel truncatus, restituet. Et in quocumque loco, aut ex vnâ, aut ex aliâ familiâ aliquis occiditur, nisi ille, qui homicidium facit, probabiles testes habeat, aut per * ferrum candens hoc probare valeat, quòd ob aliam causam non fecisset, nisi quòd de impugnatione ipsius aliter vim eius effugere non potuisset, supradictæ pœnæ subiaceat. Si autem hoc probare potest, nihil patiatur, nisi quòd hactenus ipsa Ecclesia pro lege habuit. Istud constitutum aduocatus, in cuius regimine hoc euenerit, cum consilio vtrorumque Abbatum, fideliter adimpleat. Si autem aduocatus aut mercede conductus, aut misericordiâ amicorum motus, aliquâ calliditate, hoc decretum facere noluerit, aduocatione careat, & gratiam regni amittat; nisi hoc iuramento probauerit, quòd inuasorem inuenire non possit, &, quàm citissimè repererit, iudicium & iustitiam Ecclesiæ faciat. Quòd si ipse aduocatus reum acquirere non potest, fideles Abbatis, vulgari persecutione acquirant, & ad prædictam pœnam repræsentent.*

* Hæc purgatio vulgaris, cui Canonica abrogat. Ext. de purgat. vulg. ex cap. Consuluisti, &c.

Aduocati pœna neglecta iustitia.

Ministeriales Abbatũ.

*De Camerariis, & Pincernis, aliisque honoratus vtrorumque Abbatum, hoc constituimus, vt si quid tale aliquis eorum fecerit, prædictæ pœnæ subiaceat, vel libris decem talentorum redimatur. Et hoc firmiter præcipio, vt semel rectè diffinitam causam nullus iterare audeat. Si autem vel ipsi Abbates hoc decretum infregerint, ad regalem cameram duas libras auri persoluant. Verùm licet æquitatis dictante iustitiâ, de ambabus Ecclesiis pariliter diffinitum sit, tamen considerandum est, quòd Domini Apostolici Fuldensem super omnes Ecclesias * Galliæ præpositi fuerint; minorque cedet maiori.*

Fuldensis Ecclesia super omnes Ecclesias Galliæ sui ordinis.

* pro Germaniâ vtrâque cis & vltra Rhenum, ac Lotharingiâ.

Hic idem Henricus, cur Claudi cognomen tulerit, inquiri video.

video. Nauclerus famâ exceptum perhibet, ex obiecto Regi cælitus viso id euenisse; cùm Romæ in Ecclesiâ D. Mariæ Maioris, Christum Iesum summum sacerdotem, Matre Sanctorumq; stipatum choro, rem diuinam patrare conspicatus, simul ab Euangelio recitato, Angeli manu librum ad se ferri vidit, osculo de more libandum; atque eo in ostento exiisse de mentis potestate, sensibus alienatis. cumque quid secum ageretur ille quidem nesciret, Angelum, collaudatâ eius pudicitiâ, & castimoniæ studio, tetigisse neruum femoris; atque inde claudicare cœpisse. At comperior equidem, in Ecclesiæ Fuldensis membranis iis, quibus munificentia eius regia describitur, *primis regnandi exordiis, cùm se exerceret venatu, grauiter à ferâ saucium, nomen inde populari iactatione* * *Huffeholz, id est, claudi tulisse.* Quamobrem ex hoc feræ incursu claudicasse potiùs, cum maioribus credere liceat; ex Angeli contactu, si illi viso sua fides, testificationem retulisse coniugalis abstinentiæ pudicitiæque.

Naucl. generatione 32.

Henricus Imper. cur dictus Claudus.

* *grallator seu ligno saliens.*

CAPVT XVI.

Donationes, quæ mirificam maiorum pietatem erga sacra loca, sanctosq́; patronos & Christi seruos, commendant.

PRAECIPVVM non tempore, sed sedis ac officij dignitate locum habeat Hatto Moguntinus Archiepiscopus hoc nomine primus, Abbas olim Augiæ, & regni Cancellarius; cui & bonam mentem superfuisse, quâ numen cæleste sibi placaret, & amplissimas opes, quas Deo fœneraret, tabulis antiquis approbabo.

Sanctarum auctoritate paginarum, & diuinarum monitis Scripturarum, fidelium aures multimodis admonitionibus pulsantur; vt huius peregrinationis tempore, omni virtute satagant elaborare, vt bonis operibus & eleemosynarum largitate, vitam mansuram acquirant. Multùm enim est felix & laudabile commercium, dum de vilibus & perituris rebus, æternæ vitæ gaudium comparatur. Magna etenim pietas largitoris, quæ nos docet, spretis terrenis, cælestem patriam

triam thesaurizare. Vnde ego Hatto, Dei gratiâ & misericordiâ dispensante, Moguntiacæ Ecclesiæ Archiepiscopus, regnante Domino Luduico gloriosissimo Rege, & residente in palatio Triburensi, cum reuerentissimo Abbate Huggi, Fuldensis monasterij, ceterisque eiusdem monasterij fratribus & clericis, ad eorum omnium præsentiam, quidquid proprietatis habui in Massenheime marchâ, & in VViccrino marchâ, & in Ruuenheime marchâ, & in Geraha marchâ, & in Lichsamene marchâ, hoc totum in manus Gerhardi Comitis, & Chunrardi Comitis dedi, eâ ratione, vt cum omni integritate ad sepulchrum pretiosissimi Christi martyris Bonifacij, in monasterio Fuldensi, contraderent. Quarum rerum traditiones legitimè, in præsentiâ gloriosissimi Luduici Regis, peractæ, deprecor & obtestor ipsum Abbatem, omnemque S. Bonifacij Congregationem, per ineffabilem sanctam Trinitatem, Sanctorumque amorem & reuerentiam, vt numquam alicui hominum inbeneficientur; sed ad generales vsus fratrum perpetuò conseruentur. Si verò aliquis successorum meorum, contra has res aliquo modo generare calumniam præsumpserit, primò iram Dei omnipotentis incurrat; & quod repetit, nullatenus vindicet; sed quicumque litem vel controuersiam aliquam intulerit, auri libras XII. *argenti* XXXVI. *coactus regiæ maiestati reus exsoluat. Datum palatio Triburensi coram Rege Luduico: qui & conscribi, & sigillo suo insigniri iussit. Anno Dominicæ incarnationis* DCCCCX. *Indict.* XIII. *anno verò Domini Luduici serenissimi Regis* XI. *octauo Idus Aprilis.*

Palatium id Triburia villa regalis, inter Moguntiacum & Oppenheimiū in ulteriore Rheni ripâ, cum loco iam abolitum.
Lib. I. Mogunt. rer. cap. 33.
Huggi Fuld. Abbas.
Donati fundi ne feudo alienentur.

Ego in Dei nomine HATTO *Archiepiscopus & Cancellarius has litteras iussu meo scriptas recognoui, & manu propriâ subscripsi.*

✠ *Signum* GEBEHARDI *&* CHVNRARDI *Comitum, qui easdem traditiones rerum fideli manu susceperunt, & hoc coram Rege iurauerunt, vt eas S. Bonifacio martyri fideliter delegarent, & præcepto regio confirmarent.*

✠ *Signum* DITOLFI *VVormatiensis Episcopi.*

✠ *Signum* EINHARTI *Spirensis Episcopi.*

✠ *Signum* GOTDANCKES *Comitis, &c.*

Quæ sequitur Tacgolfi Bohemi Comitis oblatio, in Caroli Magni ætatem incidit, qui & eamdem auctoritate suâ corroborauit.

In nomine & honore sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Notum sit omnibus Christi fidelibus, qualiter Dominus Tacgolfus de Bohemiâ Comes,

Comes, audiens famam venerabilissimi loci Fuldensis conuentus, & quia Reges & Principes facerent sibi memoriam in monasterio S. Saluatoris, & intercessorem sanctissimum martyrem Christi Bonifacium; venit & ipse cum summâ cordis ac mentis deuotione adorare in domo Domini, vt inueniret gratiam in conspectu tremendi Iudicis: considerans quoque, quod Dominus ait, Non *appareas in conspectu meo vacuus; *tactusque diuino ardore intrinsecùs, obtulit Deo & S. Bonifacio regionem suam, quamdam videlicet prouinciolam, sitam iuxta Bohemiam, Sarawe nuncupatam, quæ suæ proprietatis & iuris erat, cum omnibus villulis & compertinentiis suis, eo tenore, vt plenam fraternitatem, tam viuens quàm moriens haberet, & sepulturæ locum post finem vitæ suæ, in monasterio obtineret,* &c. *Facta est autem hæc traditio sub Carolo glorioso Imperatore; qui & stabiliuit ac confirmauit eam, & annulo suo insigniri præcepit chartam inde conscriptam. Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCI. *Indict.* x.

Fuldens. Monastery apud Reges & principes existimatio.

**apparebis Exod. 23.*

Carolus eo anno à Leone III creatus Occidentis Imperator.

Gemina huic pietate, & notis eximij candoris, donatio fuit Hertaci Principis Saxoniæ.

Nouerint Christi fideles, tam futuri quàm præsentes, qualiter quidam nobilis Princeps de Saxoniâ, regali stirpe progenitus, Hertac nomine, diuino amore succensus, & desiderio cælestis patriæ compunctus, cùm videret quamplurimos fideles ad monasterium sancti Saluatoris, quod constructum est in honore S. Bonifacij Archiepiscopi & martyris, Fuldæ, confluere, & æternæ vitæ suffragia ab eodem beatißimo Martyre deposcere, cogitabat intra se, quomodo & ipse de bonis suis terrenis, quibus ex largâ Dei beniuolentiâ superabundabat, pretiosissimum Christi martyrem Bonifacium placaret, vt ipsum apud districtum Iudicem, promptum intercessorem habere posset. Cùmque hac deliberatione animum suum in bonorum affectuum desiderio, & vitam in bono proposito circumflecteret, misit Deus in mentem eiusdem gloriosi Principis, vt ex diuite venâ facultatum suarum, venerabilem conuentum Fuldensium fratrum, oblatis patrimoniis suis ditaret; & ob hoc specialiter ad præfatum monasterium deuotissima dona conferret, &c. *Regnabat tunc temporis pius Imperator Otto Rufus, magni Imper. Ottonis filius: quem adiens præfatus Princeps, indicauit totum desiderium,* &c. *quod Imperator audiens, laudabat & glorificabat Deum, & sanctissimum eius martyrem Bonifacium; misitque cum eo legatarios suos, vt votum, quod vouerat Deo, fideliter exsolueret.*

Veniens igitur cum nuntiis Imperatoris ad S. Bonifacij Fuldense monasterium, gratanter à domino VVerenhero Abbate, & ab omni Congregatione susceptus est: perductusque ad altare S. Bonifacij martyris, obtulit Deo & pretiosissimo martyri eius Bonifacio villas duas Ottenhusen & Tutenhusen, cum omnibus appendiciis & vtilitatibus suis, coram legatariis Imperatoris, & coram multis testibus aliis, in hunc modum, vt Fratres specialiter in suâ proprietate haberent, & annuum censum inde acciperent, ac sui parentumque suorum semper memores essent. Facta est hæc traditio tempore gloriosissimi Imperatoris Ottonis Rufi, cuius præcepto confirmata & sigillo consignata, vt numquam in æternum ab aliquo hominum irrita fiat. anno Dominicæ Incarn. DCCCCLXXVIII.

VVerenherus Abbas.

Specimen his addere lubet priscæ monasticæ oblationis huius ecclesiæ Camerarij Lamberti.

*Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris quàm præsentibus, qualiter ego Lambertus, Camerarius sanctæ Fuldensis ecclesiæ, comparaui quoddam prædium in * Kemercellá, quod singulis annis sex persoluit solidos: & obtuli illud domino meo S. Bonifacio martyri in oblationem fratrum nostrorum Fuldensium, pro recordatione dilectissimi amici mei domini Friderici Abbatis de S. Godehardo in Hildenesheim pij ac reuerentissimi viri. Qui dum solito more ad festiuitatem S. Bonifacij, visitandi & orandi gratiá, nam puer ipse olim hîc nutritus est, aduenisset, incidit in ægritudinem, quá & defunctus est. Ego verò ob nimiam viri familiaritatem & veterem amicitiam, & perfectæ fidei illius charitatem, impetraui à domino Abbate & sancto conuentu Fuldensium fratrum, vt exequiæ eius festiuè & honestè celebrarentur; & in loco celeberrimo, iuxta dominos & Patres nostros sanctæ Fuldensis ecclesiæ Abbates sepeliretur. cuius memoriam annuatim postmodum celebrari à fratribus obtinui, & commendationem singulis annis ad sepulchrum eius, ab omni Conuentu fieri impetraui. Huius rei gratiâ, pro recordatione animæ illius, singulis annis statui charitatem fratribus de præfato prædio exhiberi, vt eo libentiùs annuam recordationem illius agant, quanto pro salute animæ ipsius, & requie, charitatis oblata percipiunt.*

** Camerarij vel Camera cella.*

Dispositio ad pios vsus in regulari beneficio.

Fridericus Abbas sancti Gothardi.

Dispositionis consensus.

Sepulchreti conuentualis celebritas.

Alludit ad officium charitatis animarum, quod priscè Seelgeráth.

Sed quia huius generis cuiusq; loci ac dignitatis principum virorum suppetunt innumera, quo ne fastidium afferat vbertas, aliquid sexui femineo iam quoque largiendum est.

Emicat

Emicat ante omnes, ceu inter ſtellas luna quædam, nobiliſſima virgo Emehilta; quæ ſua dediſſe parum rata, ni ſeipſam quoque Chriſto donaſſet, præclaram à laudato Principe laudem abſtulit: cuius eam partem diplomatis hîc recitabo, quâ Emehiltæ propoſitum animi conſiliumque expoſuit. eſt is Carolus Magnus.

Omnium fidelium Chriſti ac noſtrorum pateat ſolertiæ, quia ob amorem diuinæ remunerationis, elegimus nobis locum quemdã in Bochoniâ ſitum, congregationem videlicet ſanctiſſimi martyris Bonifacij, in Fuldenſi monaſterio; eò quòd religione & diuino plerumque polleat ac vigeat ſeruitio. Cui loco, non ſolùm nos, ex largâ noſtræ liberalitatis munificentiâ, regio munere contulimus res proprietatis noſtræ, verùm etiam ceteri fideles noſtri plurima contulere donaria, tam in prædiis & decimis, quàm in facultatibus ac familiis: in quibus, ad excitanda corda ceterorum, inducimus ad exemplum factum cuiuſdam famulæ Chriſti Emehiltæ; noſtræ quidem ſecundùm carnem cognatæ, ſed ſecundùm Deum triumphantis virtute caſtitatis & virginitatis. Quæ, cùm in proprio domate ſibi Monaſterium feciſſet, vbi cum multis virginibus Deo ſeruire decreuit, in loco qui Mileze nuncupatur, cunctaq́. prædia ſua, quæ numero LV. *eidem loco in id opus attitulaſſet, ab incurſu Paganorum, Sclauorum videlicet, qui è regione Boëmiæ ſæpiùs eruptionem facere, & homines abducere ſolebãt, præpedita, omnia prædia ſua ſimul cum eccleſiâ quam conſtruxerat, S. Bonifacio in Fuldenſi monaſterio contradidit: ipſaque non poſt multum tempus ad innubas in loco Biſcofesheim ſe contulit: quem locum B. Lieba quondam benè & religioſè rexerat; & multas ibi Deo virgines aggregauerat. Per manus ergo noſtræ regalis potentiæ, imperamus omnibus hominibus, cuiuſcumque conditionis & perſonæ, vt nullus contra eius donationem & traditionem aliquid facere vel inuadere præſumat*, &c.

Caroli Magni in Fuld. Monaſt. munificentia.

Emechilda Caroli Imp. cognata, Virgo, Monaſterium cõdidit Mileze & offert Fuldæ.

Sclauorum incurſiones.

Innubæ hic dicuntur ſacræ virgines.

Biſcofeshemium.

Traditio Emehiltæ nobiliſſimæ virginis.

In nomine Domini & Saluatoris noſtri IESV *Chriſti. Ego Hemehilt ancilla Chriſti, memor humanæ conditionis, quia breuis eſt vita hominis ſuper terram, de ſupernis cogitans, atque ad æterna feſtinans; quæ retrò ſunt obliuiſcens, & ad anteriora me erigens; &, vt amplior mihi portio in terrâ viuentium reddatur, huius terræ, in quâ temporaliter viuimus, partem, in portione ad me pertinentem, in diuerſis videlicet locis, tam de paterno, quam de materno, vel aliunde exquiſito do-*

no, trado atque concedo, pro remedio animæ meæ ad Fuldense monasterium; vbi S. Bonifacius corporaliter requiescit; vbi & venerabilis Abbas Baugulfus multitudini monachorum præesse cernitur, locum Milize, &c. quod monasterium ego ipsa proprio labore construxi & ædificaui; omnia mea ad integrum sanâ mente, sanoque consilio, vt suprà dixi, donaui, tradidi, &c. ego videlicet Emehilt, & ceteræ sorores meæ, omnesque fratres mei mecum, pro animabus parentum nostrorum, vt Deus omnipotens, pro hoc terreno patrimonio, æternæ hereditatis nos faciat esse consortes, &c. facta est hæc traditio anno Dominicæ Incarnationis DCCC. *regnante Carolo glorioso Francorum Rege, qui & præsens adfuit, & sua potestatiuâ manu, præceptionem fecit, vt nullus hominum eam irritam faceret.*

Baugulfus Abbas.

Traditio super Westheim & Mitteldorf à quadam matronâ nomine Tuteche, Egberto Abbati facta.

In nomine sanctæ Trinitatis, notum sit omnibus fidelibus Christi, tam futuris quàm præsentibus, qualiter ego Tutecha, pro animâ filij mei Regenhardi, tradidi ad Fuldense monasterium, pro amore Christi & S. Bonifacij martyris, prædium meum & proprietatem meam, videlicet quidquid habeo in villâ quæ vocatur Sigifrides, & Scambach & VVestheim; duas etiam hubas in Mittelendorf. Trado prætereà seruos, quorum hæc sunt nomina, Regenbotto, Hertuin, Genuo, Tuto, Regenwart, Ortwin, cum vxoribus & filiis eorum, & omni cognatione suâ, & possessione eorum. Et quia spem generandæ prolis non habeo, sancto Christi martyri Bonifacio, vitam & animam meam, cum rebus omnibus committo, vt sit mihi sponsus & adiutor in conspectu Domini; pro cuius amore, quidquid hereditario iure possideo, ad Fuldensium fratrum seruitutem deuotissimè dono & concedo, pro animâ meâ, & dilecti filij mei Regenhardi. Isti sunt testes eiusdem traditionis: Gerlah aduocatus, qui & hanc vestituram suscepit; Sigibotto Comes, & Tammo Comes, Goswin Comes, Botto, & alij. Et vt hæc traditionis nostræ vestitura stabilis & inconcussa seruetur, chartulam hanc conscriptam, sigillo domni Egberti Abbatis insigniri fecimus, vt absque omni contradictione Fuldensium fratrum commodis, in perpetuum cedat, & vtilitatibus.

Husa vel Huba Longobard Guiffa, prædium vel agri tantum, vnde colonus se sustentet cum familiâ. Not. ad constit. Caroli Magni V. A. *Affectus in S. Bonifaciũ ardẽtissimus.*

Egbertus Abbas.

CAPVT XVII.

Memorabilis Fuldensis ecclesiæ, quæ superiorum temporum iniuriis oppressa penè iacebat, in integrum restitutio: principiò per Hadamarum, inde per Marcuardum, Abbates.

Descriptio reditus terræ Fresonum sub Hadamaro Abbate.

POST *multorum annorum curricula, ex quo Fresia per prædicationem Euangelicæ veritatis, & triumphum martyrij beatissimi Bonifacij, subacta est, venerabiles multi huius sanctæ Fuldensis ecclesiæ extiterunt Patres & Prælati: qui, cùm Deo omnipotenti libenter ac deuotè seruire satagerent, eorum industriâ, non solùm exteriores & procul positæ res Monasterij, sed & interiores & spiritales diuitiæ, in tantum succreuerunt, vt thesaurus domus Dei in tantam enormitatem excresceret, vt etiam arenæ maris & pluuiæ guttis coæquaretur. Vnde contigit, vt cùm Patres nostri, securitate acceptâ per felicia tempora, gloriosè vitam ducerent, exterarum & longè positarum possessionum diminutio, per neglegentiam præpositorum inolesceret, in tantum, vt ab extraneis inuasoribus, plurima Monasterij prædia, sub voracitate laicorum posita, penè irretita & impedita viderentur, quoadusque dominus Hadamarus Abbas religiosus, vir strenuus, & maximâ sagacitate ingenij præditus, omnia perspicacibus oculis in corde perlustrans, voracitates faucium tyrannorum exinaniuit; & eos à Fuldensis monasterij rapacitatis siti præualidâ retraxit. Percurrensque omnia præfati Monasterij prædia, quæ ab Imperatoribus & Regibus, ceterisq. fidelibus, à prisco tempore B. Bonifacio fuerant contradita, vsque ad Fresones indagando peruenit.*

Amplitudo vectigalium & possessionum.

Qui imminuta?

Hadamarus vindex amissarum possessionum. Tyrannos & inuasores Monasticarum rerum coërcet.

Hinc vbi locorum pensitationes decursæ; subiicitur, dimidiam partem omnium vectigalium ac censuum per totam Orientalem Fresiam pertinuisse ad S. Bonifacium Fuldensis monasterij.

Eiusdem beneficij vt præmium, ita facinoris gloriam, Conradus Rex, secundus eius nominis, sibi iure vindicet. Is, sacrâ

 expe-

expeditione aduersus Saracenorum barbariem perfunctus, vbi direptis S. Bonifacij opibus, dominatu paucorum, Abbatiam regificis cumulatam muneribus, longè ceterarum in Germanià principem, à clientibus suis afflictam & subiugatam perire miserè cerneret, Marcwardum Abbatem sapientum consilio vindicem legit priscæ religionis & magnificentiæ restituendæ; qui animi magnitudine Regis desiderio non impar, hoc auxiliare decretum à Conrado tulit: quo excellens erga Fuldensis nominis & salutem & gloriam, Rex ille studium professus est.

Conradus rex ablata à vasallis & iniquè per-nasa redhibēda curat.

Præceptum Chunrardi Marquardo Abbati traditum.

In nomine Domini. Chunrardus diuinâ disponente gratiâ Romanorum Rex, & Aduocatus pacificus. Cunctis fidelibus liquet, quantâ sollicitudine & curâ, Dei ecclesias & monasteria sacræ religioni dedita, ex quo Dei nutu regnare cœpi, complector & intueor; & quæ ab antecessoribus nostris Imperatoribus & Regibus Deo & Sanctis oblata, semper seruare atque defendere paratus & promptus sum. Vnde notum esse volumus cunctis nostris, Christique fidelibus, quæ nostris temporibus circa Fuldensem Ecclesiam, regalem & principalem totius Germaniæ Abbatiam, Domino mediante peracta sunt; quo modo eam inuenerim, & quo modo reliquerim. Cùm enim, peractâ expeditione, quam contra Paganos, Christi & Ecclesiæ totius suscepi inimicos, à ciuitate Domini Ierosolymâ cum pace essem reuersus, inueni præfatam Fuldensem ecclesiam omnibus modis disturbatam, multorum insidiis prædonum expositam, eò quòd oues pastore orbatæ erant, & luporum insidiis faucibusque patebant. Is enim, quem Abbatem anteà reliqueram, & omnibus ecclesiæ rebus legitimè præfeceram, ab Apostolico domino Eugenio, accusantibus eum cunctis fratribus, auditus, Treuiris depositus est. Fratres præfatæ Congregationis, cùm inter se de alterius electione discordarent, sano consilio habito, medium me sibi fecerunt, & omne consilium mihi imposuerunt; quorum pium desiderium videns & considerans, æstimaui iustum & dignum, succurrendum loco; & mei iuris esse, vt prouiderem tam fratribus quàm toti familiæ. Accitis interim religiosis viris & Deum timentibus, habui consilium, vbi talem inuenirem virum, per quem regulariter & honestè secundùm Deum, & secundùm mundi cultum, Fuldense regere possem monasterium. At illi, consilio inter se habito, obtulerunt mihi venerabilem & perfectum virum, Dominum Marcuuardum, omni reli-

Conradi erga Ecclesias & Monasteria fauor.

Fuldēsis Abbatia regalis & principalis totius Germaniæ.

Eius status sub Cōrardo.

Regis circumspectio in Abbate nominando.

[illegible] mar- [illegible]tur.

*religione & regulari consuetudine apprimè imbutum. Quem statim, cunctis fratribus cum gaudio accurrentibus, tam loco quàm omni populo præfeci; & non post longum tempus, cum litteris nostris Romam ad Eugenium Papam sublimandum & promouendum, cum duobus Episcopis Basiliense & Constantiense direxi. Qui susceptum eum, clementer atque benignè tum propter nos, tum propter honorem Fuldensis loci, promotum, sublimatum, infulatum, cum priuilegiis ceterisque honoribus, debitè sibi pro loci honore impensis, cum gaudio ad nos remisit. Quem rursus susceptum, condigno honore postmodum habui commendatum, credens pro certo, eum in omnibus eidem Monasterio vtilem esse futurum. Cui primùm in mandatis dedimus, vt omnes villicationes à laicis reciperet, & per Præpositos suos, viros honestos & religiosos, officia dispensando disponeret. Postmodum verò ei in omnibus, propter Deum & loci honorem, adhærentes, ab omnibus curis & sollicitudinibus, etiam & à quibusdam insidiatoribus absoluimus, securi de eius industriâ & probitate, quòd tam interiùs quàm exteriùs Dei opus sit expleturus. Auditis autem quibusdam primi sui negotij impedimentis, id est, quòd tam ministeriales, quàm homines sui, plus multo de bonis Monasterij sibi adiacentibus diripuissent, quàm in legitimo suo beneficio haberent; iterùm venimus ei in auxilium, præcipientes, vt nullus ei esset molestus, vél contrarius, in his quæ ad iustitiam & vtilitatem Monasterij spectant. Nos ergo, propter religionem & reuerentiam viri, inclinatum semper ad eius petitionem habentes animum, perfecteque cognoscentes, animum eius totum in hoc esse, vt non solùm res Monasterij dispersas congregare, congregatas studeat conseruare; verùm etiam pro iustitiâ & pro honore loci eius, ipsam vitam velit impendere; suggestioni eius pium & deuotum, quamdiu superuixerimus præbebimus assensum: ob diuinũ amorem, prædictum Fuldense monasterium, cum rebus & hominibus, & cum omnibus ad se pertinentibus, in nostrum * Mundiburdium, & in ius nostræ defensionis suscipimus, & nostræ protectionis munimine solidamus, tali sub interminationis conditione, vt nullus iudex, vel aduocatus, vel comes, seu quilibet ex iudiciariâ potestate, in ecclesiam aut villas, aut loca vel possessiones, quas moderno tempore infra regnum nostrum præfatum possidet Monasterium, vel quæ deinceps diuina pietas adauxerit, ad causas iudiciario more audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones faciendas, vel seruos aut colonos distringendos, nec vllas redhibitiones, vel*

Regis consilii de œconomia bonorum Monasterij.

Cupiditas ministerialiũ & clientum castigata.

Marcuuardi elogium.

* Mundiburgum. i. protectio.

Exigere fredum Constit. Caroli Magni. i. pœnam aut mulctam.

vel illicitas occasiones requirendas, nostris futurisque temporibus ingredi audeat, vel ea quæ memorata sunt, exigere præsumat. Liceat ergo Abbati totam sibi subiectam familiam regere, & res facultatesque ecclesiæ suæ, sub nostrâ defensione possidere; decimas sibi auctoritate Apostolicâ concessas, accipere, nec laicis eas in beneficium præstare. Et quidquid de supradictis rebus ius fisci nostri poterat exigere, pro æternâ remuneratione, præfato Monasterio & fratribus ibidem Deo seruientibus conferimus. Habeat ergo Abbas Fuldensis monasterij, tam ex nostrâ quàm ex antiquorum Regum donatione, potestatem, telonia & monetas ac vectigalia reditusque bonorum, simul cum decimatione per suos Præpositos & dispensatores tollere, & in vtilitatem suæ ditionis redigere, propter ædificia facienda, & lapsa reparanda, hospites & pauperes ac peregrinos, secundùm præceptum Regulæ, suscipiendos ac recreandos. Quicumque hoc nostrum Imperiale, & Apostolicum præceptum violauerit, iuxta sententiam Zachariæ Papæ, ceterorumque Apostolicorum, qui venerabile hoc Fuldense monasterium suis priuilegiis confirmauerunt, excommunicandus erit, &c.

Regalium munera.

CAPVT XVIII.

Marcuuardus Abbas conditor Fuldæ ciuitatis, restitutor & amplificator ecclesiæ Fuldensis.

VIRTVTVM & meritorum ipse sibi præco fieri coactus Marquardus, dum, quò ne præsentes posterive beneficentiam ab se præclarè habitam, obliuione aut aliis causis dissimularent, beneficia numerato scilicet appendit. Nam & has siue rerum asperitates, siue communium temporum casus ipse subiit, vt cùm fluctibus inuidiæ & inimicorum maximis caput obiecisset, quò in tranquillum Ecclesiæ res fortunasque adduceret, denique in ipsummet iniuriæ procellæque vis redundaret. Videtur autem viri, imò sapientissimi & cordati Præsulis mens, spirare etiamnum, in hoc monumẽto; cuius tamen ossa potiùs, non colorem & sanguinem dictionis, quem hæc ætas ignorauit, æstimes censeo: & ne modestiam requiras, eius Epitaphium præfigo; quod inter Abbatum conditoria lapidi insculptum legitur:

OBIT MARCVVARDVS ABBAS X. KALENDAS AVGVSTI.

QVEM TEGIT ISTE LAPIS, IVSTI MONVMENTA LABORIS
SI DEDIT ILLE TIBI, FVLDA MEMENTO SVI.
ARBITER AETERNVS, QVI CORDIS PERSPICIT IMA,
QVO FIANT ANIMO, SINGVLA FACTA VIDET.
VNDE QVOD HIC FECIT, POSTQVAM DEVS EVOCAT IPSVM,
NON HOMINIS MERITA IVDICET ALTER HOMO.
AVXILIO POTIVS, CARI SVCCVRRITE FRATRES;
VT SIT EI REQVIES ET SINE NOCTE DIES.

Gesta Marcwardi Abbatis de seipso res suas & merita in Fuldensem ecclesiam exponentis.

In nomine S. Trinitatis, & indiuiduæ vnitatis. Ego Marcuuardus Dei gratiâ præordinante, humilis sanctæ Fuldensis ecclesiæ dictus minister, omnibus Christi, suisque fidelibus gratiam & æternam salutem in Christo. Nouimus non esse nostri iuris, propriam commendare personam, cùm scriptũ sit: Laudet te os alienum, non tuum. *Sed quia, Deo iubente & annuente, ex purâ conscientiâ loquor, audienda sunt, quæ non solùm ad commendationem, sed etiam ad defensionem mei depromo: ne fortè ea quæ bonâ intentione feci, aliquidetractores operum meorum in sinistram partem deriuent; & fiat illis in scrupulum perditionis, quod factum est à me simplici ex corde, pro defensione mihi creditæ ecclesiæ. Igitur, ex quo primùm intraui per Domini gratiã, & Regis Chunradi vrgente imperio & fratrum, totiusque huius plebis compellente electione, cœpi tractare, quomodo Deo adiuuante, iam desolatam hanc, & ferè ad nihilum redactam Ecclesiam, ab inuasione & direptione quorumdam possem liberare. erat enim verè videre miseriam, quòd tam nobilis locus & ab omnibus fidelibus adamatus atque exoptatus, ad tantam negligentiam deuenerat, vt non esset in omni apothecâ fratrum vel Abbatis, vnde possent fratres tam venerandæ Congregationis per diem sustentari. Nec mirum; nam laici habebant inter se diuisas omnes huius Monasterij villicationes; & quod volebant, *retinebant; hac inquam occasione, maxima distractio primùm facta est huic ecclesiæ. Nam quicumque laicorum, aliquanto tempore habebat inter manus villicationem huius Abbatiæ, optimos exinde sibi excepit mansos; eosque pro beneficiali iure in suos hereditauit filios, ita, vt ali-*

Marcuuardi ingressus.

Fuldēsis Ecclesiæ status calamitosus.

Ex laicorum rapinis & improbitate.

* retinebant,

Vasallorum infidelium cupiditate, &

qua villicatio plures amitteret hubas, quam retineret; & villicatio, quæ debebat seruire in Monasterio ad XIV. *dies, vix septem* [* dulus] *seruiret fratribus; & quæ septem, vix tres dies, vel prorsus nihil seruiret fratribus. Erat è regione, altera, & multò intolerabilior miseria. Principes diuersarum regionum sumebant sibi de adiacentibus Ecclesiæ bonis, quantum sibi bonum videbatur; & habebant sibi, quasi pro beneficio, nullo eis prohibente vel contradicente. Qui autem pauperiores erant, faciebant sibi noualia & villas in nemoribus, &* [* forestis] *forestibus S. Bonifacij. Quid dicam de familiâ Ecclesiæ, quæ vbiuis terrarum, in direptionem exposita erat, omni rapienti & dicenti:* Meus es tu; meus es tu, ego te in beneficium acquisiui. *Hæc & his similia, & multò maiora ac grauiora mala, vrgebant prædecessores, vendere & dilapidare vasa & vtensilia domus Dei, & dilacerare ac discerpere ornamenta Ecclesiæ, quando cogebat eos necessitas seruire Regiæ atque Romanæ curiæ; quia Abbatis totius vtilitas in laicorum manu posita fuit; &, si aliquis eis contradicere vellet Abbatum, ac iudiciali lege* [* i. consuetū] *placitum faciens, iustitiam ab eis exquirere cœpisset, ingeniosâ & callidâ argumentatione iuris sui, Lehenrecht nominant, anguis more de manibus elapsi, per anfractus sermonum sine suo discrimine effugiebant. Hoc ergo omne periculum, & Ecclesiæ mihi commissæ dispendium, præ manibus & præ oculis habens, cœpi mecum tractare, quid facto opus esset; præsertim, cùm mihi multæ nascerentur contrarietates & contradictiones, si quidquam horum mutare vel prohibere vellem. Primùm ergo consilium à Deo quæritans, totum me ei commisi, qui solet in periculis subuenire; & statim piè consolatus, in tantam mentis constantiam deueni, vt pro nihilo ducerem quamlibet aduersitatem; tantùm vt stans pro domo Dei aliquid possem prodesse in rebus requirendis & retinendis, seu recipiendis ab importunis & malis hominibus. Consilioque habito, ex auctoritate domini Papæ Eugenij, & præcepto domini mei Regis Chunradi, nulli hominum vel ministerialium meorum quidquam, nisi quod suum est, in beneficio præstiti. Ceterùm, si quid haberet ex inuasione seu ex rapinâ de bonis Ecclesiæ ad manus, contradixi; villicationes meas laicis interdixi; quas statim cum fratribus meis, & cum quibusdam rusticis, sicut mihi ratum & consultum videbatur, disposui. Vnde statim, quia prima coitio acerrima est, magnam contradictionem, etiam occisionem meorum, & oculorum excæcationem, & sanguinis effusionem, ob importunitatē quorumdam pertuli.*

Sed

Marginalia: Principum vicinorū inuasione. — Veteris thesauri sacri distractio. — Lehenrecht. — A Deo principium. — Prouida gubernationis exēpla, inter aduersa & suorum vulnera, & cum

Sed quid multis opus? Deus omnipotens, cui me & omnia mea commisi, ipse dedit meis miram & incredibilem victoriam de inimicis & hostibus Ecclesiæ; ita vt multis magnum quid videatur, quòd homo sine parentum adiutorio, aduena, & alienus in hac terrá, tanta potuit facere. Sed nemo miretur. nos enim Clerici, siue Monachi, si parentum insatiabilem ambitionem explere vellemus, non sufficeret nobis ad hoc quiuis cum Abbatiá Episcopatus; & tamen forsitan tepidè, nisi pro suo commodo adiuuarent nos. Sed de his dixisse sufficiat.

victoria fructu.

Affectus in consanguineos & in parêtes quàm noxius ecclesiis.

Ego Marcuuardus cœpi ædificare castrum Biberstein, non quòd conueniat Monachis nisi in Monasterio habitare, & spiritualia prælia exercere, sed quia mundus in maligno positus, nescit à malo cedere, nisi per violentiam ei resistatur. Cogitabam enim in animo meo; Ecce locus castri huius, si ab aliquo hostium Ecclesiæ fuerit deprehensus, omne malum nobis ingeretur; & non nisi magno detrimento rerum, & periculo hominum, eijcietur. Ex hoc cœpi illud possidere, & in vsum Ecclesiæ redigere, & cum fidelibus & monasterij honorem quærentibus militibus disponere; qui iuramento hoc confirmarunt, numquam se, nisi pro honore Monasterij & Abbatis, nec in morte dedere. Deinde castrum, quod huic contiguum est, Haselstein nuncupatum, propter latibula furum ac latronum, qui se ibi cum domino Gerlacho tutá statione occultabant, magno meo periculo & Ecclesiæ dispendio occupaui, & in defensionem bonorum Ecclesiæ, cum fidelibus viris possedi, & munitiones in circuitu disposui, villamque ac forum rerum venalium, in suburbio collocaui.

Biberstenium castrũ ædificat.

Bella cur à religiosis sumpta.

Militum & & priscorum nobilium animus erga Fuldens. Ecclesiam.

Haselsteiniũ castrum occupat & munit.

Porrò, vt eo familiarius mihi esset cum Imperatore & cum ministerialibus regni societatis contubernium, & si ingrueret bellum, ad eos nobis posset esse confugium, in castello regio Bemmelburg mœnia collocaui, & munitiones firmas construxi, & in ædificio illo, pro honore & defensione nostræ multùm laboraui Ecclesiæ.

Bemmelburgi castellũ mœnibus & munitionibus obuallat.

Et, vt per omnia bellorum pericula, locum ac populum nostrum in securitate & quiete habitare facerem, totam Fuldensium villam, muro firmissimo circumdedi, valloque & aggere firmaui, propugnacula locaui, portas ferratas ac seratas aptaui, & ipsum populum tam ædificiis quàm armaturis muniui, & ab iniustá iudicum oppressione eripui.

Fuldẽsi villa mœnia circumdas, eam facit ciuitatẽ.

Non solùm autem in exterioribus curis ædificiorum occupatus, propter Dominum & propter honorem loci, & pro animarum atque corporum defensione, quantum potui laboraui; sed etiam in interioribus, id

Sacra fabrica templi,

Turrium,

Fontis,

est in restauratione Monasterij, quantum desudauerim, notissimum omnibus cernentibus esse poterit. Nam tectum Monasterij ex plumbo priùs factum, sed vetustate collapsum, redintegraui & adauxi, campanarium ex optimâ quadraturâ construxi.

Aquæductus.

Videns etiam quia fons aquæductus, antiquitate & vetustate defecisset, & fratribus nostris ad ablutionem manuum, difficilem aut rarum, immò nullum interdum præberet meatum, habiles canales adaptaui, & per plumbeas arundines meatum fontis constantissimè reparari feci; vt numquam amodò deficeret aqua ebulliens, ad manus singulorum fratrum sponte recurrens; ex quo etiam aquæductu, fontis venam in curiam meam deriuaui, & lapidem grandem, multo labore per muros vrbis inductum, repleui. Hæc de ædificiis & munitionibus sufficiant.

Saxum id immensæ magnitudinis, inde in ciuitatis penetralia deuolutum.

Prædia & villæ recuperata.

Ministeriales ecclesiæ.

Sed, vt redeam ad primam ingressionem prouidentiæ meæ; ex quo tempore diuino nutu cœpi regere Fuldensem ecclesiam, semper fui intentus ac sollicitus, qualiter bona Ecclesiæ nostræ à diripiētibus requirere possem, & per Dei voluntatem, quantum potui, profeci in eodem hoc negotio. nam omnes villicationes circumiens, & sollicitè inquirens, inueni tandem per fidelium indicia virorum, quantum vbique distractum sit; deinde paulatim, per singulos ad hoc negotium accedens, pauca de multis requisiui. omnes enim distractiones requirere minime potui, quia omnes ministeriales ecclesiæ assistebant sibi, omnes sua quærentes, non quæ IESV *Christi. Verumtamen in singulis villicationibus aliquid obtinui, in aliquibus autem plus, in aliquibus verò minus; ita tamen, vt paucæ sint villicationes, in quibus mansum vnum aut duos, vel tres aut ampliùs obtinuerim Ecclesiæ. Postmodum verò, inito consilio cum plebe seniorum, ex fidelissimis de familiâ Ecclesiæ viris, circum perlustrando terminos finium, tam siluarum quàm agrorum, pratorum atque camporum, reperíque sic, ac requisiui cum populari circuitione, quæ dicitur Landtleita, quamplures mansos, agros & prata, siluarum quoque marchas, campos & terminos, antiquitus iniustè detractos. Molendina quoque seu loca molendinorum iniustè detenta, piscationes etiam & aquas, aquarumque recursus iniustè deriuatos ab antiquâ statione, requisiui. Hæc omnia cùm requisiuissem, & ecclesiæ Fuldensi cum multo meo labore & periculo obtinuissem, cœpi multo tempore mecum sollicitè pertractare, qualiter ex his bonis, quæ requisiui, Deo & S. Bonifacio potissimum seruitium, & fratribus meis vtilissimam*

Terminorum aut limitum peruestigatio per inspectionem, quæ Landtleita.

Marcuuardi pietas & compassio erga suos cœnobitas.

ac necessariam consolationem, compararem. Misit ergo Deus in mentem meam, vt cogitarem de fraterná compassione, quomodo videlicet fratres nostri, cœná per totum annum carerent: dixique in corde meo, quo modo, Deo auxiliante, aliqua de multis à Monasterio distractis rebus requisiui, volo à Deo in fratrum necessitatibus impendere; forsitan Deo propitio, plura pro his & ampliora prosperabuntur in manibus meis. Dedi iterùm ex his quæ laboribus meis requisiui, fratribus nostris in supplementum cœnæ, de molendino in villá quæ dicitur Bremen, solidos V. *de duabus hubis Liedorum in eádem villá talentum & I. solidum, &* XXX. *caseos. Ista reddiderunt mihi Boppo & Hertwicus fratres de molendino in Rasdorf; de Setzelbach, de Husen, de Haselaha, de Vffhusen, de Grossenbach, de Dasftaha, de Neüstad, de VVisenfels, de singulis aliquid.*

Abstinentia à cœná per totum annû.

Denique ego Marcwardus Dei gratiá sanctæ ecclesiæ Fuldensis dispensator ac prouisor, cœpi considerare, vt non solùm in maiori ecclesiá, verumetiam in aliis mihi commissis cellis ac præposituris, inter fratres meam æternaliter præpararem commemorationem; vt, si quando obirem, fratres ex meo labore consolationem haberent; & eò libentiùs, & deuotiùs, ac studiosiùs, Deo optimo animam meam commendarent. Primùm ergo fratribus in Biscofesberg, mansum vnum in Sibigeldes contradidi; decimationem etiam in villá Fruenleibes. Mansum vnum in villá Rodegastes, pro alio manso in Herbrachterhusen contradidi. Aream vnam in villá nostrá, à Tragebottone solui; & eamdem B. Mariæ contradidi. Mansum vnum in Borslaha XVI. *solidos persoluentem, præfatis fratribus nostris in Biscofesberg in consolationem annuæ recordationis meæ obtuli, eo pacto, vt tertiam partem, id est, quinque solidos, fratres S. Michaëlis singulis annis in mei cõmemorationem suscipiant. Porrò Præpositus S. Michaëlis vnà cum fratribus hoc obtinuerunt, vt eumdem mansum in Borslaha pleniter obtinerent, dato pro eo manso vno, in Broncellá tantundem persoluenti. Quo itidem manso suscepto, fratres de Biscofesberg, commutauerunt cum eo quoddam molendinum, inter portam & Ruenbach situm, à Gerlaho ministeriali, & filio eius Cunrado. Item ego Marcuuardus, pro remedio animæ meæ, donaui & contradidi fratribus de S. Ioanne, & de S. Andreá in nouo monte, prædium vnum in Rutchares, ad censum* XIIII. *solidorum; eo tenore & pacto, vt suæ necessitatis & vtilitatis consolationem inde agant; & mei tam viuentis, quàm defuncti memoriam*

Mariani mõtis monachos vocat, fratres in Biscofesberg.

S. Michaëlis.

S. Ioannis & S. Andreæ.

S. Petri.

continuatim celebrare, satagant. Fratribus quoque de S. Petro, qui sunt in Hugesberg, ego Marcuuardus sanctæ Fuldensis ecclesiæ humilis minister, pro remedio animæ meæ obtuli & contradidi in oblationem & annuam consolationem, hubam vnam in villâ Sandolfes, VI. solidos persoluentem; quam posteà, cum aliâ hubâ in Leles commutaui; & eamdem hubam in Leles S. Petro, & fratribus nostris ibidem Deo famulantibus, deuotè donaui, eâ conditione, vt mei perpetuò sint memores in orationibus suis . . . .

Hic quidpiam in fine desiderari, v. g. scripti clausulam, satis apparet.

Hæc aliaque promptæ liberalitatis in suos Marcuuardus argumenta, in commentariolo suorum Actorum, exequitur; quem ad cognoscendam animi magnitudinem Præsulis ad vnguem facti, non modò libentes accipient posteri, sed amplectentur oblatum, liberè dicam, velut ab ipso rediuiuo Marcwardo; cuius vt memoriam in Antistitum animis ipsis hærere optandum est, ita cum illius laude nomen itidem eorum coniungi.

Feuda ab ecclesiis erecta concessaq́.

Feudor. lib. & L. Titius 3. ff. de obseq. à lib.

Porrò, quod hîc Marcuuardus de amissis Monasterij fundis & re familiari, clientelæ prætextu, sanè multùm perturbatè, litteris tradidit, id aliam in partem vtibile quidem, sed iis, vt in memoriam sæpè reuocetur dignissimum censeo, qui, cùm opes, amplitudinem, gloriam, illustribus Ecclesiis & Monasteriis debere se, non obscurè fateantur, persuasum tamen cupiunt posteris, hasce copias rerũ, beneficiaque, non tam ab Ecclesiæ beneuolentiâ, quàm à suorum maiorum beneficentiâ, profici-sci. Atque ita dubitare iam ipsi incipiunt, plúsne Ecclesiæ ipsis gratiæ, quàm ipsi Ecclesiis obsequij, pręstare debeãt. Quæ quidem opinio, siue ob antiquitatis ignorationem, siue legum sacrarum & iuris inscitiam, hominum animos peruasit, numquam tamen efficiat, vt ambigi possit, quin à potentissimis Regibus, cùm Ecclesiæ in hac Germaniâ nostrâ complures aliæ, tum hæc Fuldensis exstructa fundataq́; sit; quæ quidem à discrimine numquam propiùs abfuit, quàm cùm opibus plurimùm abundauit. Sed, quia tamen de rebus Ecclesiæ & Monasterij alienandis, leges à maioribus latæ plurimùm olim viguerunt; & ea, quæ religiosissimâ donatione quæsita, possessa, integra parentes in filiorum manus tradiderunt, ecquis infitietur, extitisse tempus, cùm opibus fortunisque suis Ecclesiæ probè

Fundationũ origines, à primis Christianitatis Regibus potissimùm arcessuntur.

Extr. in 6. & Clement. de rebus ecclef. c. Prædia. c. Non liceat. cũ c. seq. 12. q. 2.

probè inſtructæ, alienam potiùs inopiam ſubleuarent, quàm acceſſiones harum rerum à priuatis hominibus conquirerent, vel exſpectarent? Itaque non priùs exuere ſe ipſæ, & potentiâ minui cœperunt, quàm ſeruitutem experiri, & vim iniuriamq́ue pati, contigit. Nam vbi virorum armorumq́ue faciendum certamen fuit, & interdum, hoſte omiſſo externo, parentes ſuos auſi ſunt ipſi infeſtare liberi, religioni non multum, at cupiditati & licentiæ, næ datum eſt plurimum. Hinc ſuas etiam habenas & fræna tandem leges remiſere; vt, quod anteà licere nolebant, ſponte, per hanc neceſſitatem, Prælatis concederent; quí, ad Beneficiorum liberalem erogationem, *Infeudationem* nuncupabant, tunc deſcendere demum coacti, cùm aliter Eccleſiæ, vel à tyrannis laceſſitæ, vel potentiorum ſeruitute oppreſſæ, aduerſus horum machinationes fraudéſque conualeſcere, & vitam ac dignitatem retinere ſuam, non poſſent. Atque ita tandem euênit, vt in Clientes & Vaſallos, non dico fundorum & culti incultiq́ue ſoli fructus ampliſſimi redundarent, ſed conuentuum, oppidorum, arcium, tribunalium iura & vectigalia viris illuſtribus & fortibus non rarò quoque cederent; eaq́; re fieret, vt neruis Eccleſiarum vel præcipuis exſectis, ſæpè ſolutam ac mirè debilitatam ad poſteros potentiam illæ tranſmitterent. Non longè abiero. Fridericus Imperator, qui non copiis & armis tantùm, ſed arte ingenioque ad Eccleſiæ labefactandam auctoritatem, quid non molitus eſt? Geilhuſanis comitiis, diurno hinc itinere, ad annum circiter MCLXXXVI. celebratis, in frequenti procerum conſeſſu, rerum hæc dominia, eorumq́ue origines luculentè prodidit; cùm Vrbani Pontificis moderationem & cenſuram, ſuper decimarum occupatione, & aduocationibus Eccleſiarum, oppugnauit, ſed ita, vt ſuo cauſſam propriam gladio iugulaſſe viſus ſit. De decimis itaque fatetur, *eas non laicis, ſed iis, qui altari deſeruiunt, merito deberi; vt primitus à Deo,* * *Sacerdotibus & Leuitis ea quidem conceſſæ ſunt; ſed, Chriſtianis tamen temporibus, cùm eccleſiæ ab hoſtibus infeſtarentur, præpotentes ac nobiles viros eas ab eccleſiis in beneficio accepiſſe, vt hi, earum defenſores, ceteras res tuerentur; quas alioqui ipſæ conſeruare, vel obtinere non poſſent.* *Quòd verò Vrbanus etiam iniquum eſſe pronuntiarit, vt in prædiis*

Eccleſiarum facultates quando imminutæ.

Clem. 1. tit. de alien. c. 1. Extr. de pignoribus.

Infeudationum vſus.

Arnold. Abbas Lubec. Sclauorum Chron. lib 3. c. 16 17. 18.

Geelhauſana Comitia.

* *An iure diuino, an eccleſiaſtico, quod certius quidem, inter Theologos & DD. Canon. quæſtio.* 16. q. 7. c. Maiores. & DD. in cap. Tua nobis. de decimis.

prædiis & hominibus ecclesiarum, laici pro aduocatis se gererent, velletque, sicut liberâ voluntate, siue donatione Imperatorum, vel Principum essent fundatæ, ita à Prælatis tantùm ipsis res ecclesiasticas liberè dispensari, huic iustissimæ Vrbani sententiæ, opposuit illud modò, quod longa dies in consuetudinem vertisset, haud ita facilè mutari, aut aliorsum iam flecti posse. Sed fortiter Conradus Moguntinus Archiepiscopus, negotium id difficilius esse tum ibi ostendit, quàm quod, Vrbani posthabitâ sententiâ, Comitiis illis definiri posset. Fridericus interim suo rarò contentus fastigio, cùm summæ sedis clerique libertatem conuellere non desinit, exemplo magno omnium qui Christi patrimoniis insidiantur, ex arbore tamquam ramos concerpsit ille quidem, sed his diffractis, vnà tandem cum ipsis è summo decidit.

Friderici I. in ecclesiæ libertate oppugnandâ infelix successus.

FVLDENSIVM ANTIQVITATVM LIBRI IIII.

ARGVMENTVM.

IPSA *ſatis epigraphe pro libri argumento loquitur. Continet ſeriem Abbatum, temporibus & annis diſtinctam: in quâ labor ſumptus haud vulgaris, ob confuſas alibi vel penitus obliteratas ætatum notas. Ordinem quoque vacillantem eſt ubi regit & corrigit. Neque nudâ contentus eſt enumeratio e nominum, ſed inſtituto chronologico carptim nec indiligenter tractat, quæ faciunt ad hiſtoriam, vel notitiam priſci ſtatus. Nec diffundere tamen ſe voluit, ubi potuit, ne laborem detereret; nec efferre ſe audaciùs debuit, ne amitteret irritando creſcendi copiam.*

CHRONOGRAPHIA ABBATVM ECCLESIÆ FVLDENSIS.

Acta MS. & edita, Candidus, Marianus Scotus, Sigeberti Chronic. &c.

SANCTVS STVRMVS, vel STVRMIO, primus Abbas Fuldensis, & Saxoniæ Apostolus. *Cœpit 744. Præfuit 35.*

Tertio anno sacerdotij solitudinem eremita incolere cœpit, anno Christi DCCXXXV.

Nouem in hoc genere vitæ positis annis, Monasterium inchoauit DCCXLIV.

Anno IV. instituti Monasterij Cassinum adiit, DCCXLVIII.

Saxoniam doctrinâ & vitæ exemplo Apostolus illustrauit, à condito Cœnobio circiter anno decimo, Christi DCCLIV.

Saxonum incursio, quæ Sturmionem exportare S. Bonifacij ossa coëgit, annum attigit DCCLXXVIII. vel sequentem; qui Sturmi supremus fuit.

Eius innocentiâ calumniis improborum vexatâ, surrogati, modico tempore, duo,

MARCVS
&
PREZOLDVS } Abbates.

Qui, redeunti Sturmioni loco dato, habiti successores non legitimi. Sanctè, vt vixit, ita mortem obiit Sturmio XVII. Kal. Ianuarij. Anniuersarium enim obtigisse sancto Sturmioni diem martyri Ignatio sacrum, Ægilis instituto, Candidus auctor est; & translatum à citeriore in proximum diem; puta XVII. Decembris, qui transportati Româ martyris Ignatij Antiochiam versus, memoriam retinet. Maioribus item, XII. Kalendarum Maij, (an fortè ob exuuiarum eius

eius aliquam tralationem ?) festum ei esse placuit. Annus
Desiit 779. obitus Mariano DCCLXXIX. Sigeberto posterior. Condi-
tur in primario cœnobio.

Cœpit 779. Præfuit 22. II. BAVGOLFFVS, Adriani Pontificis clarus gratiâ litte- *MS. Annal. Franc. edit. Pithœi. Marian. Lambertus, &c. MS.*
risque; à quo maiorum priuelegia, sanctiore iure confirma-
ta, retulit. Eius memoriam propagasse creditur aliquo te-
nus Monasterium Wolffmunster. Certè in Caroli Magni
donariis disertè locus exprimitur Baugolffo concessus, ex-
petenti cœnobitas aliquot aggregare; nomenque loco dant
Baugolffes-Munster. In montis S. Petri quoq; fastigio, Mo-
nasterij noui fundamenta molitus est. Gubernaculis excessit,
Desiit 802. iure an iniuriâ, anno Christi DCCCII. Nempe Francorum
Annales, ad id tempus de illo: *Baugolfus Abbas Fuldensis Cœnobij, relictâ, quam habuit, potestate, Ratgarium successorem accepit.*
Superfuit honori annis omnino tredecim, diem suum fun- *VVolffmunster, hodie pagus nobilis à Thungen.*
ctus Christi anno DCCCXV. sepultus in sui nominis Mona-
sterio; quod tractus Hamelburgici quampridem licet abo-
litum, nomen in aliquo tamen pagorum retinet.

Cœpit 802. Præfuit 15. III. RATGARIVS, qui vulgò Raitger, nobili in Germa- *Candidus Fuldens. Annal. Francorum & MS.*
niâ satu, S. Sturmionem educatorem habuit. Inde lubrico
sibi quidem, at publicæ rei non pœnitendo culmine, hono-
rem Abbatis obtriuit, vt copiosiùs suo loco exequuti su-
mus. Ad causam dicendam accusatione domesticorum pro-
tractus, pio magis cœnobitarum calore, quàm suo magno
Desiit 817. merito, magistratu excidit; & in B. Virginis monasterio
vitam priuatam laudatus exegit.

Cœpit 818. Præfuit 5. IV. ÆGIL origine Noricâ S. Sturmionis propinquus, *Candidus MS.*
Monasticis institutis assuefactus hîc à puero, Luduici Imper.
fauore, & congregationis totius summâ voluntate, Ratgario
surrogatur: ob egregia, quæ meminimus opera, animique
Desiit 822. præstabilis virtutem, immortali gloriâ dignus Abbas.
Eo gubernante, percelebris Fuldæ basilica S. Bonifacij *Inscript. & Chronic. Fräcorum MS. priuata.*
surrexit; & anno salutis DCCCXIX. ab Heistulpho Mogun-
tinensi Archiepiscopo dedicata est, Kalend. Nouembris.

Mm 2 Non

Non præteriero, quod apud Candidum inueni, Ægilis Abbatis epicedium duplex; alterum hoc titulo:

Epitaphium Eigili Abb. ab Rhabano Abb. dictatum.

Ingrediens lector perparui domatis antrum,
Cerne legens titulum, nosceque fata viri.
Abbas iste fuit famosi nominis Eigil,
Qui iacet in tumulo, sed super astra manet.
Hoc quoque cœnobium rexit feliciter ipse;
Multaque facta bona ritè peregit ouans.
Martyris ergo sacra cum Præsule transtulit ossa,
Ac binas pariter has dicat ecclesias.
Posthæc alta petit, animamque ad sidera misit,
Corporis infirmi membra locauit & hic.
Huic quoque Hrabanus vilis successor, amando
Conscripsi hunc titulum. Christus vtrosque iuuet.

Alterum isto:

Versus quos ipse Abb. Eigil dictauerat sibi.

Abbas hic Eigil tumulatus sorte quiesco,
Qui dudum multis notus in orbe fui.
Hicque mea paruo clauduntur membra sepulchro,
Quod viuens ipse construere studui.
Damasi epitaphium hic expressum. *Hic Dominum exspecto, qui soluet vincula leti;*
Cum veniet, credo, surgere me faciet.

Rudulph. in eius actis Chonol. var j. Lambert. Hunsfeld.

V. HRABANVS, vt cælestis ingenij ornamentis, & immensitate scientiarum, sic administrandi ratione, & ea percolendi, quæ præclarè maiores inchoarant, clarum vti sidus inter Abbates emicuit. De ipso Sigebertus ad annum DCCCXXIV. *Rabanus Sophista, & sui temporis Poëtarum nulli secundus, fit Abbas Vuldensis; qui multa de sanctis Scripturis disseruit; qui etiam librum de laude S. Crucis figurarum varietate distinctum, difficili & mirando poëmate composuit, & Sergio Papæ sancto Petro offerendum misit.* *Cœpit 822. Præfuit 20.*

Anno Christi DCCCXXXI. vnà cum Brunone Abbate,

præ-

prænobilis ecclesiæ Fuldensibus vicinæ, & plurimùm disciplinâ fastigioque geminæ Hersfeldiæ, fundamenta iecit. *Hersfeldensis Ecclesia.*

Auctor celebris supplicationis, quâ Palmarum die, frequenti populo, in virginis Deiparæ montem procedere solet Congregatio festiuo ritu. *Supplicatio palmaris.*

Hinc inter Regum Luduici Pij liberorum media ciuilia arma, belli quoque tumultu intra fines Buchoniæ residente, conflictu partium, an sponte item suâ, se publico abdicauit, in Monasterio S. Petri, lucubrando, scribendo, pieq; viuendo, iners fallens otium. Verba sunt Lamberti veteris Chronographi:

Desiit 842. *Anno* DCCCXLII. *Luitharius expulsus est à regno, & Raban Abbas de Monasterio.*

An ob œconomiam litterati hominis minùs prouidam, ambigant omnes, qui vel à limine Rudulphi narrationem gustarint; & spernunt id vetera Abbatum acta: *Rhabanus,* aiunt, *postquam ecclesiam Fuldensem per* XX. *annos egregiè rexisset, relictâ quam habuit potestate, vltra Rhenum fluuium in regnum Lotharij se contulit. Post quem, quidam de fratribus Monasterij, si quo modo eum reuocare possent, mittuntur. illo verò renuente, Hattonem super se Abbatem constituerunt: Rhabanus autem, post dies paucos ad Monasterium veniens, cum concordiâ Abbatis, & fratrum eius, ad Orientalem plagam Monasterij, Montanus efficitur.* *Rhabani abdicatio.*

Depressa tantisper Hrabani virtus poterat videri, donec instar palmæ renitens, in sublimiora vel inuitus raperetur; anno quippe DCCCXLVII. cùm Otgarius Magontiacensis Archiepiscopus XI. Kalend. Maij naturæ debitum exsoluisset, Rhabanus V. Kalend. Iulij illius honores adiit. *MS. Chronic. & Annal. Francorum edit. Pithœi.*

Epitaphium sibi scripsit, quod in Moguntiacis suis quàm enucleatè Serarius noster expoliit; vbi & Moguntiæ in D. Albani sepultum ostendit.

VI. HATTO I. cognomento *Bonosus* & *Gloriosus*, Rhabani successor à Mariano Scoto, & monumentis priuatis, traditur; qui, vitio librariorum apud Lambertum, Waldo dictus. Quare & magno errore, quæ de Waldone Abbate & Vtone *Hatto dictus Lamberto VValdo, malè.*

ac Berengario fratribus eius Comitibus, Ratisbonæ gesta, Francorum Annalibus leguntur ad annum Christi DCCC-LXI. Waldoni Abbati Fuldensi, apud Lambertum asscripta sunt. Hattonis exordium conferunt in eumdem annum, quo Rhabanus factus Archiepiscopus, cui mox à dimotione successum tamen non videtur.

Fames. Dira fames illa, quæ Rheni oram anno DCCCL. fœdè diuexauit, & à Rhabano iam tum Moguntiaci Archiepiscopo præclaris est remediis subleuata, memorabile apud Fuldensem Grabfeldici tractus hominem, quæ penitissima Buchoniæ veteris regio, exemplum edidit; cùm inediȩ rabies, parentem in teneram prolem sic exacuit, vt maternis vlnis direptam, iam ventri paratam saginam haberet; cùm ecce, par luporum se sistens, ceruam ilicò captam pro sobole escam offert parenti, ceu Deus luporum improuisâ beneficentiâ hominis castigaret in viscera sua sæuientis immanitatem.

Anno DCCCLIII. Kalend. Septembris, basilica Bonifaciana furto vexata, ablato quod in thesauris magni pretij. Vt verò Ratgarius ac Rhabanus à Gregorio, eius nominis IV. Pontifice, Monasterij immunitates ac priuilegia sibi sanciri, sic eadem à Leone IV. amplissimis litteris instaurari posteris sibique voluit Hatto. Prudentiæ modestiæque famâ munus regendi cumulauit; collaudant in eo maiores, *& mansuetudinem Mosis & pudicitiæ decus immortalis.* Sed egenorum patrocinium, & pauperum curam, istarum neutri posthabueris. *Ego Hatto*, inquit, *gratiâ Dei Fuldensis Abbas, cernens paucitatem*

Portâ Monasterij hospitalis extitit. *prædiorum & decimationum, quæ ad portam Monasterij Fuldensis in honore S. Bonifacij,* &c. *pertinebant, ad sustentandos & refrigerandos hospites, & pauperes Christi, in quibus Christus suscipiendus est, non posse sufficere; Papam Leonem adiui, & Lotharium Imp. & cum auctoritate eorum, & permissione, ista prædia quæ subscripta sunt, ad recreandos prædictos hospites concessi.* Sequitur Catalogus complurium censuum & villarum, quæ tunc

Portarius. Portæ ac Portario in hos vsus sunt adscripta, & consensu cœnobitarum addicta. Nomen Portarij Portæque cum dignitate manet, res abiisse videtur. Hattonis quoque legitur hoc Epitaphium:

Plangat

Plangat Fulda suum, plangat pia Fulda patronum,
Hattonem magnum dotibus eximium:
Plangant cuncta suo fuerant quæ subdita fræno,
Hic quia cùm cecidit, spes sua magna ruit.
Ah ah, quàm vigili nouit satis arte mederi
Languori vario, qui nocuit misero.
Nunc vngens oleo, nunc purgans vulnera vino,
Morbida decidit, crescere viua dedit.
Prorsus iustitiæ nimio feruebat amore;
Fortia prudenter temperat acta super.
Huic tu perpetuam, lector, deposcito pausam;
Felix, vt mundo viuat in empyreo.

De eius obitu sic Francici vetusti Annales ad annum DCCC-
Desiit 856. LVI. *Decessit Hatto Abbas Fuldensis cœnobij, pridie Idus Apri-
lis: in cuius locum, per electionem fratrum & auctoritatem re-
giam ordinatus est*

Cœpit 856. Præfuit 13. VII. THIOTO, *vnus ex ipsis monachis.* Hactenus ibi. Atque Thiotonem allectum ex Monastici corporis cœtu, agnouit item Marianus Scotus; etsi tardior in eius assignandis primordiis. Magnificæ legationis munere Luduici Regis Germaniæ iussu functus, Luduicum nepotem illius in Italiâ, atq. eâdem operâ Nicolaum Pontificem adiit, anno DCCCLIX. à quo decessorum quoque suorum à sede Apostolicâ olim concessa beneficia priuilegiaque impetrauit.

Prona in subleuandis pauperum ærumnis suâ voluntate apud antiquos & *largifluæ pietatis titulum*, & *eleemosynarij* cognomentum tulit. In veteribus Abbatum actis hæc lego:

Studio Sibihgildi strenuissimi viri (Thioto *) sanctos martyres Antonium & Æonium Monasterio gloriosè aduocauit; & porticus inferiores adornans, ibidem eos honorificè condidit.*

Magistratus exitum Lambertus his verbis annotauit. *Regino Annal. Francor. & docum. MS.*

Desiit 869. *Eodem anno*, nempe DCCCLXIX. quo Lotharius iunior infamis diuortij cicatrice inustus, intra Italiam cum Optimatum flore periit, *Thiodo Abbas Fuldensis depositus est.* quam honoris amissionem haud vanè, præeuntibus veterum fœdis, Luduici & Caroli Regum certaminibus transscripsero; qui, *MS. Regem & eius iussa contemnens ostenderat.*

qui fraternis armis inter se de regno Lotharij post hac disceptarunt, alterutrius odio gratiaque, cadente Thiodone; qui & eodem anno humana reliquit. Et Carolo studuisse vel inde coïicias, quòd à Luduico Germaniæ Rege datus illi successor.

Iudex priuat. apud Bruschium.

VIII. SIGEHARDVS; quem Lambertus *virum religiosum* nuncupat. Talem probauit à volente positus honor, studiumque vitæ tranquillioris. De illo veteres: *Laudabiliter ac Rhabanicè Abbatiam gubernans, vitam suam suorumque monachorum, secundùm Regulam viuendo, nobilissimè rexit.* Thecam Euangelij auream lapidibus pretiosis distinxit ornauitque. Anniuersariam vitâ functorum memoriam celebrem condidit. Cœpit 869.

Ioannis Pontificis Romani eius nominis Octaui, qui anno salutis DCCCLXXII. sedere cœpit, auctoritate ac gratiâ, pristinos Monasterio suo honores restaurauit, qui veterum exceptionum litteras hac illi conditione sanxit, vt statis temporibus de Fuldensium cœnobitarum religione, disciplinâ, habitu, concordiâ fieret certior. Fuldam fluuium, quà latiore se hibernis imbribus fundit alueo, ponte strauit; qui pons, nostrâ memoriâ, primùm Reuerendissimi Wolffgangi à Milchling Abbatis, inde Serenissimi Maximiliani Archiducis Austriæ sequestratu, opere nouo atq. visendo refectus est.

Pons Fuldæ.

Ann. 1601.

Canit & antiqua historia, anno DCCCLXXII. Sigehardum, expeditione Sclauicâ, Luduico Germaniæ Regi strenuam operam fortemque nauasse, quando Carlomannus Luduici filius, Thuringorum & Saxonum agmine circumdatus, contra Sclauos, * Marahenses & Bohemos, Christianorum æternos hostes, bellum gessit. verba sunt: *Carlomanno missi sunt in auxiliū Arn. Episcopus* (Wirciburgi) *& Sigehardus Abbas Fuldensis, qui, quamuis fortiter hostes premendo pugnassent, plurimis tamen suorum amissis, cum magnâ difficultate regressi sunt.*

Annales Franc. Pithœi edit.

* Morauenses Sclauica pugna.

Anno Christi nascentis DCCCLXXIV. *Luduicus Rex Germaniæ Fuldam*, ait Lambertus, *orationis causâ venit.* Celebrem hunc accessum & honorificum extitisse cœnobio Fuldensi, attestatio docet Annalium publica. Francici quippe: *Rex Luduicus in hebdomade Paschali, Fuldense Monasterium petiit, causâ orationis.* Nec immunem venisse, ac Dei seruorum immemo-

Luduicus rex Fuldam venit oratum.

Annal. edit. Pithœi.

memorem, litterarum documenta produnt, quas apud Sighardum reliquit; quibusque aui Caroli & Luduici Pij patris exemplo, Monasterij libertatem vindicat, forensia onera ab eo dimouet, fisci vectigalia attribuit, eximias exceptasque possessiones vni cœnobitarum alimoniæ seruire decernit.

Inter Sigehardum quoque & Luitpertum Archiepiscopum Moguntiacensem lis perennis & controuersia, de decimis Thuringiæ intercessit. Quòd autem indices antiqui sex modò præfuisse Sigehardum annis volunt, id eiusdem argumenti diploma, ab Arnulpho Rege illi concessum, facilè redarguit. Quippe Arnulphus, patre Carolomanno, auo Luduico Germaniæ Rege procreatus, anno DCCCLXXXVII. magno procerum consensu, Carolo Crasso Imp. successerat. quo scilicet tempore, ab Arnolfo Rege, Sigehardo, more veterum, eligendi cooptandique vndelibet Abbatem, concessa facultas III. Idus Decembris, anno Dominicæ Incarn. DCCCLXXXVII. Indict. VI. anno primo regni D. Arnolffi piissimi Regis. *Actum Forcheim, curte regiâ, in Dei nomine feliciter, Amen. Ego Engelbero notarius, ad vicem Dietmari Archicapellani recognoui.* Habes antiquæ scripturæ fidem. & anni tamen, quibus præfuit, aut honore exiit Sigehardus, manent incomperti. Secessisse conuenit, suapte sponte, in monasterium montis S. Ioannis, atque ibi famâ nobili, obsequij Deo studiosiùs impensi, decurrisse vitæ spatia. Hinc magnifico funere, in maioris ecclesiæ conditoria relatus, vbi sepulchrale monumentum accepit; ex quo domesticus cœnobita, contra Chronica quædam Moguntina S. Iacobi, indicium facit, *non fuisse, quod inibi referebatur, Episcopum Hildesiensem.*

Forcheim Bamberg. Episcopi iam oppidũ.

Sigehardus vltrò se abdicat.

MS. Gloss.

Cæpit 874. al. 887.

IX. HVOGGI, qui Arnolpho Rege & Imperatore, huius item filio Luduico, & Conrardo, regnantibus, præclarè munus suum sustinuit, pace belloque spectatus, ac Principibus his à quibus ampla priuilegia & dona tulit, iuxtà carus.

vulgò Hugo.

Ei Arnolfus Rex Euangelij librum S. Bonifacij manu descriptum, præstans vtique Regum maiorum cimelium, tradidit, Fuldensis Ecclesiæ perpetuùm thesauris adscribendum.

Euangelij codex à S. Bonifacio scriptus.

Tutelam publico ei diplomate addixit Arnolphus, mo-

nachos, clientes, colonos, vniuersum corpus defensionis suæ patrocíniis ambiens, v.* anno regni sui. Eamdem filius anno Domini DCCCC. Hueggoni confirmauit, Aquisgrani, anno primo regni, Indict. III.

** DCCCXCII.*

Tribuunt eius regimini, quàm verè haud liquet, annos XXVI. In magnis tunc Germaniæ fluctibus, quos Pagani suscitabant, incolume Monasterium sollerti curâ conseruauit. Horum irruptionem, cælestibus ac humanis pariter præsidiis, fortiter prohibuit, ac vim barbaricam armis totâ ditione fugauit. D. Bonifacij tumulum, cælato auro & gemmis illustrauit; altare matris Dei, ornamentis mirificis, auro argentoque faberrimè compsit. Martyrum diuersorum gloriosa vel membra, vel corpora Eobani, Adelharij, Eugenij, Floræ aliunde adscita, structis aris, ad cultum reuerenter condidit. Decreuit circuitiones solennes, cœnobitis sub Crucis vexillo quaque Dominicâ frequentandas.

Paganorũ & Vngarorum incursus. — Templi ornatus. — Reliquia. — Processio.

Diem clausisse nonnulli volunt anno Christi DCCCC. quo & Luduicus Arnolfi filius regnare cœpit; sed hoc eodem anno, apud Triburias agentem, approbatione Luduici, nobiles in Wetereibâ possessiones, loco cui* Saltzafæ nomen, adeptum, codicilli testantur regales. Quin & ad Cunradi Regis æuum peruenit, illustre nactus ab illo super decimis, electione, & ceteris Monasterij exceptionibus, priuilegium; quod datum obseruauimus VIII. Idus Aprilis, anno Incarn. Dom. DCCCCXII. Indict. xv. regnante gloriosissimo Rege Cunrardo, anno I. regni eius. *Actum Fuldæ, curiâ regiâ, in Christi nomine feliciter, Amen. Vdalfridus notarius ad vicem* Pilgrini Archicappellani, recognouit.*

** VValtzaiæ. — Fulda curia regia. — * Colon. Archiepisc.*

Anno DCCCCVIII. Vngari tunc gens immanis & in Christianos sæua, Boiariâ & Alemanniâ proculcatâ, Thuringiam populatione flammaque vastant, hoc atque insequenti anno Luitpoldo & Burchardo Thuringorum Ducibus occisis.

Vngari Thuringiā vastant.

X. HELINFRIDVS, laudatâ morum integritate; muro firmioris operis Monasterio clauso, æde sacrâ cruce donatâ aureâ, gemmis & margaritis præfulgidâ celeber. Abbatis honore functum reperias annos XVI. menses v. sed extra temporum *Cœpit 913.*

porum

porum omnes metas, cùm vix tres ipsi annos accommodes.

Anno DCCCCXV. Vngari vastatâ igni ferroq; Sueuorum regione, Fuldam vsque penetrant. Et huic sanè tam luctuoso ecclesiæ vulneri, Helinfridum superi voluere superstitem. Testor namque Ioannis X. vetus diploma, insigni notâ temporum, quo Haichoni successori eximiam immunitatem de vetito feminarum ingressu, de summâ sacrati soli libertate, de verbi diuini semente, cuncta quæ poposcit, indulget: *Tibique fili dilecte Haicho*, inquit, *quia te benè eruditum & eloquentem virum esse nouimus, verbum Dei prædicare auctoritate S. Petri, & concedimus, & præcipimus.* Datum XIV. Kalend. Iunij per manũ Stephani Secundicerij S.S.A. anno, Deo propitio, Pontificatus domni Ioannis, summi Pontificis, & vniuersalis decimi Papæ, in sacratissimâ sede B. Petri Apostoli quarto, imperante Domino piissimo Augusto Berengario, à Deo coronato, magno Imperatore anno secundo, & patriciatus anno secundo, Indict. V. *Vngari Fuldam incursant.* *Compara cum Baronianis.*

XI. HAICHO, cuius gubernatio clarior Ioannis decimi eius nominis Pontificis & Henrici Regis litteris, quàm veteri memoriâ custoditis actis.

A Ioanne Indictione IX. quę Christi annum DCCCCXXI. trahebat, per manum Leonis Cancellarij, priscam immunitatem rei diuinæ à nullo hîc Antistite, nisi abbate volente peragédæ; ab Henrico verò, in Alsacio donatione sancitâ Indict. XI. id est Christi anno DCCCCXXIII. tractu Buchonico, cui nomen Berrolfestat, feraces agros fundosq; frugiferos retulit, quos Rex, cùm beato Christi martyri Bonifacio Fuldam supplicatum venisset, inter orandum salubri instinctu oborto, se donasse dicasseque perpetuùm profitetur. Eo sedente, Fuldæ Conrardus rex cognomento Salicus honorificâ sepulturâ, quam viuus ipse sibi decreuerat, tumulatus est, anno videlicet Christi DCCCCXXIX. *Henrici Regis, qui dictus Anceps, donatio.* *Conradus Salicus Fuldæ sepelitur.*

XII. HILDIBERTVS, qui & Heribertus à probatis; sed perperàm Hildebrandus à fucci plebei scriptore, qui vulgato errore mentitur ad Romanam cathedram peruenisse, Mogun-

Mogunt. rerum l. 4. Regino, Marian. & alij MS. Marian. refert ad annum 927.

guntinam illum obtinuisse, non contentum; quam Lambertus ei tradit anno DCCCCXXIV. etsi procliuis ciphrę veteris mutatio, ex septenario in quaternarium; & septenario Marianus adstipulatur. Elogium eius an ex Witikindo retexam? at nihil operæ in triuio.

XIII. HADAMARVS, vir illustris expertæque virtutis auctu, & felicitatis opibus, dignitate Fuldensem ecclesiam immensùm extulit. Capit 927.

Monasterium Fuldæ, cui posthabet cetera Marianus, *magnifico opere construxit.*

Annum ingressus eius, scrinia perantiqua signant; ex quibus Leonis sexti breuiarium, quo per manum Nicolai Primicerij III. Id. Maij, anno Pontificatus primo, eadem Hadamaro priuilegio concedit, quæ nuper à Ioanne Haicho impetrarat. Leonem verò sedem Apostolicam iniisse tradunt anno salutis DCCCCXXVIII. Hinc cùm Henricus Auceps, memorãdæ virtutis Princeps, anno Domini DCCCCXXXVI. diem suum obiisset; Hadamarus, se suósque non deserens, per Marinum legatum Apostolicum, Ottoni filio successori, res fortunasque Monasterij commendauit, & locuplete scripto veterem auctoritatem retulit: quæ signata II. Idus Octob. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXVI. Indict. IX. anno regni gloriosissimi Regis I. Actum in Magdaburg. in Dei nomine feliciter. Amen.

Regino, Lambert. Marianus. *Conflagratio basilicæ. Restauratio & dedicatio. Marinus S. A. Legatus.*

Anno DCCCCXXVII. basilica Fuldensis igne exuritur; quę sumptuosis item impensis, Hadamari Abbatis studio, nouis operibus restaurata, & anno DCCCCXLVIII. Kalend. Nouembr. Indict. VI. Ottone Magno præsente, die Sanctorum omnium à Marino sedis Apostolicæ Legato dedicata est.

Otto autem, mirum, quibus beneficiis & muneribus ecclesiam Fuldensem ornârit, cumularitque. Nam & Luduici Pij donationem de scholasticorum alimẽtis confirmauit; & vllam munitionem, oppidum, castellum, in Monasterij fundis erigi, aut vectigalia seu teloniorum onera imponi, vetuit. Causas verò ciuiles, ab vno cognosci Abbate, & coram illo dici agíque voluit.

Huma-

Desiit 956. Humana reliquit Hadamarus, *Abbas*, vt aiebant maiores, *discretissimus*, anno salutis DCCCCLVI.

Cœpit 956. Præfuit 12. XIV. HATTO II. Hadamari ex sorore nepos. Is Româ aditâ, & Ottonis magni illustratâ coronatione, posteris notus. anno quippe Domini DCCCCLXII. Romæ cum Gunthario Herolfesfeldensis vicini monasterij Abbate, subscripsit Augustali donationi, quâ ecclesiarum principi Otto veteres opes ac dignitatem conciliauit. Et in priuatis documentis, Ioannis XII. diploma legitur, quo per manus Gregorij Scriniarij & Regionarij S. R. E. Hattoni priscarum immunitatum & exceptionum sancitur auctoritas, VII. Id. Octobris, Indict. VI. anno Incarn. Domini DCCCCLXIII. *Ottonis coronationi interest Romæ.*

Sed Hatto duodecim circiter in munere consumptis annis, Maguntiæ fit Archiepiscopus; hoc minùs secundâ famâ, quòd murium fabulâ triuiales & nouitij scriptores, eius clarissimo nomini hucusque illuserunt. At calumniæ vindicias exhibuit nuper Maguntiacarum rerum liber IV. *Desiit 968.* *Nicol. Serarius, l. 4. cap. 4.*

Cœpit 969. XV. WERHNER, qui & Werinharius & Wernerus aliàs; filius materteræ S. Vdalrici, conditor collegij an monasterij in Borslaha, Thuringiæ oppido, vbi magnifico adparatu ecclesiam exstruxit, porticibus additis, & cancellorum ornatu. Neque prædia facultatesque clericis seu monachis deesse voluit, aliamque supellectilem sacram, diuino cultui exercendo. Egregium etiam peristylon, ad Orientale latus ædis primariæ, tetragoni specie, ex quadris molitus est; addito exstructo regali sumptu oratorio; quod S. Vdalricum constat D. Ioannis Baptistæ memoriæ consecrasse. Visitur in Fuldensi sacrario opere egregiè elaborata crux, cui WERINHARY ABBATIS nomen insculptum. Extant Ioannis eius nominis XIII. Papæ luculentæ tabulæ Werenhario, per manum Leonis Secundicerij mense Decembrio, *Indict. XV. id est, salutis anno DCCCCLXXII. traditæ, super antiquis ecclesiæ Fuldensis priuilegiis. *Antiq. l. 2. cap. 13.* *Borslaha vel Bruslohum, Monasterium, & post Colleg. Canonic.* *Paradisus.* *Indict. V. *sed mendosè: iuxta Baron. XIV.*

Pertinax quoque Werenhario lis fuit cum Gosberto Hersfeldensi Abbate, vt & nuper sub Ottone, inter Hadama- *Gosbertus Hersfeld. Abbas.*

** Hurfilla cum Nesâ apud Isenacū in Thuringiâ confluēs, VVerrâ recipitur.*

rum & Haganonem antecessores, de nauigatione & vsu* Hursillæ riui, qui cursu in Lupensgowiam se conciribat. Arbitri dati secandæ litis, anno Christi DCCCCLXXVI. cum ceteris, Theodoricus Metensis & Hilteboldus Wormatiensis Episcopi. Ottonis Imp. beneficentiam cùm alibi sensit, tum in

Branfurst, vel Abtisvvald.

vasti nemoris, cui Branforesto vocabulum, vsu fructu, & extractis inde noualibus. Ceterùm Werhnerus in acie pro se-

VVerhner in acie cadit.

cundi Ottonis & gentis suæ gloriâ, aduersus Saracenos pugnans, óccidit.

Desiit 982. vel 983.

XVI. ERKANBALDVS Saxo, Beruwardi Hildesemensis Episcopi propinquus: ad eum Siluestri secundi scriptum diploma legitur pridie Kalend. Ianuarij datum, cùm iam tum annus DCCCCXCIX. exiret, quo libertatem priscam & exemptionem Fuldensi monasterio addicit. Henrico Claudo ineunte regnum, circa annum Domini MIII. aduer-

Capit 983.

Suinfordi Comes.

sus Henricum Comitem Swinfordi affuit; quòd is Cæsari rebellis, aduersæ factionis signa sequeretur. Rem gestam Dit-

L. 5. Chron.

Suinfordū ab vltimâ clade cōseruat Erkanbaldus.

Eila mater Henrici Comitis.

marus ita narrat: *Misit tunc Rex Henricum VVirciburgensem Episcopum, & Erkanbaldum Fuldensis cœnobij Abbatem, vt Swinfordi castellum incenderent atque diruerent. Quos aduentantes Henrici Comitis inclyta mater Eila nomine, vt tales decebat personas, suscipiens & salutans, vt præcepta intellexit regalia, perturbatur; concitoque cursu ad ecclesiam properans, ibidem ignis concrema-*

Henricus VVirciburg. Episcop. & Erkanbald. Seniores dicuntur honoris causâ.

tionem priùs sustinere, quàm hac comburente, viua vellet exire, testatur. Vnde Seniores præfati, ob Christi amorem, seculares postponendo timores, decretam mutabant sententiam; murosque vrbis ac ædificia solo tenus frangentes, tristem matronam his mulcebant promissis, si quando cum gratiâ Regis id fieri potuisset, hoc totum ex suâ parte se renouaturos. Rex autem, deuastatâ omni Comitis proprie-

Bamberga, tunc Babeberga.

tate, & cum beneficio latè diuisâ, ad Baueberg venit; ibique exercitu suo bonâ cum pace dimisso, natiuitatem Domini genitricis solennibus celebrauit gaudiis. Inde Erkanbaldus virtutis & prudentiæ

Archiepisc. fit Mogunt.

famâ ad altius culmen honoris ascendens, factus Archiepiscopus Moguntinus pro Willigiso, Christi Domini anno MXI. Sed procuratorio nomine etiam Fuldensem ecclesiam eum ad tempus retinuisse docet Terminorum descriptio, quos

quos rogatu Landonis Aduocati Comitis, filiíque, de nouo vestigari designaríque placuit, quo cum finitimis scilicet incolæ pacatiùs agerent. Itaque aduocationem Monasterij, ait, *in præsentiâ suâ circumduci, & determinari iussisse, quemadmodum sub Sigehardo decessore determinatam veraciter didicerat, à decrepitis & exhaustis senioribus adhuc in carne spirantibus.* Ceterùm hanc limitum constitutionem libro secundo exhibuimus. Obiisse autem Erkanbaldum anno MXXI. cum Mariano, vel vicesimo supra millesimum deuoluente, non ambigo.

Limitum inuestigandorũ ratio.

Cap. XIV.

Cæpit 1011. XVII. BRANTOHVS primus eius nominis, Dietmari monumentis iam clarus.

Cæpit 1013. XVIII. POPPO gente, vt volunt, Buchonius, Cœnobij Laurissæ S. Nazarij alumnus; & ex potente, nisi fallor, sæculi viro, ibidem electus Abbas. Id enim Dietmarum *Conuersi* nomine reor significasse.

Ceterùm ob veteris lapsæ disciplinæ dedecus, Fuldensi monasterio adhibente manus Henrico Imperatore, Branthous loco motus est; quem tamen Halberstadensem Episcopen adeptum, nec illaudatum, Trithemius in Hirsaugiensi Chronico esse voluit: *Nam Brando*, inquit, *claruit circa hæc tempora, ex Abbate monasterij Fuldensis decimus Episcopus Haluerstatensis, vir prudens & reuerendus.* Et, quia nihil ambiguum, vulgatos indices parum hîc, vti par, omnia conferere, sed, vt turbatis Monasterij rebus, & orbe conuerso, priscos cœnobitas, sponte se aduersum exteros quasi subsessores, silentio vindicasse, vbi non omniâ exploratò liquent, hanc veterũ tabularum fide classem repono: *Erkanbaldus, Branthous, Poppo, VVolckmarus, Bardo, Richardus.* Ac Popponem memorãt stirpe Grabfeldicâ, restaurandæ disciplinæ inchoatorẽ; Henrico enim Rege ad pristinam Monasticæ seueritatem reuocãdam assurgẽte, Erkanbaldus ad Moguntinam cathedram euectus; & amoto Branthoo, Laurissâ Poppo, cum nouis inde cœnobitis Fuldam euocatus est: cuius cùm successus & acta incomperta, probabile, malè coalescẽtibus diuersarum familiarum animis, moderatorem ex vicinâ Hersfeldiâ petitum

Fuldensis Monasterij inclinatio.

Reformatio.

Laurissa seu Laurishemium.

Bardo-

Bardonem; cùm id veteres libri non obſcurè teſtentur. Alioquin Abbatum acta peruetuſta, diſſimulato Popponis & Bardonis regimine, diſertè Erkenboldo ſucceſſorem dant Richardum; id quod non Dietmaro tantùm nobili ſcriptori, ſed etiam Chronico Lamberti bis repugnat. Hac tam inerti fractâ glebâ, caput rei perſequimur.

Anno MXIII. Henrici XI. Lauriſheimio profecti cœnobitæ Fuldam formandæ ac erigendæ collapſæ diſciplinę venerunt. quo tempore & Henricum minuiſſe veteres opes, mox auctiurum, & Branthoum cum alumnis ceſſiſſe Regis imperio, priua publicaque monumenta iuxtà conſentiunt. Chronicon inſigne, quod Francoſaxonicum appello, *Rex ſtultorum*, ait, *deprauatus conſilio, Fuldenſis monaſterij bona mirabiliter diripuit, dum ſibi fratrum vita diſplicuit; & , datâ occaſione corrigendi, inualuit poteſtas deſtruendi. Diffugiunt hac & illac vagantes, qui erant cœnobitæ iugum Chriſti ferentes. Ducentis & LXX. annis à Carolo primo eo loci Deo militabant; illis autem temporibus, prô dolor, ſpectaculum facti mundo, & ſibi dolori, & alÿs timori*. Idem Dietmarus Chronologiæ ſuæ lib. VI. ad eumdem annum: *Brantohus* (ſic reſcribo pro *Bronhag* vulgato) *Abbas Fuldenſis deponitur; & ſuccedente ſibi Poppone conuerſo, & tunc Lariſſemenſi paſtore; hoc Monaſterium, confratribus latè diſcedentibus, à priori ſtatu mutatur.* At Poppo, Cunigundem Auguſtam benemerentiſſimam in ſe ſuoſque expertus eſt; cuius rogatu, Henricus tum alia paſſim prædia S. Bonifacio, tum marcam Lupenzo vniuerſam aſſignauit, tractuſque nemorum immenſos ex eodem limite, Popponi donauit; probante Erkenbaldo Moguntiacenſi Archiepiſcopo, Arnoldo Hersfeldenſi Abbate, & accolarum primoribus.

Diſperſio veterum inquilinorum.

Marca Lupenzo aliáque dona Henrici Claudi, de quibus hic lib. 3. Adi & Donationem partis Odonicæ ſiluæ, vulgò Odẽvvaldt. in monumẽtis Lauriſhamẽſis monaſterij, Orig. Palatin.

Anno MXIV. cùm Romæ S. Henricus Rex Auguſtale diadema à Benedicto VIII. accepit, ortâ inter Romanos & Teutones ſeditione, qui auctores tumultus cladiſque ex Germanis extitere, pars aliis coërciti pœnis, *Hecil primorum quiſpiam ad Fuldenſe monaſterium amandatus*, intra latebras vitæ priuatæ retruſus eſt.

Hecil Fuldam relegatus.

*V Volckmarus, Diẗmaro, Abbas ſimul Fuldenſis & Lariſſamenſis.

Ditmar. Chron. l. 7. obiiſſe anno circiter 1059.

* Bardo

*Bardo *Hersfeldensis Abbas & Fuldensis ecclesiæ rector*; de quo in Chronico ilicò nunc citato ad annum MXXXI. *Ariboni Mogontiæ vir simplex & rectus Bardo Hersueldensis Abbas successit; qui, Deo prouehente, breui ad culmen summæ perfectionis feliciter processit; qui, propter dulcisonam prædicandi melodiam, Bardo Chrysostomus dicebatur.* Quo autem potissimùm tempore Fuldensi ecclesiæ operam suam commodarit, præcisè & velut intento digito monstrare haud facile.

Chronic. MS. Francosax.

Ceterùm, Bardone Moguntinæ sedis gubernacula tenente, Thuringiæ & Hassiæ principatus, qui iam inde ab Ottonis Magni æuo, Ducum veterum serie abruptâ, ab ipsis Archiepiscopis Maguntiacensibus, quibus illa regio terrarum cesserat, plurimùm administratus, conuelli carpique cœpit. Ac tenuibus quidem, vt fit in fluminum ortu, inde tamquam riuis ex fonte deductis agellis, queis ditionis præsidia tutelæque insisterent, exorti inde mox, occulto satu, Hassiæ Thuringiæque Landtgrauij. Par Comitum fratrum celebrant antiquæ litteræ, stirpe veteri Francorum, Hugonem & Luduicum Barbatum; qui, cùm domi præliis attriti, angustè & in obscuro rem haberent, popularibus suis Sueuis relictis, peregrè fortunas gloriamque adstructum iêre. Luduicus Cæsari hærebat Conrardo, cui à Gisilâ coniuge stirpis cognatione erat innexus. De Hugone tradunt, Erkenbaldo Archiepiscopo Moguntino placuisse aulæ obsequiis, & cùm homo pecuniæ locuples esset, dicere solitum, *nemini seruiturum se, nisi Fuldensi & Moguntinensi Principibus*. Verùm, cùm ne per filium quidem Wigmannum ipsi posteritatis & ampli patrimonij spem proferre licuisset, Luduicum tandem germanum, opibus egregiè cumulatum, maiore fastigio sustulit. Atque hic ille Luduicus, qui Bardonis Archiepiscopi, & Conrardi Cæsaris beneficiis, largaque fundorum orâ sufful-tus, & huius ecclesiæ Fuldensis liberali clientelâ deuinctus, primùm in Thuringiâ pro Moguntino Archiepiscopo *Vicedominatum gessit; inde, in Luduico III. nepote, Landtgrauiorum Hassiæ & Thuringiæ; in abnepote Friderico Luduici IIII. filio Comitum Zigenhainiorum illustre seminarium reliquit. clarâ nec dubiâ professione, gentem inclitæ stirpis, siue

Origo Landtgrauiorũ Thuringiæ & Hassiæ.

Hist. Lãdtgrau. Thuring c. XI. Siffridus ad ann. 1139. Chronic. Monaster. Reinardsborn.

Annales Landtgrau. Thuring. seu Chron. citat.

Priuileg. Conrardi Imp. datũ MXXXIX. Hist. Lãdtgrau. c. XI.

Luduicus Barbatus Thuringiæ Comes & vicedominus.

Lud. III. prim. Thuringiæ & Hassiæ Landtgrau.

* *Anno* MXXV.

Zigẽhainij Comites.

ſiue quæ antehac vixit, ſiue quæ nunc, & futuris annis ſequetur, vtriq. eccleſiæ, ni diſſimulare velit, ſanè plurimū debere.

XIX. RICHARDVS primus, gloriâ rerum geſtarum inter Abbates longè princeps. Lambertus, perperàm excluſis mediis, Branthoo inde ad annum MXXIII. ſucceſſorem dat Richardum: ſed vt Branthoum Bambergæ, vbi Natalitia Henricus Imp. celebrabat, pro Arnulpho excellenti pietate Epiſcopo, procerum & Auguſti ipſius iudicio Halberſtadienſem tunc Eccleſiam adeptum, ſit exploratum; Richardum tamen anteà factum hîc Abbatem, circumſpectè cenſeo. Nec diploma regalium, quod ab illuſtriſſimo Annalium Eccleſiaſticorum Scriptore tomo X. allatum, perſuadet, Richardum, qui inter ſubſcriptores, inchoaſſe anno Chriſti MXIV. cùm certum aliunde ſit, nec Richardum tunc Fuldæ Abbatem, vt nec Popponem Treuiris Archiepiſcopum extitiſſe; qui ſimul tamen ibi ſubſcripſiſſe traduntur. Vnde equidem regalium illam conceſſionem, cùm annali notâ careat, prorſus ad poſteriores annos, & certè ad MXVII. vel ſeciùs relegandum arbitrer: nec mendo vacare Lamberti Chronicon, qui anno demum MXXIII. Richardum facit Abbatem, cùm eidem diplomati cum Erchanbaldo Moguntino Archiepiſcopo ſubſcribendo Abbas affuit, quem ſatis liquet antè migraſſe ſæculo, nempe Chriſti anno ſummùm MXXI.

MS Franc. Sax. ad an. MXXIV. vbi dicitur Brandagus.

Apud Baron. Erchāboldus.

Eius ingreſſu Fuldam duorum totius orbis Chriſtiani Principum, Benedicti Pontificis & Henrici Imperatoris aduentu lætificatam, produnt vetera Abbatum monumenta; qui & prolixâ ſuâ in cœnobitas beneuolentiâ & voluntate, huius loci cùm honores tum commoda, nouis diplomatis datis, inſtaurarunt. Acciſſe id ſalutis anno* MXIX. pro explorato nonnulli tradunt; quo ſcilicet anno, Germanici ſcriptores, Contractus, Lambertus, Marianus, conſentiunt, Benedictum Bambergam acceſſiſſe; & ab Imperatore iſtic regificè exceptum, dedicaſſe eccleſiam S. Stephano. Richardum tunc Abbatem fuiſſe, ex eâ narratione coniicio, quâ feſto Apoſtolorum Philippi & Iacobi, re diuinâ Apoſtolicè patratâ, cùm ad Euangelium ventum, fertur iuſſu Pontificis, Archidiaconus

Benedictus Pontifex & Henricus Aug. Fuldā conueniunt.

** aliàs MXX.*

nus Romanus huius Ecclesię priuilegia à sede Romanâ olim, & à Benedicto nuper concessa, voce clarâ pronuntiasse, audiente procerum frequentiâ, & adstante Richardo Abbate.

Mos priuilegia publicè pronuntiandi.

Præclarum reperi Henrici Imp. scriptum, quo Richardo recèns ineunti tutelam Ecclesiæ, & vniuersi iuris fundorumque conseruationem stabilit. Attestatio Fuldæ facta eiusmodi:

Signum D. Henrici Rom. inuictissimi Imperatoris Augusti. Guntherius Cancellarius vice Erkanboldi Archicappellani recognouit. Datum Prid. Non. Maij. Indict. III. *anno Dom. Incarn.* MXX. *anno verò D. Henrici reg.* XIX. *Imper. autem* VII. *Actum Fuldæ.*

Ceterùm anno MXXXIII. Seligenstadij ad Mœnum, Aribone Moguntino Archiepiscopô Synodum agenre, Richardus inter alios etiam Abbates, istic affuit.

Vitâ decessit MXXXIX.

Scoti monachi Fuldense monasterium frequentare incipiunt Richardi inuitatu.

Monasterium Fuldense disciplinâ, litteris, cultu vestis, tonsurâ, aliisque religionis exercitiis ad priscam redit S. Benedicti normam.

MS. Catalog. Abbat.

Cœpit 1039. Præfuit 4.

XX. SIGEWARDVS, de quo disertè Lambertus ad annum Domini MXXXIX. *Richardus Abbas Fuldensis obiit, cui Sigewart successit.*

Annus MXL. valdè fuit Fuldensi nobilitati ac ordini militari, quæ gens in *familiâ S. Bonifacij* censebatur, funestus: nam Henrico Rege contra Bohemos arma ferente, *Reginhard signifer Fuldensis in prælio cecidit*; sic Lambertus. At Chronicon peruetus Francosaxonicum, vbi de huius belli procinctu loquitur: *Quidam ex latere Regis emissi, sperantes se fortiter facturos, obstructionem quamdam in saltu expugnaturi, inconsultè processerunt; ibique prætensis insidiis, à sagittariis circumuenti, VVernherus Comes Primicerius, & signifer Regis, cum aliquot satellitibus; & Reinhardus Comes, cum electissimis ex familiâ S. Bonifacij, cruentâ, prô dolor, cæde procubuêre.* Sigewardum, obscuri nominis quidam cōminiscuntur, Hildeshemensis ecclesiæ tandem Præsulem factum; alij postulatum volunt, at exclusum;

Bohemicâ expeditione S. Bonifacij familia. i. Fuld. ecclesia militares clientes accipiunt cladem.

MS. Fuld.

Lamberto tantùm Abbas, nec eminentior, vitâ fungitur anno MXLIII. *Desiit* 1043.

Quo eodem anno *B. Annuchadus Scotus inclusus*, Fuldæ innocentiæ famâ & vitæ sanctitate floruit.

XXI. ROHINGVS splendido in rep. loco, honesto item apud suos; Henricum quartum inter proceres regni Romam vsque prosecutus, anno MXLVII. à Clemente II. qui ex Suidegero Bambergensi Episcopo ibi tum Pontifex, Abbas consecratus; sed huic gloriæ paucis diebus superstes, Romæ vitam finiit, Fuldæ ad nominis sui memoriam prænobili margaritis ac gemmis ab se inchoatâ relictâ tabulâ. Leguntur & Rohingi versus præscripti membranis Moral. S. Gregorij: *Cæpit* 1043. *Desiit* 1047.

Hunc licet indignus tibi confert Abba Rohingus,
*O *VVinfride, librum; quem sex in partibus vnum*
Distinguens plenè, præcepit hiantia quæque
Cautè suppleri, rursumque superflua demi;
Vt serie planâ sonet Ethica Gregoriana;
Primaque pars eius tenet oram codicis huius;
Ergo sui voti sit merces certa datori:
At si quis tollat, te duro vindice, soluat.

* S. Bonifaci,

Ei, perperàm vetusti indices Bardonem subiiciunt; qui iam tum Moguntinæ Ecclesiæ gubernaculis assidebat.

XXII. EGBERTVS, qui & Eppo; hunc cœnobitis regniq. proceribus, virtutis opinione, iuxtà carum, in Italiâ mox assumptum, satis indicat Lambertus. *Abbatem* quippe *factum statim*, ait, *post Natalem Domini.* *Cæpit* 1048. *Præfuit* 10.

Herm. Cōtracto perperàm Ebervardus ad ann. 1059.

Anno primo sui regiminis, Maguntiæ in magnâ Præsulum Synodo, Henrico Imp. præsente, causam dixit, ab Adelberone Wirceburgensi propter iuris diœcesani controuersiam appellatus. Resque partium consensu, Imperatore moderante, constituta est; vt Abbatia & cœnobitæ, exceptionem antiquam obtinerent; &, quia Archidiaconus Wirceburgensis grauiùs imperitare Fuldensibus videbatur, penes Clericum, qui forensi ecclesię Fuldę pręesset, ita ius Ecclesiasticum resideret, si is à Præsule Wirceburgensi, banno quod voca-

Iuris Diœcesani controuersia cū Adelberone VVirceburgensi.

Archidiaconatus mutatio.

vocabant, confirmatus esset; descriptique limites in prædiis, quæ à Fuldensi pomœrio per rura quæ *Burchfeldt* appellabãt, versus Hunaham riuulum excurrunt. permissumque, vt in villulis, quas tunc vocabant Hunefeld & Ratesdorf, conuentum Clericus is haberet, & ius diceret. Actum Moguntiæ III. Non. Febr. anno Dominicę Incarn. MXLVIII. Atque hæc origo muneris illius est, ex quo rector Parochiæ Fuldensis, posterâ ętate, concessu ampliore, Archidiaconi titulum gessit.

Archidiaconi Fuldẽsis origo.

Egberti quoque regimen illustrat Abbatiæ Fuldensis è regiâ potestate, ad veterem, id est Pontificiam, facta traductio, anno Christi, vt Contractus obseruauit MLIII. *Imperator*, ait, *cum domino Papâ (* Leone*) multisque Episcopis, & Principibus, Natalem Domini VVormatiæ egit. vbi cùm Papa, sicut dudum cœperat, Fuldensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ S. Petro antiquitus donata feruntur, ab Imp. reposcens exegisset, demum Imperator pleraque in vltramontanis partibus ad suum ius pertinentia, pro Cisalpinis quasi per concambium tradidit.*

Fuldensis Abbatia à regiâ potestate ad sedem Rom. redit.

De Egberto scribit Othlonus, auctor vitæ S. Bonifacij, pro consuetudine, quæ ei cum Leone IX. Pontifice Romæ fuit, quęsiisse in vrbium vrbe veterum monumentorum copiam, vnde Martyris patroni acta vberiùs illustraret, simul actuarium ad Pontificem misisse, qui cuncta diligenter exciperet; verùm, erepto inde ex humanis Leone, opus exoptatum, libris quoque Romæ relictis, eo tempore non prouenisse. Tanta etiam tunc cupido incesserat, vel trans Alpes, S. Bonifacij honoribus instaurandis, litterarum petendi decus.

Othlonus Monachus Fuld. quando scripserit S. Bonifacij vitam, in Prologo tom. 4. Antiq. lect.

Histor. Ecclesiastica studium Fulda.

Monasterium Fuldẽse opportunis quoque domiciliis, tum quieti capiendæ, tum factitandis laboribus, Egbertus egregiè instruxit: tabulam ab Rohingo cœptam, eiusdem pretij gemmis expleuit. Disciplinam ac vitæ innocentiam in peregrinis etiam adamauit. Paderbornam anno MLVIII. quo tristifico incendio conflagrarat, adiit; indeque *Marianum Scotum, qui orationis causâ istuc Coloniâ profectus erat, secum Fuldam abduxit.* Moritur eodem anno XV. Kalend. Decembris.

Cœpit 1058. XXIII. Sigefridus ei successor obuenit, Eppesteiniâ illustri prosapiâ, &, vt Lambertus loquitur, *eiusdem cœnobij* (Ful-

 densis)

densis) *monachus*. Memoratu digna, quæ ad annum salutis *Præfuit* 2.
Mariani Scoti inclusio. MLIX. Marianus annotauit. *Ego Marianus*, inquit, *indignus, cum Sigefrido isto, apud VVirzeburgum ad presbyteratum consecratus, mediâ Quadragesimâ* III. *Idus Martij: & Feriâ* VI. *post Ascensionem, secundo Idus Maij, inclusus Fuldæ per annos* X. Ceterùm anno non toto abeunte, in Fuldensis ecclesiæ gubernatione, Sigefridus pro Luitpoldo Archiepiscopo, qui VI. Idus *Desiit* 1059. Decembris vitâ exierat, ad Cathedram Moguntinam accersitur. Illam, quibus artibus mediam inter schismatis procellam habuerit, loco explicatum est.

XXIV. WIDERADVS eiusdem gentis & disciplinæ, Sigefrido successit, magnis vtique foris domique casibus; queis animi magnitudine ferendis, impar non fuit. Tragicè eos persequitur Lambertus ætate suppar; ex quo depromas licet. *Cæpit* 1060. *Præfuit* 15.
Claudus. Claudus fuit altero pede à pueritiâ. *Marianum* anno Virginei partus MLXIX. Sigefridi Archiepiscopi auctoritate Fuldâ dimisit Moguntiam; vbi is iterùm, suam clusam volens subiit. Porrò Wideradus anno MLXXV. XVII. Kalend. Augusti vitâ innocenter acta, rebus humanis exemptus est. *Desiit* 1075.

XXV. RVTHARDVS, qui vulgò Ruzelinus, à rutilâ, ni fallor, comâ, subitò & improuisò ad hanc dignitaté ab Henrico Imp. eius nominis IV. arreptus, ex Hersfeldensi monacho. Prauis eius sæculi moribus, tanta pro Abbatiâ indipiscendâ exarserat ambitio, vt concursu poscentium indignatus Henricus, Ruthardum, qui Bambergam fortè ad Regis curiam accesserat, ilicò Abbatem renunciaret; & in eo cooptãdo tam monachos, quàm milites ecclesiæ Fuldensis, sibi suffragari iuberet. Itaque in medium euocato, nec quidquam suspicanti, baculum pastoralem offert, & ornat annulis; hunc enim ritum Reges Germaniæ pro Inuestiturâ sibi sumpserant. Porrò, vt inuitus multumque renitens Ruthardus onus hoc tulit, ita supra viginti annos vno, probabilem se Ecclesiæ huius Antistitem exhibuit. Præclarè de B. Virginis & S. Michaëlis monasteriis, templa instaurando, dicando, pascendo & alimenta tribuendo, meritus. Ad Iulium mensem Ephemeride

Cæpit 1075. *Præfuit* 21. *Lambert. in Chrob.* *Ambitio eius sæculi dignitatũ ecclesiast.* *Inuestitura mos.* *Desiit* 1096.

meride Marianâ, adſcripta legitur *Memoria Ruthardi Abb. Reformatoris huius Monaſterij.*

Cœpit 1096. Præfuit 13.

XXVI. Gottifridvs Ruthardi ſucceſſor, in ſchiſmate quod Germaniam mirè tunc, Henrico IV. auctore, exercebat; abdicatione illiberali non magis, quàm domeſticis malis, quà bello, quà remiſſiore vitâ illatis, haud obſcurus.

Anno redempti orbis * MCIII. ſubitò Fulda correpta incendio magnam partem conflagrauit; flammaque in foro naſcens, ædem Parochiæ corripuit & vaſtauit.

Fulda incendio afflicta.

* al. às MCVIII.

Hinc anno MCVI. Henrico V. regnum exordiente, etſi Paſchalis II. Pontificis auctoritate apparebat diſſidiorum motus in Eccleſiâ nonnihil ſedari; recrudeſcente tamen, & ambitionis & partium ſtudio, ſchiſmate, Gottifridus Abbas, tum ſuorum queſtu, tum Henrici Regis iunioris malâ gratiâ, faſtigio dimotus eſt. Accidit ea res ſalutis noſtræ anno MCIX. Francofurti, in publico procerum conuentu, vt teſtatur in ſuo Chronico Abbas Vrſpergenſis. *Ibi etiam*, inquit (Henricus) *depoſito Gotefrido Fuldenſium Abbate, VVolfhelmum eis præfecit, ex eâdem Congregatione.* Ceterùm Gottifridus extorris, in Colonienſi peregrinatione, tandem naturæ conceſſit.

Gottifridi abdicatio.

Deſiit 1109.

Cœpit 1109. Præfuit 5.

XXVII. Wolfhelmvs, turbidis item rebus, ſed electione canonicâ, dignitatem hanc adminiſtrauit. Nam Haſelſteiniam ſuæ ditionis arcem, ſumptu damnoſo obſedit. Hinc Thuringico motu, pro Henrico, qui nuper Romę Auguſtale diadema ſumpſerat, Wartesburgi obſidione, * caſtri in Thuringiæ finibus inclyti, quod Saxonum genti ſubiugādæ Henricus IV. mirè extulerat, ab hoſte Luduico Comite captus, in arcem Milſeburgum includitur, ac tandem Gottifridi deceſſoris ſui petitione debilitatus, & Goſlariæ in regiâ Henrici, accuſatione ſuorum, ceu re malè geſtâ fractus, eodem anno, computa naſcentis Chriſti MCXIV. & magiſtratu, & vitâ ſimul defungitur, monumento relicto S. Alexandri oratorio, quod inter vallum & oppidi murum, ad Septemtrionem viſitur.

* Sigefrid. in Chron. à Luduico caſtrū hoc inſtauratū meminit iuxta Iſenacum in excelſi mōtis vertice.

Milſeburgum carcer VVolfhelmi.

VVolfhelmus abdicatur.

Deſiit 1114.

Cœpit 1114. Præf. 8.

XXVIII. Ehrloffvs Abbas Morbachcenſis, contra fas moreſ-

Vrſperg. in ann. 1113. moreſque priſcos, Moguntiæ ab Henrico Imperatore præficitur, Congregationis Fuldenſis inuidiâ; quam credibile, Saxonicorum procerũ ſtudia ſecutam, in Eccleſiæ & libertatis cauſâ Henricum ſibi res ſuas habere voluiſſe. Ingenij acuti, prudentiæ ſingularis, raræque facundiæ laudem non negant Ehrloffo publici ſcriptores. Muntzerum autem triuialem & hæreticum * hominem mentiri non piguit, extitiſſe in malis artibus necromanticum. Haſelſteinium & Milſeburgum aiunt exſtruxiſſe, vel communiiſſe nouis operibus. Id facinorum eius egregiorũ ſpecimen Vrſpergenſis Abbas expreſſit; quòd, Germania diuturni pertæſa diſſidij, ad Regnum cum ſummo Sacerdotio pacis vinculo iungendum, hunc Ehrloffum digniſſimum è multis vnum iudicarit, quem, Imperatore probante & procerum conſilio, Romam cum Brunone Spirenſi Præſule, ad Caliſtum Pontificem, ampliſſimâ cum poteſtate mitteret. Quare & anno Domini MCXXII. cum eximiâ legatione trium Cardinalium, quos inter eminebat Lambertus Oſtienſis, in Germaniam reuerſus, illius cantatæ pacis, quæ iuxta Vangiones Regnum inter & Sacerdotium confecta, pars ipſe quidem non ingloria fuit.

*Caſpar Bruſchius. * in Chron. German. anno 1551. edito.*

Schiſmatis tollendi auctor Romã mittitur.

Ruina partis Oriẽtalis baſilicæ. Memorabile ipſo ſedente, primùm Orientalem Baſilicæ veteris molem anno MCXX. ingenti ruinâ procidiſſe: inde Adelberti Moguntini Archiepiſcopi, qui carceres Henrici expertus, ſedis Apoſtolicæ acerrimus propugnator, opibus & armis, Rheni & vicinæ regionis optimatibus, mutuâ cæde & populatione in exitium ruentibus, Fuldenſis monaſterij veteres fortunas, horum iniuriâ temporum ita prolapſas, vt victus cœnobitas quotidianus deficeret. id quod ad annum MCXVI. Abbas Vrſpergenſis tragicè deplorat. Porrò & nos alibi, infelicia Ehrloffi gubernacula defleuimus. Epocham temporis ab Ehrloffo recentior ſcriptor deducit: rectè an ſecùs, alij viderint. Ehrloffus certè deſperatâ ſuorum concordiâ, abiens è medio Wormatiam ſeceſſit; atque ibi ſupremis occupatus, exiit è vitâ anno MCXXII. *Deſiit 1122.*

Inopia extrema Monaſterij.

C. Bruſch.

Vrſperg. in Chron. XXIX. VDALRICVS, reſtituto iam Eccleſiæ Romanæ ab Henrico Antiſtitum inſtituendorum iure, Romam profe- *Cœpit 1122. Præfuit 5.*

ctus,

ctus, à Calisto II. consecratus est Abbas, confirmatusque. Vita ei laudatæ integritatis virtutisque fama contigit. Sed quia factioni Principum, qui contra Lotharium pro Conrardo Françoniæ Duce faciebant, se applicasse visus, eodem anno quo Dux Conrardus consurrexit in Lotharium, Vdalricus excidit. Operibus itaque licet præclaris in ecclesiâ primariâ erectis, & templo vtcumque instaurato, anno MCXXVII. Lothario Imperatore accedente Fuldam, & sacramentis obsequij absoluente Buchonios, Vdalricus per Honorij Pontificis Legatum amotus, Wirciburgum abiit, & ibi vitam clausit, anno MCXXXIV. Hanc rem veteres Cœnobitæ in quodam Chronici fragmento ita meminerunt: *Honore excidit.* *Desiit 1127.*

*Anno Domini MCXXII. fauente Imp. Henrico, cunctisque Principibus, secundùm concessionem priuilegiorum nostrorum regulariter Vdalricum in Abbatem Fuldensem nobis delegimus; quem, quia circa nos vir optimæ conuersationis, iustus, propitius, atque benignus, communi consilio & auxilio cleri & populi, Domno Calixto Papæ in Dei honore & sanctâ conuersatione nominatissimo, benedictionis gratiâ Romam transmisimus. Quem ille benignè suscipiens in die festo Palmarum * confirmauit benedictione Apostolicâ, & donatum priuilegio, mandans nobis suam benedictionem cum digno & debito honore, redire fecit ad propria. Qui V. ordinationis suæ anno tale præiudiciū passus est. Nam quidam Legatus Honorij Papæ, qui semper implacabilis Fuldensi Ecclesiæ fuit, cum Rege Fuldam superueniens, & quasi gladium de vaginâ educens, Abbatiæ gubernacula, se ipsum intrudendo, ex præcepto D. Honorij suscepit: laicosque à sacramentorum obligatione, Monachos & Canonicos de obedientiâ præfato Abbati promissâ, qui tunc adhuc absens, absoluit; & ita, omnibus subditis dolentibus, deponitur.* * *aliàs. confortauit.* *Grauis accusatio, in quâ locum habeat pia mens ...*

Cœpit 1127. Præf. 7. XXX. HENRICVS I. Kemmenata successor, ipso Lothario præsente, cunctis amabilis, suorum omniū consensu eligitur. Decanus fuerat principis Monasterij, & Præpositus Brustlohensis in Thuringiâ, quem ille locum munificâ donatione propè ab interitu vindicauit. Licet verò morum facilitate & submissione, spem rerum gerendarum sustineret maximam; direptis tamen & fundis, & perditâ re, cùm nec ipse, nec Con-

gregatio à Lothario quidquam exſpectat opis, impar oneri ſe
Se abdicat. vltrò abdicatum iuit. Itaque ſeptimo anno regiminis, offen-
ſus tot ſumptuum diſpendiis, & ambitioſis Imperatorum
obſequiis, quibus Eccleſiaſtici primores aulam militiamque
publicam hac ætate ſtipabant, Lothario Fuldam reuertenti,
anno MCXXXIII. Abbatiam reddit, ſorte priuatâ contentus. *Desiit*
Hond. in Bauar. Metrop. Sunt qui deinde Epiſcopum factum ſcribunt Friſingenſis 1133.
Eccleſiæ.

XXXI. BERTHOVS I. Schlitzius, maior Prępoſitus inte- *Cæpit*
gritatis, facundiæ & ingenij laude abundans, inde ſurroga- 1133.
tus, Lotharium in Italiam vſque proſequitur; vbi ab Inno- *Praef. 2.*
centio Pontifice, hoc eodē anno, quo Lotharius Romę Impe-
Pontificalis ratorio diademate ornatus, & ipſe non Abbatis modò conſe-
ornatus insignia tunc cratione, ſed *priuilegiis etiam iis affectus, vt Pontificis ritu, ius mi-*
idata. *trâ, baculo annuliſque vtendi referret.* nec diu ſuperſtiti ſucceſſit.

XXXII. CONRARDVS I. maioris item eccleſiæ Præpoſi- *Cæpit*
tus, qui ob virtutis & religionis, ac ceteras gubernandi dotes, 1134.
ſuffragationis punctum à S. Bernardo tulit, comes omnium *Praef. 7.*
expeditionum, quas Lotharius deinceps cis tranſque Alpes,
ingenti mole, præſertim in Campaniâ Apuliaque conciuit.
Cuius à morte anno MCXXXVIII. montem S. Petri præcipuâ
Epitaphiū lib. 2. dedimus. munificentiâ excolens, in eiuſdem montis monaſterio, & vi- *Desiit*
tæ finem impoſuit, & corpus ſepeliendum reliquit. 1140.

XXXIII. ALEHOLFFVS, cuius parum iucunda apud *Cæpit*
poſteros memoria, ob immite & aſperius in ſuos imperium. 1140.
Quare minùs quoque ſecundâ vſus gubernatione, Eugenij *Praef. 8.*
Pontificis iuſſu tandem exauctoratus eſt. *Desiit*
Anno MCXLV. Kalend. Nouembris, annuâ encæniorum 1148.
luce, Fuldæ ciuitatis reliqua pars incendio periit; & ignium
labem dira conſecuta fames, populum maiorem in modum
afflixit.

XXXIV. RVGGERVS verò eius nominis I. plurimùm *Cæpit*
honoribus aduerſans, animi moderatione, & integritate mo- 1148.

rum,

rum, antecessoris desiderium minuit, sui plurimùm accendit, cùm ad Rhemense Concilium profectus, ab Eugenio muneris eximij vacationem impetrauit; & secessu facto, in montem B. Virginis, rerum diuinarum studio Henricum Hersfeldensem Abbatem sibi suffici passus est.

Cœpit 1148. Præfuit 2.

XXXV. HENRICVS is II. fuit, quem Congregatio non improbabat; fauente præsertim Rege. sed eo sedente, res tamen Ecclesiæ Fuldensis incedebant miserè. Difficili itaque malorum remedio, cùm prisca Congregationis maiestas obsolesceret, & fortunis ad clientes translatis omnium rerum egestas cœnobitis obreperet, de communi Pontificis & Conradi Regis consilio, placuit Henrico, aliunde virum animi magnitudine & industriâ spectatum, ceu antiquæ dignitatis vindicem, accersere. Id quod in frequenti Treuiris conuentu, postquam Eugenio sanctum ratumque, missi hac de re Bambergam legati.

Cœpit 1150. Præfuit 14.

XXXVI. *MARQVARDVS igitur, dum virtus domestica rarescit, Bambergâ *de S. Michaëlis, qui tunc Monachorum dictus, monte*, detrahitur; & tantæ capax dignitatis, ea molitus est, quæ probabile nomen ipsi posterisque cum immortali gloriâ pepererunt. Sufficit opinor virtuti viroque, magna simul & magniloqua narratio, quâ res ipsum suas sine fuco splendidè commemorantem olim induximus.

* aliàs, Marcuardus. Monaster. S. Michaël. in Bamberga.

Lib. 2. Antiquitat.

Conrardo & Friderico Impp. carus in paucis: sed aulæ ac forensium negotiorum satur, cùm obliquus in odium maleuolorum, ceu ventis parum prosperis incurrit, prętulit dignitati monasterium vnde venerat. Hinc rursus Fuldam à Friderico Imp. publicè euocatus, post biennalem functionem, Præpositurâ S. Andreæ donatus in honesto otio Bischofshemij diem clausit, tumulatus Fuldæ maiorum sepulchris.

Cœpit 1165. Præf. 3.

XXXVII. HERIMANNVS ex Hersfeldensi cœnobio Abbas accersitur; Friderici Ahenobarbi studiis, aduersus Alexandrum iustum Pontificem, sic irretitus, vt cùm Germaniam Imperator anno MCLXV. publico Wirceburgi conuen-

Schismati deditus.

tu, Paſchalem antipapam amplecti coëgiſſet, Hermannus, hac communi patriæ tempeſtate arreptus, non dubitarit ſequenti anno Fridericum armatus ſequi in Italiam. Hic cùm ſalutis anno MCLXVII. Romam, Alexandro fugato, Fridericus occupaſſet, & diadema denuò à Paſchali in Vaticano ſumpſiſſet, Hermannus eâdem operâ probatus à Paſchali, & priuilegiis ornatus, poſtero mox anno, lentâ tabe confectus vi. Kalend. Maij vitam cum Abbatiâ poſuit. *Deſiit 1168.*

XXXVIII. BVRCHARDVS verò, qui ſucceſſit, cùm Fuldenſis Eccleſiæ ſtatus vndique labefit, ruentis Monaſterij res in vltimum propè caſum dedit. Et hic Hersfeldiâ vicinâ euocatus, nullum operæ pretium, prolapſis ferè fortunis attulit. Compilatis Eccleſiæ facultatibus, & cõflato peculio, in Weterauiam abiit; Cœnobitas complures relegauit, Hattenhauſen, Hildewartshauſen, Cruitzburgum, Luduico Landtgrauio vendidit. Inde annonâ Cœnobitis negatâ, cùm in graui morbo, inexploratæ mortis famâ, gaudium æmulis attuliſſe cognouiſſet, ilicò ſuperueniens armatus, vltionem exegit; & vaſtatis agris, captiſque domiciliis & prædæ datis, ac proſcriptis bonis, ſemianimis lecticâ reuehi in ſolita loca voluit. Seiunctum ab Eccleſiæ communione, & diro morbi cruciatu vexatum vitâ deceſſiſſe, maiores tradunt, miſerabili exitus genere. Quippe, inter Alexandrum Pontificem & Fridericum Imperatorem, pax anno Chriſti MCLXXVII. conſtituta, ac inſequenti fortiùs Venetiis adſtricta: huius exſors, vti reor, Burchardus, non Romæ, quod ſcripſit Muntzerus, ſed in Wederauiâ, *paupertinâ Cellâ, cui Rheteris nomen*, inglorius occubuit. Extat ab eo, elegantis fabricæ S. Stephani* oratorium, cuius inciſa parieti præclara epigraphe, nominis inuidiam mitigaſſe videtur.

Cœpit 1168. Præf. 8.

Infelix regimen.

Schiſmaticus miſerè perit.

Rheteri Monaſterium, ſeu Cella.

Deſiit 1176.

* de illo libro 2. c. 12.

XXXIX. RVGGERVS II. Diaconus, quo morum vitæq́. conſuetudine nemo clarior hac ætate fuit ac felicior. Electus omnium conſenſu, die S. Gregorij, anni vel vnius curriculo res maximas incluſit. B. Virginis monaſterium diſciplinâ & ædificiis caducum reſtituit, ac nouis operibus fulciit; libris per-

Cœpit 1176. Præf. 1.

Ruggeri II. præclara facta.

peregregiis bibliothecam, turres campanis ære fusis instruxit; odeo quoque exstructo nouo, hospitalem domum dotauit. Aliam hac maiorem apud primarium Monasterium, non tectis quàm censu ampliorem extulit. Anniuersaria sacra, multis prædiis traditis, instituit. Ex Italiâ ab Imperatore reuersus, ob morbum publicæ curæ non tolerans, à medio Ianuario ad Iunium asthmate & phthisi attenuatus, ipsis Nonis, id est die S. Bonifacij, terras migrauit.

Hospitalis primarij origo, à quo Hospitalarij munus.

Capit 1177. Præfuit 15. XL. CONRADVS II. Diaconus, absens omnium suffragiis, ex S. Solæ Monasterio, cui præpositus erat, IV. Nonas Iulij adoptatur. Circa S. Remigij diem, ad Imperatorem in Longobardiam profectus, regalium & inuestituræ inde ablato priuilegio, die S. Cæciliæ reuertitur.

Anno MCLXXIX. ad Concilium Lateranense Alexandro inuitante, & propriâ causâ, Romam adit; hîc Sabbato * Sitientes, sic appellarunt à Missæ Introitu, ab Ostiensi Episcopo creatus est Sacerdos; mox Dominicâ Iudica, ab ipso Alexandro ritè factus Abbas: vbi rideas stolidam Muntzeri domestici Chronologi dicacitatem, *qui Conradum*, ait, *Romam missum ad Synodum, in quâ instituta sit primùm auricularis Confessio ab Innocentio tertio, qui Conradum Sacerdotem, mox Abbatem consecrarit sanxeritque.*

*Vrsperg. Concil. Lateran. C. Sigon. in Ital. histor. * ante Dominicam Passionis. Muntzeri dicacitas castigatur.*

Anno MCLXXX. cùm inter Fridericum Imp. & Henricum Leonem, Brunswicensem siue Saxoniæ Ducem, perniciosa Thuringiæ Saxoniæque certamina gliscerent, in Epiphaniâ Domini Wirceburgi conuentus habitus, vbi duo Cardinales Româ missi, id potissimùm agebãt, vt Imperator mitiùs cum Duce Saxoniæ se gereret. Eadem Angliæ, Franciæ Regum, & Flandriæ Comitis Legati postulabant. Erat Dux adhuc in armis; & quia Thuringiæ imminebat, hoc asperiùs Legati accepti; neque exauditi. Cõradus Abbas Cardinales adduxerat; qui, vt eos sibi placaret, in Vangiones dimisit. sed hîc illi parum grati, quia ipse nec vnà accessisset. Hinc in Gelenhausen apud Imperatorem, eos nactus, Fuldam inuitat; atque dum in Saxoniam se penetrant, vasa argentea, vestemque in fidem Custodis Fuldensis ecclesiæ per-

MS. histor. de Landtgrau. Thuring. c. 24.

Conradi hospitalitas & magnificentia in Cardinales Legatos.

mittunt. Frustrà verò ad pacem sollicitatis discordium animis, post Pentecosten Fuldam reuersi, hospitaliter accepti, ordines sacros alter eorum, qui Episcopus, impertiit; ambo honorificè dimissi, quia Fulda tunc *Specialis ecclesiæ Romanæ filia*, audire gestiebat.

Fulda Roman. Ecclesiæ filia.

Anno circiter MCXC. grauis exorta Fuldæ dissidij tempestas, ob angustias annonæ, Cœnobitis non ex voto præbitæ; pars capiti hæsit, pars diuulsa, questum iit ad Henricum Regem. Henricus, astutâ captione, primùm corripit Abbatem; inde causam ab se ad Pontificem reiicit. Mox proceres ac dynastas huius Ecclesiæ, cum Abbate & Congregatione, Saleueldiæ adesse sibi iubet, ceu causæ cognitioni consilium id daret: sed eò postquam ventum, tribui sibi beneficia clientelaria poposcit, quę Luduicus Thuringiæ Landtgrauius, anno superiore in Orientali expeditione moriens, reliquisset. Adhæc, quia diadematis honori quærendo in animo erat profectio Italica, ausus etiam ibi Henricus Comes de Widaha, Regis nomine postulare de S. Bonifacij templo crucem auream, quia sumptus itineri deerat, mille talentûm argento pignus opponendum. Et Abbatem & Congregationem non fallebar, aurum quæri, litem suam insuper haberi. Ergo postulata abnuere, moram innectere cupiditati. Sed Henricus Fuldam vsque prosecutus, auidiùs instare. Tabulas itaque pro cruce subiicere visum binas, auro & gemmis insignes, sedandæ siti cupidorum; quas cùm Ludgero Haselsteinio Imperij Legato Rex tradidisset, clàm mandata dedit, seu pœnitentiâ consilij, seu pertinaciâ Cœnobitarum crucem subtrahentium, vt eas ecclesiæ S. Bonifacij restitueret; id quod eo promptiùs factum, quòd anno sequenti, diadema Romæ accipiens, hoc nomine à Cælestino reprehensus est. Quamobrem ipse in Germaniam rediens, magnâ populi ac cœnobij gratulatione, die Palmarum tabulas ad ecclesiam retulit.

Schisma Monasterij Fuldensis.

Henricus Comes de VVidaha, nunc VVieda.

Crux aurea à Rege tollitur, aut redimitur tabulis.

Tabulæ restituuntur.

Porrò xv. annis ecclesiâ hac administratâ, Conrardus vitâ migrauit, maiorum sepulcris illatus.

Epitaphiũ eius lib. 2. dedimus.

XLI. HENRICVS III. ex montis S. Ioannis Baptistæ Præposito, Henrici Regis fauore, vt aduersis suorum animis, sic impari *Cœpit 1192. Præfuit* 24.

impari quoque an noxio studio rebus seruandis, Ecclesiam hanc occupat; amicorum potentiâ, qui in palatio longè apud Regem gratiosi, aucupatus honorem. Vanè & ambitiosè, vt pleraque Bruschius, ad Cronebergiam stirpem retulit, cùm scribere oportebat, ex Cambergensi Monasterio obtrusum ab amicis Fuldensi Abbatiæ. Oneri suis fuit, toleratus tamen, respectu aulæ & consanguineorum. Feuda & Ecclesię prædia plurima distraxit; sed, quia moribus huius sæculi, grauia & diutina bella cum Hermanno Thuringiæ Landtgrauio Ludouici VI. S. Elizabethæ mariti patre, & Godefrido Zigenhainensi Comite, pro Ecclesiæ suæ incolumitate gereret. Et sine stipendiis sumptuque, quî militaret? Illud tamen culpant antiqui, quòd, longinquâ peregrinatione ad limina S. Iacobi in Galætiam susceptâ, nudum Ministerialium & Aduocati insidiis reliquerit ecclesiæ suæ latus; quòd victum, vestem, & cetera pensionum, communi derogans, laicis se magis quàm fratribus conformarit: vnde, iusto dolore tacti Cœnobitæ, quæ adhuc * immunia à feudis prædia supererant, non dubitarunt appellationis remedio submittere sedi Apostolicæ. Id quod commotior accipiens Henricus, Congregationi & nobili ministerio, diem dixit vigiliam S. Gregorij, quâ partes inter se de appellationis iure disceptarent. Tempore, quod in medio, cum minarum denuntiatione cogit amicos, & magnam vim armatorum: sed morbus letalis superueniens, Abbatem ipsâ S. Gregorij die abstulit. Atque ita ad exequias cohonestandas venire visi, qui ad iniuriam faciendam venerant.

*Bruschij error. Camberg. S. Nicolai Monasterii Francon. diœcesis: iam versũ in sæculare Colleg. anno 1489. vt Trithem. Chronic. Spanheim. Henrici sumptus & bella. Godefrid I. Comes secũdus Zigenhainij, & aduocatus Fuldensis. Ad S. Iacobi in Galatiã Henr. proficiscitur. Eius sæcularitas notata. * infeodata. Cõgregationi & Ministerialibus diem dicit.*

Desiit 1216.

Anno MCXCIX. Philippus Dux Sueuiæ Fuldam venit, collocutus hîc cum Ottokaro Bohemiæ Rege, & Hermanno Thuringiæ Landtgrauio, de Imperio adipiscendo aduersus Ottonem Saxonem.

Philippus Sueuiæ Dux, Ottokarus Bohemiæ Rex, Fuldæ degunt.

Anno salutis MCC. Fuldæ flamma latè populata nocturno incendio, maximam partem ciuitatis corripuit, tristique hominum & fortunarum damno, cùm prohiberi à tectis non potest, deseuiit. Ceterùm hanc cladem, diuerso Chronico, ad annum superiorem relatam, hisce ferè verbis, memini: *Anno MCXIX. infra Octauam Paschæ, noctu inualescente plurimùm*

Incendium Fuldæ.

mùm vento, Fulda iterùm incendio depasta; in quo duo supra viginti homines fumo enecti.

Anno rursum MCCXV. ignis contagio Fuldam lon gè lateque peruagata, tertiam partem tectorum edax consumpsit, ipsâ vigiliâ S. Bonifacij.

XLII. HARTMANNVS I. Præpositus monti S. Petri, eodem anno Præsul hîc ostentatus; atque idem raptus priùs, quàm hônos ei ritè stabilitur. *Cæpit* 1216.

Elvvang. XLIII. CVNO inde Elewaco monasterio, cuius iam Præpositus, Imperio Germanico toto celebris, Friderici secundi iussu euocatur; disparibus tamen Fuldensium studiis animisque. Prudentiæ consiliique in sæculi negotiis, vigilantiæ item laus illi conceditur; quippe triginta annorum regimine parta: si tamen in Abbatum Elwangensium Catalogo Bruschius sibi constat. Verumtamen dissidij & schismatis labe teter & vecors, triennio & anno dimidio, quibus Fuldæ præfuit, nullum à bonâ congregatione obsequium impetrauit, *eo quòd*, vt acta prisca loquuntur, *litteras super introitu suo à Domino Papâ nullas acciperet*. Quare, cùm tamquam è domo alienâ, à locatoribus exactus, Apuliam & Imperatorem trans Alpes petit, in itinere exstinctus est, anno MCCXXI. *Cæpit* 1217. *Præf.* 5. *Schismaticus.* *Desiit* 1221.

XLIV. CONRADVS III. à Malkos, quod artis stirpisque nomen. Huic cum Hermanno Herbipolensi, magna bellorum certamina intercessere, finium & nouorum operum causâ. Caput controuersiæ Hamelburgum ad Salam oppidū: & Thamersfeldia magnitudine pastionis, ac fœni vbertate tractus eximius; à Cauro in Vulturnum Fuldâ distans passuum ferè decem millia. Res eum duæ, apud posteros viuere diutiùs iubent, Ecclesiastica iurisdictio prolatata, & Hamelburgum in faciem oppidi formatum. cuius & in hisce versiculis sera fama: *Cæpit* 1221. *Præfuit* 25. *Hamelburgum belli materia.*

Abbas Conradus de Malkos nomine dictus,
Hamlburg circumdat muris, & mœnia fundat.

Anno XXII. regiminis Conradi, exortum Herbipolense bellum; *Desiit* 1246.

bellum; & quia Hamelburgi iam mœnia turresque ſurgebant, Hermannus Epiſcopus, diſturbandi operis, Hamelburgum capere, in rem ſuam eſſe putabat. Conradus, exploratâ re, ingenti coactâ equitum peditumque manu, Præſuli it obuiàm. Aderant Abbati nongenti equi phalerati, quos dextrarios ſeu militares appellabant. Necdum ventum ad manus, cùm Epiſcopus longè copiis inferior, trepidâ ſibi fugâ conſulit. Fugienti inſtat Abbas; & apud Tolbam multis cæſis captiuiſque factis, Neuſtadium vſque, quod oppidum Franconiæ; cui vt parum munito inſiſtere non auſum, Conradus perſequitur, & Epiſcopo ſubmoto, villâ Rodtiâ armatâ manu lacu piſces excluſos, ceu prædam inter ſuos diſtribuit. Affuit ibi tum Henricus Comes Hennebergius, qui Eccleſiæ Herbipolenſis aduocatus, pro eo quòd multum poterat, Abbatem precibus & blandimentis à ciuitate auertit; & ab vlteriore noxâ ſimul reflectit, vnde venerat. Anno poſtero, in mente adhuc erat Hermanno Epiſcopo recens iniuria, exacuebatque, vt Fuldam obſidio tentaret, caperétve. Nec ſe deſerit Abbas, cui auxiliaris inter primos, Henricus Thuringiæ Landtgrauius. Dum præliaturus exit Abbas, obſerua, ab effreni equo, cui inſidebat, intra muros oppidi præceps excutitur, ipſam ante portam. & iacuit mortuo propior, abiectâ ſpe vitæ. Mox conſternatio & fuga, ipſius quoque Landtgrauij, qui de corruptelâ ſuſpectus. Creſcunt animi aduerſæ partis, & fiduciæ properans Hermannus, accedit ad obſidendum. Viuebant adhuc merita S. Bonifacij, ſic voluere maiores, & nobilitas Buchoniæ tunc acer in armis, & auida decoris; ſic laudat vetus Scriptor; eâdem luce, quâ admotus obſidionis terror, eum amouit, armis ſubitariis aduerſus Epiſcopum ſumptis, fidei in dominum ac fortitudinis, ſæpè quidem iterando exemplo. Cæſi in receptu non pauci, manuque capti tam multi, vt cùm iis redimendis Epiſcopus non eſſet, inter leges pacis & hæc ſancita ſit perennis, vt Abbati Archidiaconatus Fuldenſis, & ius cogendæ Synodi cederet. Conradus hinc ſenectæ morborumque feſſus, vacationem muneris ab Innocentio IIII. Pontifice petiit; qui per Legatum ſuum, Sigefridum Moguntinum Archiepiſcopum eius nominis ter-

Herbipolẽſe bellum: quod Chronic. Henneberg. refert ad an. 1242.

Rodt.

Henricus Comes Hennebergius aduocatus Eccleſia Herbipol.

Hermãnus Epiſc. Herbipol. Fuldam tentat.

Abbatis caſus.

Nobilitas ope S. Bonifacij rem reſtituit.

MS. Fuld. Bibliothec. poſt Synodum ſancti Martini.

Archidiaconatus cedit Abbati.

Deſiit 1246.

tium, congregationi Fuldæ obtulit; quem illa respuens, Pontificem appellauit. Sed fracta tandem minis, & anathemate proposito ni reciperet, laicorum admisto dolo, concessit.

Sigifridus Mogunt. Archiepisc. datur moderator: Ministri titulo ad triennium. Crux aurea conflatur.

Ergo *Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus, ministri titulo, Fuldensem Ecclesiam administrat*; sed parum commodè; cùm, præter quotidianas Monasterij ærumnas, crucem auream & gemmis pretiosis insignem, pondere centum octoginta marcarum puri puti auri, conflauit; pollicitus eâ, se prædiorum & fundorum onera laxaturum: sed fidem promissis, incertum quâ de causâ, posthabuisse traditur. Pref. 3.

Iudæi sæuiunt in quinque pueros.

Anno MCCXXXVII. nocte Natalis Domini, apud Fuldam Iudæi impetu in *molendinum facto, quinque pueris cruentâ cæde vitam eripuerunt; quâ ex re, in vltionem coorti ciues, puerorum necem, plurimo Hebrææ gentis fuso sanguine, expiarunt; multosque ex iis in carceres abripuêre. Facinus hoc totâ Germaniâ sermonibus hominum percrebuit. vnde Scriptor anonymus, rem ita narrat, ad annum MCCXXXVI.

* *Die Zygelmüllen hodieq; dicitur.*

German. histor. tomo vno apud VVechelum. 1585.

*Eodem tempore apud Fuldense monasterium, Iudæi quosdam pueros Christianos, in quodam molendino, vt ex eis sanguinem elicerent ad suum *remedium, peremerunt. Vnde ciues eiusdem ciuitatis, multos ex Iudæis occiderunt; sed cùm puerorum corpora in castrum Hagenowe delata, & ibidem venerabiliter tumulata fuissent, Imperator tumultum, qui tunc contra Iudæos ortus est, aliter sedare non valens, multos viros potentes, magnos & litteratos, ex diuersis partibus conuocans, diligenter à sapientibus inquisiuit; vtrùm, sicut fama communis habet, Iudæi Christianum sanguinem in parasceue necessarium haberent; firmiter proponens, si hoc ei de vero constaret, vniuersos Imperij sui Iudæos fore perimendos. Verùm, quia nihil certi super hoc experiri poterat, seueritas Imperialis propositi, acceptâ tamen à Iudæis magnâ pecuniâ, acquieuit.*

* *fætorem,* adi Notas ad Fortunatum.

Hagenoa, qua ciuitas iam in Alsatiâ, occisorum corpora palàm exponûtur.

Iudæorum tutela quâdo Abbati cesserit.

Ceterùm gens Iudæa tunc adhuc in tutelâ fuit Imperatoris; quæ, vbi vbi totâ ditione sederet, tandem Caroli IV. pactione, Henrico Abbati in tutelam & capitationem cessit.

Franciscani Fuldam veniunt.

Anno salutis MCCXXXVIII. ex S. Francisci familiâ Seraphici ordinis viri, Fuldam, cùm iam bellis & nobilium rapinis domestica pietas religioque intermitteret, rei Christianæ subsidio venerunt; paruisque initiis & lentis, adolescere ad maiora

maiora cœperunt. Exſtant Innocentij IV. litteræ, anno tertio Pontificatus, MCCXLV. datæ, quibus, de collocatis templi & Monaſterij fundamentis factus certior, relaxatione pœnarum, populum Fuldenſem ad ſubſidia fabricæ proferendæ inuitat. Et longum in medio tempus, quo anguſtis ſe ſpatiis Franciſcani patres incluſere: nam, quæ antiquiſſima templi dedicatio, annum ſalutis ſibi vendicat MCCCLXXIII. Multis porrò argumentis, omnem in partem huic Eccleſiæ non ſegniter ab iis operam nauatam, ſi res ferret, doceri queat. Sed virginitatis quoque decus, in hæc loca retulerunt, duobus in viciniâ, ipſorum hortatu conſilioque, monaſteriolis piorum beneficentiâ erectis; quæ ex tertiâ regulâ, quam vocāt S. Franciſci, vitam agerent. Cluſam appellarunt maiorem & minorem, ſolis iam ſuis nominibus cognitas in vulgus. Ceterùm Fuldæ inchoatus Franciſcanorum conuentus, primas tulit in iis, quos ordo S. Franciſci Haſſiacæ cuſtodiæ dedit, ab hæreſi iam pridem exſtinctos. Referebant enim huc Hersfeldenſem, Fritzlarienſem, Geiſmarienſem. qui fuerunt ſanè.

Virginum cōtubernia. *Cluſa.* *Haſſiaca cuſtodia prima Fuldenſis.*

Cœpit 1249. Præfuit 13.

XLV. HENRICVS IV. ab Ehrtall, claro apud Buchonios genere, ex Decano creatus Abbas. Confirmauit eum & ritè inſtituit Innocentij Pontificis nutu Theodoricus Newburgenſis Epiſcopus, Wernhero Hersfeldenſi & Wigando * Solotorenſi Abbatibus, in magnâ procerum & nobilium coronâ fauentibus. Palmarium in eius actis, quòd nobilium graſſatorum, paſſim eius ſæculi moribus circumeunte populatione, tempori, huic malo obuiàm ijt; variaſque prædonum munitiones & caſtella, quorum adhuc ruinæ monſtrantur, excîdit. Quoque ab iniuriâ rapto viuentium, ſua item tutiora ſtarent, Hamelburgum aliis operibus communiit, Bruckenauiam, Vachium, Neuhofium, Stolſebergum, Machecellam muris, vallis, foſſiſque cinxit. Ceterùm de Bruckenauiæ conditu, etſi ſupra hanc ætatem parum clara memoria, id vnum tamen memorant, coaluiſſe primùm ex quatuor nobilium domiciliis; qui burgi conſortes, illic apud Sinnam habitarunt. Nam antiquitus, viam publicam, non hac regione, ſed ad celeberrimæ famæ Schildecum arcem, multorum domino-

** Schluchterenſi & Solitarienſi,* *Prædonum vindex.* *Munitionū opera.* *Bruckenauij oppidi origo.* *Schildeck.*

 mino-

minorum hoſpitium, duxiſſe; quoad Sinna ponte ſtrata, & iuxtà telonio erecto, creuit incolarum numerus: & iuriſdictio, quæ Schildeci cum præfecturâ vigebat, tranſlata ſimul in oppidum. Hinc, quæ nunc à ponte Bruckenauuia, olim dictam fuiſſe à riuo Sinnauiam.

Sinnauia.

VVilhelmus Rex Fuldæ degens Herſfeldenſ. Ecclesiã Henrico committit.

Anno v. regiminis Wilhelmus Rex, cum Hugone Cardinali legato Fuldam venit, & mox Herſfeldenſem Congregationem, de ſuis cum Abbate controuerſiis expoſtulantem audiit; quia verò ſecandæ litis ratio non alia ſuppetebat, Regi & Legato viſum, ſimul volentibus Henricum dare moderatorem: quam in rem ſacramenta accepta ab Herſfeldenſibus: ſed poſteà loci Wernhero recepto, abiecere fidem & obſequium.

** Bertholdus*

Hẽrici expeditio in Bertheum Zigenhainium Comitem.

Anno MCCLII. * Berthous Comes à Zigenhain, inferiori caſtello Bimbachij capto, inde arma ac vim intulit huic Eccleſiæ, conſpirantibus Abbatiæ clientibus, queis in rapinis omnes opes. Henricus obſidione artâ premere cœperat hoſtem, cùm Berthous iuſtum exercitum adducit contra Abbatem. Sed copiis Henrici, maiorem in modum in dies auctis, Comes exuſtis aliquot prædiis, ſponte inglorius abit: quem mox inſequutus Abbas, ditionem Comitis omnem longè lateque flammâ laceſſit; Pincernæ caſtium de Lengefeldt ſolo æquauit, Betthoum iniuſtè partis cedere coëgit.

Miniſteriales rapaces coërciti.

Anno MCCLVIII. contra Miniſteriales coniuratos, & prędandi licentiâ efferos, bellum geſſit; & bello ſuperatos omnes repetundarum pœnæ ſubiecit. Eodem tempore familia Herſfeldenſis Eccleſiæ, Wernherum Abbatem ſuum malè conuenientem deteſtata, ſupplex Henricum denique ſibi tutorem adſciuit. Condere iam arcem & oppidum Herbrachſhuſanum Henricus cœperat; & ditionis ſuæ ſedes ac propugnacula ad bellicum vſum impendio explicare, cùm hiſce curis breui abſoluendus, ad aliam vitam euocatur, ſalutis anno MCCLXI. *Deſiit* 1261.

XLVI. BERTHOVS II. Leipoltz; ex Præpoſito S. Petri, Henricum rerum geſtarum magnitudine ſuperatum ibat; veri Abbatis, id eſt parentis officium, quà tuendo ſibi credi-tum *Cæpit* 1261. *Præfuit* 10.

tum

tum munus, quà præclarè de Ecclesiâ suâ merendo, perfunctus in suos: consilij ac vigilantiæ sagax; nec non iustitiâ & religione cultâ nobilis, quæ agmen virtutum eius duxêre. Exordio principatus, septénale dissidium, quod huius Ecclesiæ Ministeria noxiè distraxerat, Comitibus à Zigenhain & à Rineco auctoribus, exstinxit, & toti prouinciæ incolumitatem peperit. Inferius castrum Schlitzij, malè pacatum, edomuit vastauitque. Inde anno Domini MCCLXXIII. die qui S. Simplicio sacer, Fuldæ à Christiano Lincolniensi Episcopo benedictionis solenne munus abstulit.

Ministerialium factionem componit.

Eodem anno nouennali dissidio, per tumultum & arma, variè transacto, Thuringia ab Hassiâ abstracta; &, quæ hucusque prouinciæ vnius principatu steterant, à duobus dominis regi cœpere diuersis. Etenim Henrico Raspone, vtriusque ditionis Landgrauio, & Rege Romanorum, sine liberis exstincto, Sophia filia S. Elisabethæ patruo per filium Henricum, materno iure successum ibat. Sed distractis popularium animis, cùm Henricus Misniæ Marchio, Iuttâ sorore Henrici Cæsaris prognatus, partibus item suis strenuè inuigilat, relictam ab auunculo Rege Thuringiam occupare nil dubitauit. Itaque post diuturnum armorum & litium certamen, huc denique ventum, vt partitione factâ, Henricus infans Henrici secundi Brabantiæ Ducis & Sophiæ filius, Hassiæ dominatum iniret, & propaginem eius gentis ederet, quâ hodieque Hassiæ Landgrauij continentur: at Henricus Misniæ Marchio, Theodorici & Iuttæ filius, Thuringiam sibi & posteris haberet, & diuiso Imperio frenaret. Id quod Fuldensis Ecclesiæ, ob clientelæ iura vtramque gentem secuta, scire, haud nihil interesse censeas.

Hassia & Thuringia diuisio anno 1263. Historia Landtgrau. Thuring. à c. 53. vsque ad 63. 1247.

Infãs Hassia. Das kinde von Hessen.

Anno IV. regiminis, factioni facem præferentibus Henrico Hersfeldensi Abbate & Gotifrido Comite Zigenhainio, coniuratum in Berthoum ab omnibus Ecclesiæ Ministeriis; flammaque & populatio, totâ ditione longè sese protulit. Verùm Berthous nihilo infractior, vniuersam factionem intra Hersfeldensis oppidi mœnia conclusam, *quatridui obsidione, gloriosissimè deuicit*; omnesque, veteri attestante memoriâ, humiles ita redegit, vt inde respirandi vix locus reliquus. Blanc-

Coniuratio noua Ministerialium.

Blanckenauium Monasterium virginum. kewaldiam arcem tunc euersam, & monasterio Blanckenauio mutatam, Virginũ sacrarum instituto parthenone, celebrem fecit. Franckensteinium aggressus, vbi captiuos inde suos assertor eduxit, excidio castrum multauit. *Franckensteinium domat.* Loci dominum Henricum Franckensteinium hostiliter sæuientem, opibus & arcibus exutum, in vltimam egestatem coniecit. Bello Franckensteinio illud ad posteritatis memoriam illustre; quòd quadraginta armatos quindecim ferè inermes adorti ex familiâ Abbatis, ope freti S. Bonifacij in fugam egerunt, & præsentis victoriæ nobili trophæo, quindeni quindenos manu captos ad Abbatem perduxerunt. *Miraculi non expers victoria: idque esto 1. miraculum.*

Geissa. Eodem tempore, Berthous Geissam oppidum amœno loco ad Vlsteram riuum in colle situm instaurauit: Hasselsteiniũ ditioni adiunxit. *Haselstein.* *Lutterbach.* Lutterbachium & Breittebachium exstruxit, muros addens & foueas pro munimento. *Breittebach.* Aduocationes in Vlffhausen, Steinbach, Heroldes, Vlinbach, cum omni vtilitate locorum Ecclesiæ adiecit. *Aduocationes.* Et quia monstrifera simultatum hydra nobilium tot dissidentium alita capitibus, exstingui aliter non poterat, Wernero Archiepiscopo Moguntino & Hermanno Hassiæ Landtgrauio pacis auctor fuit, quaquauersum sciscendæ formandæque. *Pacis publica tutela.*

B. Virginis cultus. Fuit Berthous in sacræ Virginis Dei genitricis honore cultuque impensè deditus: voluitque de communi suorum sententiâ, in Orientali Basilicæ choro cotidie beatæ Matris honori rem diuinam, cum primâ face lucis, cantus mulcedine peragi: diei quoq; serum in istâ & omnibus circumiectis ecclesiis, antiphonâ parthenicæ laudis, additâ collectâ, claudi. Puerorum in scholis ludos, quos Episcopis creandis Festo Innocentum dabant, abrogauit. *Puerilis disciplinæ cura.* In otio litterario, haud vagari per compita, sed claustrali custodiâ cohiberi placuit, quò remissionibus his deesset illecebra peccandi.

Margareta Thuringiæ Landtgrauia ab eo honoratur. Anno MCCLXIX. Margaretam Alberti Thuringiæ Landtgrauij coniugem, Frederici II. Imperatoris filiam, pellicis impatientem, & mortis metu profugam, Fuldæ in tutum recepit; atque inde Francofurtum deduxit; vbi & illa in D. Catharinæ monasterio, diem suum posteà clausit.

Eisenbach deletur. Eodẽ anno Eisenbachio castello à pacis arbitris deleto, sub-

sesso-

ſeſſores qui Capellam Godefridi Zigenhainij Comitis arcem tenebant, ſparſo per cædes & rapinas latè terrore, peregrinorum ad S. Iacobi viſentium ſanctitatem violarant. Non tulit immanitatem illam Berthous, ſed accerſito Henrico Thuringiæ Landtgrauio, ceteriſque auxiliis, tridui obſidione latrones ſubegit, & gladio, cruce, flammâ, peſtem illam patriæ, vario funere demerſit. Similis huic hominum colluuies, in Comitem Hermannum N. coniurata, Biſchofsheimium Franconiæ confluxerat, & audax iniuriarum, vſque huc effuſa populabatur. Monet Berthous iterumque monet Herbipolenſem ciuitatem & Capitulum, vt vim arceant, iniuriam prohibeant. Sed nempe ſuperauerant mala, nec ſuperanda niſi domeſticis remediis. Ergo ſuos immittens Berthous, oppido capto, faces ingerit: prædones, quia ſingulari munitione excepti, deſperatione quàm virtute dimicabant; ſalute vitaq. conceſſâ, abire quò vellent, permiſit.

Peregrinatores piè, vindicati.

Biſchofesheimio occupato prædones exigit.

In his erat Berthous; & animi magnitudine ac æquitatis ardore turbatores Reip. immenſùm premebat. Nec verò magna licentia, & ſemibarbati mores, ſine magno impetu diſciplinæ, refrænari poterant. Ergo xv. arcibus Miniſterialium euerſis, domitis rebellibus, pace palàm illatâ, ſecurior, inſidias iraſq. ſuorum euitare non potuit. Fortè Hermannum Eberſbergium militiæ ſtrenuum, datâ, non tamen ſeruatâ, incolumitatis fide, ceu publicum hoſtem, anteuersâ medelâ, per Gerlacum Kuchemeiſter (ſtirpis id auitæ nomen) palàm Fuldæ capite puniit. Iam diu Berthoo, ac legibus infenſi prædones, conſilium in manibus ac armis omne gerebant. Quare maturatâ veteris gangrænâ mali, volitare minæ, & nouę coniurationis ſemina iactari. Coibant in caput ac perniciem Antiſtitis, Henricus & Albertus Ebersbergij, Geiſo Steinauius, Albertus Brandauus, Eberardus de Spala, Conradus & Berthous Luppelini germani, Conradus Raſtorffius, aliique nobilitate & eccleſiæ miniſterio principes. His omnibus vna mens, rapere, auferre, ſolitudinem facere; ſi quis obſtet, eum, quantuſcumque, vi, manu, opprimere. Ita decreuerant, & apparebat —— *quid cæde calentibus armis,*

Quantum iræ liceat, motuſque quid audeat enſis.

Berthoi caſus triſtiſſimi origo.

Coniuratio.

Ber-

Berthous inter hæc aliorum omnium præter sui capitis periculum satagens, comitate, officiis, beneficentiâ certare cum hostibus suis; horum quemque equis, veste, annonâ, alióve, vt res posceret, ornare munere.

Annus aderat à Christi nascentis ortu MCCLXXI. dies XV. Kalend. Aprilis: (*scelus nefandissimum, & à diebus æternitatis inauditum*, occlamant veteres) Missarum Introitus erat ab illo solenni: *Dum sanctificatus*. Adornabat officium rei faciundę Berthous propè à Curiâ suâ, vbi iam Decani domicilium, in æde quam ipse exstruxerat. Coniurati ex condicto sceleris olim certi, occultè Cellarij domum ingressi, stratis equis illic ad celerem fugam, simulatione officij & obsequij, limina templi reuerenter adire, diuinis, vt assolet, intendere. Iam Antistes, ministeriis inchoatis, in veste purâ adstabat, librum manu tenens, ex quo, pro cantoris officio, Graduale, quod vocant, inceptaret. Lecta mox erat Epistola, & solenne canticum, *Beata gens*, Abbas exordiebatur; cùm ecce immani sæuitiâ præcipites consurgere sicarij, stringere impunè gladiorum mucrones. Ilicò ergo, inopinato furore, perterritis cunctis, venit sub ictum Berthous, hunc vnum volitantes omnium petunt gladij. Ergo multis fœdè concisus vulneribus, cadit Antistes; quodque triste pariter spectatu & memoratu, luculentâ plagâ, reuulso ab humeris capite, in sanguine suo, truncus ante altare relictus est. Piaculum hoc die S. Gertrudis, ieiunio verno, ingemiscente Fuldensi Ecclesiâ, Germaniaque, patratum; vnde nec eius atrocitas, publicis Annalium monumentis excidit:

Inter diuina Berthous fœdo latrocinio sacrilegè interficitur.

Fuldensis Abbas Bertous, strenuus & vtilis rector populi sui, cultor & amator pacis, occisus est in Fuldâ in proprio oratorio, infra Missam in Quadragesimâ.

Anonym. Erfurt. c. 67

Deinde in editâ historiâ, de Landtgrauiis Thuringiæ:

Anno Domini MCCLXXI. *Abbas Fuldensis Bertholdus occisus est in suo oratorio, infra Missam, à suis vasallis, scilicet de Steinawe, de Schenckenwaldt, de Brantowe, de Ebersberg, qui omnes diuersis modis malâ morte mortui sunt, & castra eorum destructa.*

Steinavv hostium receptaculũ.

Latronibus è vestigio receptui fuit arx Steinauuia, oppidò tunc huic Ecclesiæ inimica. Ex hac ad sueta cædium & rapinarum

narum conuersi, septennalem pacem innumeris damnis prouocare, impunè fuit. Lugebatur hæc faciliùs quàm sanabatur plaga; Ecclesiâ capite, Imperio propè Rege, destitutis. Itaq. honorificè, loco quo contrucidatus erat, in oratorio S. Iacobi condito Berthoo, Cœnobitarũ animi in comitium versi electionis causâ; sed secessione turbante, denique compromissum in septem, quorum suffragiis electio staret. Horum itaq. moderatione

Capit 1271. Præf. 2. XLVII. BERTHOVS III. ei succedit, ex Mackecellensi stirpe non ignobili, nuper D. Andreæ Monasterio Præpositus. Vir artium sæculi rudis, simplici nec maleuolente ingenio. Conscientiam parricidij, nedum vltionis, exuisse credederes; at vigilabat Dei cuncta cernentis oculus. Circumagebant adhuc se prædonum globi, sanguine occisi Præsulis teterrimi, per cædes, sacrilegia, aliaque id genus facinora terrori cunctis; cùm piorum questus assiduæque preces tandem cordi fuêre supremo vltori. Itaque causâ fretus, collectaque manu Berthous, militem educit ad diem Natalis Domini, *reseruato sibi*, vt vetus Auctor loquitur, *nostræ redemptionis priuilegio:* capita coniurationis, quæ spoliis Haselanæ ecclesiæ permunitæ imminebant, illic velut indagine circumdat; vt nullus nisi per ipsam ædem fugæ pateret exitus. Hostibus igitur & ecclesiâ captis & expugnatis, principes cædis Ebersbergij tres captiui facti: vnus è vestigio cæsus, duo reseruati ad pœnam; reliquos numero triginta, vel ignis, vel gladius abstulit, equis & sessoribus vnâ pariter ruinâ oppressis. Ita, qui loca numini sacrata innoxio sanguine, ipsumque sacrosanctum domini sui verticem inhonesto vulnere fœdauerant, horum voluit Deus occidione templa item cruentari; vt vbi culpa orta erat, ibidem pœna desineret. Vnde nec inscitè harum rerum Scriptor vsurpauit Ouidianum illud: *Sicariorum vindicta.*

——— *Nec enim lex æquior vlla,*
Quàm necis artifices arte perire suâ.

Berthous, ceu ad vlciscendum decessoris sui necem tantùm gubernacula capessiisset, cùm neque confirmari sibi Romæ, vti mos, honores, nec rebus gerendis alacritatem dare, studio

 esset;

eſſet; rogabat eum Congregatio, vt aut ſpontè ſubmitteret, aut Eccleſiæ nimiùm quàm laboranti induſtriam commodaret. Vtrumque cùm omittit, omnium conſenſu querela Romam perlata, præſertim quòd annum iam & ampliùs auctoramenta ſua diſtuliſſet. Quo conſilio ipſe exaſperatus, in

VVernherus Archiepiſcopus Moguntinus Fuldā adminiſtrat. Wernheri Archiepiſcopi Moguntini tutelam, eccleſiam, oppida, arces, ſeque permittit; eamque Abbatis callidam certè *Deſiit 1272.* fruſtrationem, metu ſchiſmatis & aliarum cladium, quas Congregatio nuper abundè ſenſerat, probare debuit.

VVernherus Archiepiſcopus Moguntinus anno MCCLXXII. *Tutor eccleſiæ Fuldenſis*, ſed infelici rerum territus ſucceſſu, anno poſtero maturè abdicauit, & nouis ſuffragiis locum fecit.

Coniuratorū exitus. Idem ſuperſtites adhuc reos ob necem Berthoi, exſoluendæ noxæ & impetrandæ veniæ, Romam ire coëgit; verùm, qui

Ita MS. acta. pœnitentes feliciter exierant, ***arrepti apoſtaſiæ ſpiritu***, animæ fecêre naufragium.

Anno autem ſalutis MCCLXXIV. reliqui duo Ebersbergij, iuſſu Imperatoris Francofurtum euocati, rotę incuſſu, miſerabili exitio infelicem profudêre ſpiritum.

XLVIII. BERTHOVS IV. ſeptimo Idus Sextilis, votiuâ *Cœpit 1274.* ſuorum concordiâ eligitur. Is Bimbachiorum domo nobilis, *Præf. 8.* & Monaſterij primi Decanus, ingreſſu regiminis, caſtrum

Huna caſtrum ſpelunca latronum capitur cum aliis. Hunæ, *ſpeluncam tunc latronum*, octiduí obſidione cepit, & Regis iuſſu ſolo æquauit; & biennio pòſt, eâdem animi celſitudine, Mackencellam, Mansbachium, Aldenburgum, & inferius Bimbachium, damnoſa caſtra expugnauit.

Concilium Lugdunēſe. Concilio Lugdunenſi interfuit, anno Domini MCCLXXIV. atque ibi à Gregorio X. id nominis Pontifice auctoratus Abbas, multorum ſibi Pontificum gratiam comparauit; exſtruendæ reficiendæque baſilicæ piacula multa conquiſiuit. Bertholdo Herbipolenſi Epiſcopo longè inter amicos gratus & concors vixit.

Anno MCCLXXXII. Berthous ſub feſtum diem omnium *Deſiit 1282.* Sanctorum, Regiis nuntiis Moguntiam euocatus; certuſque, attenuatis & viribus & opibus ſtare diutiùs regimen non poſſe, multorū Epiſcoporum ac Regis ipſius, & Ordinum omnium

nium Buchoniæ crebrâ iuxtà ac seuerâ oratione consilioque flexus, œconomiam & Ecclesiæ fortunas, Rudulpho Regi moderanda concessit in sexennium. Ipse itaque politicæ rei omnis expers, probante Congregatione, priuati more vixit, annonâ, certoque dimenso, & S. Petri præpositurâ contentus. Et, quòd ob non alienandum, Ecclesiæ commodo fieret, sigillum tum suum, tum Capituli, in III. virorum potestatem permisit. Denique res sacræ, quæ multis retrò motibus in peius prolapsæ, ipsius, & trium itidem pietate prȩstantium Monachorum consilio sustentatæ. Quâ de re Magontiaci confectæ tabulæ leguntur Non. Nouembris, Indict. XI. regni Rudulphi anno primo.

Abbatia regimini Rudulphi Regis subycitur.

Anno MCCLXXXIII. Eberardus Comes Catzenelleboge pro Rege vectigalia hîc exercuit; sed, vt fama tunc fuit, in rem suam potiùs quàm Ecclesiȩ. Inde sibi Bertholdum Liebsbergium subiicit; mox Nicolaum Scharffensteinium: qui sexennium regalis tutelæ expleuit.

Anno MCCLXXXVI. Berthous Abbas ob animi mœstitudinem satur honoris, bonâ Pontificis Regisq. gratiâ, se spontè abdicans, tranquilliora prætulit: nec multo pòst tempore, suffragiis indictus dies, quibus

Cœpit 1286. 1287. Pref. 3. XLIX. MARQVARDVS II. magnâ voluntate Berthoi & Cœnobitarum surrogatus. Genus huic ex Baronibus de Bickenbach. à Berthoo primâ ætate Fuldam accersitus, & pro indolis ac spei magnitudine, ab eo paternè educatus, cùm primùm liberalis doctrinæ rudimenta deposuit, ab ipso Berthoo, vt assolet, emancipatus, & Decani munere, quamquam iuuenis, accinctus est. Habitu monastico non vsque delectatum perhibent; quare fuit, vt vberiùs aliàs narrabam, cùm primores Monasterij magno cum rubore vel inuito cucullum iniicerent, quia frequenti populo, togatus sine cappâ in templo apparuisset. Sed inter initia quoque sumpti muneris, calidus iuuentâ, dominanti quàm pascenti similior, vt plerosque Præpositos omnes abdicauit, ita quidquid rebellium & sceleratorũ hominum vsquam erat, terrore & armis sibi subegit: tempori quoque adspergendo

Habitus monastici fastidium.

leniota, imperium reuerenter habere doctus.

Anno MCCLXXXVII. Marquatdus Româ auctoritatem ſanctiorem accepit;atque inde ab Epiſcopo Bambergenſi pro Pontifice conſecratus eſt.

Conflagratio baſilicæ Fuldenſis. Eodem anno, poſt vincula S. Petri luctuoſo & exitiali incendio S. Bonifacij baſilica conflagrauit. Hac ſanè lachrymabili clade, velut euigilatis ſenſibus Marquardus, vegetior ad rem gerendam conſurgit; & aduocato repentè cuiuſque generis & pręſidum & clientium nobilium conſilio, ſumptum materiamque parare ad ſarciendas ruinas & nouæ fabricæ cultum. Hinc ditionis confinia munire aduerſus vim hoſtilem, erogare largè ſtipendia, & iis munimentis Eccleſiam obuallare ſuam, vt pulſo domeſtico metu, cõtra Principum & ferocientium quamuis prædonum manum, defenſa atque ſecura ſtaret. Oppidulum Nitharshuſenum apud Cellenſem parthenonem, & Fiſchbergenſe caſtrum, ditioni ſuæ adiecit. *Iudæorum fœnore oppreſſa Eccleſia Fuldenſis.* Merſas impio fœnore Iudaico Eccleſiæ ſuæ res, & vſuratum onere fatiſcentes ſubleuauit, & è detentorum manibus ereptas, magno ditionis bono, copiâ illatâ annonæ & fecunditate, reſtituit; *vt bonus facilisque in bonos, ſic aſper in contumaces & metuendus.* Sed, heu fallax hominum vita, & mors multifaria, quam huic inſolens nimis caſus attulit.

Marcquardus veneficio perit. Annus ibat Chriſti naſcentis MCCLXXXVIII. ſextus à feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, dies, cùm mulier, an venefica? certè mala, Marquardo chirothecas offert medicatas letali ac præſenti veneno: harum attactu mox crepuêre digiti; & facies corpuſque diffuſâ repentè lue ſic illigata, vt ma- *Deſiit 1288.*
gnitudo doloris triſti mortis genere exprimeret animam.

L. HENRICVS V. à Wilnavv ſuccedit, approbatione ſuorum magnâ: & hic ætatis flore ac oris diſerti gratiis, induſtriæque laude de ſe conceptam ſpem ſuſtinebat. *Cœpit 1288. Præfuit 25.* Genus illi prænobile, & animus, etſi domi modicè habitus, quod tamen hiſce ſæculis familiare ſacratis malum, belli ſatis ingens; & abſque hoc, nec Eccleſiæ patrimonium conſeruari, *MS. & Chronic. Colmar.* nec Regibus obſequia præſtari poterant. Pugnabat Rudulphus eo tempore contra Bernenſes, & Sequanorum eam partem

tem armis infenſabat, quæ Rauracis finitima. Itaque Henricus Abbas regalia promeriturus, anno MCCLXXXIX. cùm quadraginta * equitum alâ Bizontium ad Rudulphum Regem profectus, in illius vrbis obſidione & expeditionibus aliis vſque in ſequentem annum *ei*, vt acta referunt, *gloriosè ſeruiuit.*

Henrici expeditio in Sequanos.

* vetus Scriptor cum 40. groſſis Runcinis.

Anno MCCXC. Rudulphus Rex, Thuringiæ componendæ ob Alberti Landtgrauij & filiorum implacabiles iras, mirè diſtractæ, annuum propè cœtum Erfordiæ habuit, quem, vnà cum proceribus aliis, Henricus etiam honeſtauit. Iuſtitiæ cultæ magnum ibi Rudulphus ſtatuit exemplum, ad LXVI. prædonum arcibus in Thuringiâ ſolo æquatis.

Hiſtor. de Thuring. Landtgr. cap. 76.

Thuringia tumultus.

Prædonum Thuringicorum arces excisæ.

Sequenti anno, quo Rudulphus Rex naturæ conceſſit, inteſtina lis Congregationem & Abbatem exercuit, Marquardo Decano maioris Eccleſiæ, fratrum commoda, id eſt victum cultumque propugnante, qui in tam oneroſo domi militiæque ſumptu, vtrique rarò ſine querela dabantur. Quæſtionem Romæ peragi vtrimque placuit: vbi, poſt triennalem cauſę diſceptationem, haud ſine diſpendio partium, pronuntiatum circa annum MCCXCIV. *vt menſa Conuentus, perpetuùm ſit ſeparata à menſâ Abbatis, ſeorſimque cibus, potus, alimenta, ceteraque vitæ neceſſaria Congregationi prompta condita ſint:* id quod pacificè in rem collatum, Marquardo Decano auctore, qui XXIV. anno ſui muneris ſponte abiit, & præpoſituram maiorem trimeſtri functione tenuit.

Menſa Abbatis & Conuentus ſeparatur.

Præpoſitura maioris Eccleſiæ; quæ pridem exoleuit.

Eodem anno Henricus Abbas, in Adolphi Naſſouij Regis, quem ſanguine attinebat, aulam ſe contulit; eiuſque fidei curiam & œconomiam Fuldenſem in ſexennium credidit. Intereà ipſe, Regem Adolphum, bello Thuringico parum laudato, proſequitur, qui ab Alberto Landtgrauio, ſuperſtitibus liberis principatum Thuringiæ pretio emerat. Hoc bello, expugnando Franckenſteinio præcipuè intendit; quòd caſtrum id in Fuldenſis Eccleſiæ eſſet imperio. Quin Thuringicus hic motus, reciperandis vel augendis poſſeſſionibus auitis, aut hoſtibus vlciſcendis, multiplex ei occaſio. Ita Saltzungen oppidum & territoria Gerſtingenum & Franckenſteinium, cum plurimis exciſis inimicis locis, quæſita huic

Henricus ſecedens Adolpho Regi Abbatiam permittit.

Addit. ad Lambert. & hiſtor. Landtgr. Thuring. cap. 78.

Adolphi in Thuringiã expeditio.

Saltzungen. Gerſtingen. Frankenſtein.

 Eccle-

Ecclesiæ; multa quoque Henrici manu münita loca & propugnaculis firmata.

Addit. ad Lambert. Hist. Lãdtgrau. c. 81. Buchoniorum victoria aduersus Thuringos.

Anno MCCCIV. Alberto Austriaco Rege, qui Henrico Abbati, ob partium studia, non æquè fauebat, irrupêre Buchoniam delectâ militum manu Henricus Comes Hoensteinius, & Comes Bichelingen; ad quorum aduentum, exciti ad arma aduocati, ciues, rustici. Buchonij paruis copiis ingentem manum sustinuêre; & Thuringis cæsis non paucis, cùm alios multos, tum vtrumque Comitem in prælio ceperunt; qui nec antè dimissi, quàm auro haud paruo capita rependissent.

Hist. Lãdtgrau. c. 81. Albertus Rex Fuldã accedit.

Anno MCCCVI. Albertus Rex frequenti Principum comitatu Fuldam venit, & de Thuringiâ, nuper ab Alberto Landtgrauio Adolpho Regi venditâ, disceptauit; immissisq; belli ducibus, vindicandæ possessioni aduersus liberos, anno postero magnas ibi turbas conciuit. Regis aduocatus in Thuringiâ nominatus, frater Abbatis Fuldensis Wilinauius. Is Isenacensibus Alberto Regi deuotis, cùm in obsidione castri Wartbergi opitulatur, à Fredetico Landtgrauio Alberti F. captus, & in vinculis mortuus, Isenaci in Dominicanorum æde sepulturam accepit.

Henricus Regi Henrico ministrat longinquis itineribus, Bohemia,

Anno MCCCVIII. postquam Henricus Lutzelburgensis Comes, renuntiatus Francofurti Rex; Henricus Abbas, demerendi Principis, affuit cum obsequiis inter primos: nam sequenti anno, simul Aquis accepto diademate Spiram petiit, Henricus geminâ in Bohemiam expeditione fidem Imperio probauit suam; nam MCCCX. Elizabetham Wencessai defuncti Regis filiam in Nemetes adduxit; & eamdem Ioanni Henrici Regis filio nuptui traditã, Petro Moguntino Archiepiscopo comite, Pragam reduxit. Hinc Regi in Italiam arma mouenti, coronæ & veteris iuris restituendi se iungit; & anno MCCCXI. Galliam Cisalpinam ingressus,

Italia,

Insubrum bello interfuit. atque inde ad Ligures translato exercitu, ipse cum Rege anno MCCCXII. Genuâ profectus, classe triremium Pisas aduectus est: ac Romæ tandem coronationi adstitit; multis ibi, pro Ecclesiæ suæ dignitate, quæsitis priuilegiis. Missus hinc, Carinthiæ, Morauiæ Bohemiæq.

Morauia.

consti-

constituẽdæ supremus Legatus; passim agmine Cleri cum venerandis occurrente reliquiis. Brunæ item, Regem ipsum Bohemiæ CCC. equitum ornatissimâ vexillatione habuit obuium; atque hîc per mutuos amplexus & oscula nuperæ consuetudinis gaudia renouata. Duces Austriæ & Carinthiæ malè pacatos, & inuicem infensos, subinde placauit. Postremò Misniam & Thuringiam ingressus, conuocato Erfordiam nobilium & procerum conuentu, præsente Marchione Misniæ & Brandeburgi, sacramentis omnes in verba publicæ pacis concordiæque adegit. Fuldam plenus gloriâ reuersus, curiam Neuenburg, quam instruxerāt recens, introiit; ibique comites expeditionis ac * milites, postquam magnificè habuit, benè iis precatus, ab se cum pace dimisit. Posteà loci, diarrhœâ correptus, Hamelburgi decendialis æger iacuit, atque Christianis omnibus præsidiis ad supremum agonem communitus, feliciter in Domino quieuit, anno salutis MCCCXIII. XII. Kalend. Martij. Optat gestorum Scriptor, ipsius memoriam apud posteros non intermori, *quia Ecclesiam hanc multis annis laudabiliter & optimè gubernarit.*

Erfortensis conuentus. ** nobiles,* *Moritur Hamelburgi.* *Desiit 1313.*

Cæpit 1313. Præf. 1. LI. EBERARDVS à Rotenstein, breuis imperij nec pœnitendi Abbas, prouidus vir & circumspectus, ære non paruo nexam Ecclesiam laxare cœperat, cùm mors cœptis interueniens, homini manum inijcit, optimo licet & venerando. *Desiit 1313.*

Cæpit 1314. Præfuit 40. ferè, aliàs 39 LII. HENRICVS VI. de Hohenberg; cuius acta ad vnguem si stylo extenderimus, modum excessisse videbimur suscepti laboris. Annum natus quartumdecimum Religioni consecratus est, à primâ ætate. Scholæ legibus exsolutus, regulam S. Benedicti, votis Deo nuncupatis, ritè professus. Hinc paucis pòst annis, Holtzkirchio cœnobio, famâ virtutis datus Præpositus; ac interuallo, moribus egregiis ad gloriam inclarescens, Fuldensis Ecclesiæ Decanus omnium suffragiis eligitur; quod munus ipse quinquennio *obseruantiâ regulari & monasticâ disciplinâ accuratè seruatâ*, decorè gessit. Virtutibus mox virtutem & famam factis exaggerans, omnium

MS. extat in Ecclesiâ Fuldensi inscript. Lib. gestor. venerab. P. ac D. Henrici de Hoenberg.

Confirmationis impensa deminuta.

omnium vnâ voce creatus eſt Abbas. In Galliam itinere ſuſcepto, Clementis V. morte ſedem vacuam inuenit; vnde biennio elapſo, à Ioanne XXI. anno Chriſti MCCCXVI. honoris auctoramento donatus. Memorandum hîc, quòd iuris Pontificij Regeſtis, quibus pretium inſcriptum, quod curiæ Romanæ pendere confirmandi Abbates ſolent, Carpentoracti Galliæ Narbonenſis vrbe, vbi Clemens obierat, exuſtis, cùm plus antiquitus numeraretur, Henricus ad quadringentorum * florenorum cenſum paginas accepti redegit.

* aureorum

Bellici motus ob VVildecum, *Blanckevvaldios,* *Schlitzios,* *Hennebergios.*

Reducem excepit diſcordia primùm, quæ inter fratres ſuos, Eccleſiæ huius clientes, & Rineci Comites eorum hoſtes, exorta; deinde ob arcis Wildeci poſſeſſionem inter ipſum & Wirceburgenſem Epiſcopum nata: quæ in publici belli ſpeciem exceſſit. Hinc Comitis Brubergij arma pro Blanckewaldiâ ſtirpe in Fuldenſem Eccleſiam graui damno mota; aſſectantibus Comitem non paucis Imperij ciuitatibus, quæ Bingenheimij tractũ variis iniuriis infeſtarunt. At horum vi repreſſâ, Schlitziani nobiles, Eccleſiæ Miniſteriales ab Haſſiæ Landtgrauio laceſſiti bello, armis illius ac vigilantiâ tecti, exercitu quoque in hoſticum adducto, & Alzfeldiâ, latè prædâ circumactâ, obſidione tentatâ, non ſine ſuorum tamen clade. Inde ſecuta concertatio cum Henrico Comite Hennebergio; cuius ſtudio flagrabat Epiſcopus Herbipolenſis. Ceterùm, cùm Henricus Comes captiuus veniſſet in manus Abbatis, Matthiâ Archiepiſcopo Moguntino arbitro, pax conuenit, Comes feudi iure Fuldenſi deuinctus, & è cuſtodiâ liber dimiſſus.

Ciuilis tumultus Fuldenſiũ. *Aduocatorum vis.*

Omnium grauiſſimam ſeditionem incolarum Fuldenſium pertulit circa annum Virginei partus * MCCCXXX. quãdo ciuitas opibus adultior & libertatis dulcedine præceps, auſa exuere officium, & retinendi ſui iuris, imperata ſegniùs facere vel prorſus abnuere; nec ſine auctoribus, qui hîc præirent. Inter remedia antiquiſſimum fuit, primores vincire, & coërcere cuſtodiâ. Et huc illi venerant, vt ſponſione obſequium, pacem pro ſe, pro ciuibus addicerent. Sed acerrimum eâ ætate telum Aduocatorum, monui olim, aduerſus ſupremum magiſtratũ; qui tamquam tribuni plebis ſuam in rem factio-

* vſque ad 1331.

factiones id genus libenter alebant. Aduocatus tum Fuldæ Ioannes Comes à Zigenhain: huic ciues, Abbati non magis quàm toti Congregationi infensi infestique, per fœdera & occultas coitiones sese applicant; & anno MCCCXXXI. cæco & populari motu, impetum faciunt in vetus oppidum, Præsulis arcem cum munitissimâ turri proruunt sternuntque; faces iniiciunt curiæ; annonam, pecus, supellectilem diripiunt. eodemque furore, Decanum, Cœnobitas aggressi, agunt pelluntque extra septa & domicilia; & familiari omni re despoliant. Nec intacta à rapinis & incendiis rabiosæ multitudinis Monasteria montium S. Petri & Deiparæ Virginis. Præsul inter hæc, cùm tanto furori non esset reprimendo, conticinio noctis ecclesiæ turres occupat, manum suorum aduocat, familiam armat, & quidquid in supellectile, vetustis scripturis, ac bibliothecâ eximium & præstans, mittit in tutiora. Inde congressi cum Comitis manu familiares Abbatis, velitariâ pugnâ, septuaginta stirpis probæ milites & armigeros in certamine capiunt; ipseque Comes Ioannes Zigenhainius ad Schlitzium oppidum vsque fugâ elapsus, nihil propius ibi, quàm vt captus cederet Abbati. Hæc dum Fuldæ geruntur, in perniciem gliscentis maioris vtrimque cladis, primùm ob atrocitatem tumultus, auctoritate Cæsaris proscripta ciuitas. deinde affuit maturè Balduinus Treuirorum Archiepiscopus, idemque Ecclesiæ Moguntinæ tunc administrator; qui melioribus consiliis, induciis exoratis, partes concordiâ iunxit; & reos omnia præstare damna coëgit. Condonatæ iniuriæ quidem rapinarum, & captiui laxati, lytris æquatis. Verùm ciues iussi exstruere proruta mœnia iuxta Burgum, muris crassitie senûm, altitudine tricenorum pedum substructis, anni spatio. inde turrim, quâ magnitudine & firmitate in Burgo priùs steterat, expleto quoque vicino muro: hinc damnati quatuor millium librarum Hallensium, quæ in Abbatem, Cœnobitas, & Ministeria diuidundæ. Comitem Zigenhainium mille luisse placuit; sed tamen repetundarum pœnâ constrictum, equos, ornatum, & cetera spoliorum restituere. Hæc pridie S. Laurentij apud Confluentes Rheni & Mosellæ, partium consensu pacta conuentaque. Ceterùm ex tabulis

Ioánes Comes à Zigenhain.

Ciuium irruptio in Abbatiam.

Curia hæc dicta Der Perthoff.

Abbatis constantia.

Pugna velitaria.

Balduinus Archiepisc. Treuirensis motū componit.

Pœna factiosorum.

Zigenhainij Comitis pœna.

 huius-

huiusce fœderis obseruamus, quemadmodum Abbas & Congregatio exaltatæ Crucis festâ die, honori locisque suis ab incolis restituti sint. Habebat Balduinus pacis siue sequestros siue tutores Fuldæ, Lotharium Isenburgium, & Ioannem Rockenbergium. his solùm armatis esse licebat. Præsul & maior Congregatio pacatum agmen instruxerant in monte B. Virginis, vt decliui viâ & aspectabili, magnificentior in oppidum reditus esset. Ciuitas tota Fuldensis compositè pararat occursum, sed tristificum ac pœnitendum. Delecti quippe ignominiæ causâ ex optimatibus ciuitatis quinquageni, & totidem ex Communis corpore, rei melioris. Hi discincti, nudo vertice pedibusque, cereum libralem manu gestantes, cum ceterâ multitudine in viam vsque processêre, quæ montem inter ac S. Pauli oratorium media. Hîc exceptus Abbas, & Cœnobitæ extorres; iustisque honoribus à subdito populo affecti, in basilicam & Monasterium aliaque loca, vnde furenter expulsi, mansuetè reducti. Extremus actus fabulæ, vt rei quos gestarant cereos S. Bonifacio palàm in templo consecrarent, & in eius altari, ceu pignus reconciliatę gratię, deponerent. Abundè fuisse pœnarum & exempli diceres, vt multitudo tanto dedecore notata, à seditione conualesceret; sed signiferi turbarum latuerant, quibus tamquam ventis mare concitata, assuefieri obsequio non poterat. Cùm igitur vix obductâ vulneri cicatrice vetera mala recrudescunt, Henricus Luduici Imperatoris vsus consilio, primores factionis comprehensos, alios capite, alios fortunis exsilioque multari iussit. Atque ita ciuitatem quietam nactus, mœnia, turres, portas, vectigalia, suam in potestatem omnia redegit; & in rebellionis huius memoriam, domicilia reorum strauit, ac demolitus est. Fastidij plenum sit, singula hîc eius pertexere opera; structurarum, quas passim vetustis arcibus & oppidis aptauit; vectigalium, quæ variis ex locis coëmpta, Ecclesiæ quęsiuit; religionis, quâ templa cultumque Numinis auxit & propagauit. Ignorare nolis in his vel maximè, quòd Aduocationem ciuitatis, cum Centa circumiacentium pagorum, datâ pecuniâ, Ioanni & Godefrido filio Comitibus Zigenhainiis anno MCCCXLIV. ære diruit, arcem nouam Fuldæ exstruxit;

Lotharius Isenburgius, Ioãnes Rockenbergius, sequestri.

Restitutio honorifica Abbatis & Congregationis.

Coniuratio ciuium recrudescens, seuerius repressa.

Henrici Abbatis opera laudata.

Zigenhainiis aduocatos ære diruit.

ſtruxit; cuius in veſtigiis Ioannes Fridericus Abbas, hac memoriâ noſtrâ, præclarum & dignum Principe domicilium erexit. Salismonaſterium, portis ac mœnibus & oppidi iure donauit. Corporis Chriſti feſtum diem, in Eccleſiam ſuam induxit; & omnium deceſſorum Abbatum anniuerſariam memoriam, ab Octauâ S. Michaëlis ſanxit; calices, ſacram veſtem, & id genus alia dona, multifariàm templis intulit. Altaria poſuit, & perennia ſacrificia, addito cenſu miniſtris alendis, curauit. Monaſteriũ Virginum Virginis, cuius præpoſituram obtinebat Pontificis gratiâ, longè maximâ tum ædificiorum, tum adparatus ſacrorum beneficentiâ cumulauit; atque curriculo honoris ac vitæ per annos vndequadraginta laudabiliter exacto, ibidem in oratorio ab ſe condito, tumulari voluit, vbi ſepulchrale ſaxum cum hac inſcriptione inter ruinas adhuc conſpicitur:

An. 1608. *Salmünſter.* *Marianum montem extulit.* *Deſiit 1353.*

ANNO MCCCLIII. VII. IDVS SEPTEMBRIS
✠ VENERABILIS DN̄S HENRICVS DE
HOHENBERG ABBAS ECCLESIAE FVLDENSIS.

Lauinga in ſuperiore Palatinatu, finitimum Bauariæ, non obſcurum oppidum eſt. Id Luduicus Bauarus anno MCCCXXIV. obſedit; captumque Eccleſiæ Fuldenſi per hoc tempus abſtulit. Viſitur in æde ſummâ clypeus cum æthiopis inſigni ciuitatis huius, anathema S. Bonifacio, incertum quâ de cauſâ, ſuſpenſus.

Cœpit 1353. Præfuit 19.

LIII. HENRICVS VII. à Kralucke, cùm ſuffragia malè coëunt, quatuoruirûm iudicio, ad quos electio tranſlata, ſucceſſit. Is anno Chriſti MCCCLIV. VI. Kalend. Nouembris, Hermannum Comitem Hennebergium ab Aſchâ, inimicum expertus; qui dolo inſidiiſque Werbergiam arcem occuparat; ſed anno poſtero, obſidionem Henrico moliente, Comes fugatus, & proditi inſeſſores, ac deſerti, aperuere Werbergum Abbati. *VVerbergia arx.*

Anno MCCCLIX. feſto S. Catharinæ, Otto Landtgrauius Haſſiæ, Henrici filius, noctis ſilentio clàm admotis ſcalis oppidum Hunfeldiæ capit, nullo iuſti belli titulo; ſed octiduo pòſt, Alberto de Hoenloch Wirceburgenſi Epiſcopo, Fride- *Hunfeldia capta.*

Vindicata à finitimis proceribus cõtra Hassum.

rico Marchione Misniæ, Henrico Landtgrauio, belli societatem cum Henrico Abbate coëuntibus, Borckâ Hassiæ oppido cincto ac dedito, reuocatus est Otto, & Hunfeldiam relinquere coactus cum dedecore. Atque haud scio, an huic bello conserta expeditio, de quâ historia fide digna Landtgrauiorum Thuringiæ sic narrat: *Cap. III.*

Thuringiæ Marchio contra Buchoniam. — ** In arenâ.* — *Hassiæ Chron. hæc variè colorat: sed ei credas quãtum probat.*

Anno Domini MCCCLXI. *Fridericus Marchio intrauit terram Buchoniæ contra Abbatem Fuldensem, quod fatuè locutus fuisset contra eumdem Marchionem & Landtgrauium Hassiæ, & illâ parte, quæ nominatur * Auff dem Sande, cepit castra Northeim & Tostorff. Et similiter, Landtgrauius Otto Hassiæ cepit oppidum Hunefeldt; & posteà ambo Principes conuenerunt in confinibus Gerstungen; vbi Abbas eos accessit, & petiit gratiam eorum, & singuli redierunt ad sua.*

Anno MCCCLXIV. lue pestilenti vicinis in prouinciis magnam edente stragem, in vno Fuldensi oppido plus quàm tria millia hominum exstincta sunt. Henricus inde cùm pacis studiis dat operam, inter alia ornamenta, pedum ex argento affabrè factum, & mitram pretioso margaritarum & gemmarum textu, ecclesiæ suæ reliquit. anniuersarium obitus sui aliquot locis instituit. Munus actorum attestatione, *vir omnium honore dignus*, rebus optimè gestis impleuit; corpus *Desiit* defuncti in Deiparæ Virginis monte sepultum, hac memo- 1372. riâ scripturæ:

ANNO DOMINI MCCCLXXII. XV. KALEND. IVNII ✠ VENERAB. DNS D. HENRICVS DE KRALVCKE, ABBAS ECCLESIAE FVLDENSIS.

LIV. CONRADVS ex Comitibus de Hanaw: cuius, sicut *Cœpit* & insequẽtium, desinente, vti reor, antiquo Scriptore, exiliter 1372. acta stringuntur. Memorant à ministris Ecclesiæ, & nobili- *Præfuit* 10. tate, multa aduersa tristiaque tulisse ob ferociam animi: sed suspicor & aliunde segetem eam succreuisse dissidiorum.

Hist. Lãdtgrau. Thuring. — *Stelligerorum factio. Die Sterner.*

Anno quippe MCCCLXXII. in perpetuo quasi iustitio, ob inexplebilem rapinarum licentiam, Ottone Brunsuicensi Duce inter primos auctore, coniurata multis locis nobilitas, Stelligerorum factionem conflauit; in quâ & Buchonij de-

dere nomen sacramento adacti, pugnare in quemuis dynastam ac nobilem, qui huius societatis exsors esset. Bibersteniæ ædis communitæ, & arcis vrbanæ nouo in campos exitu patefactæ memoriâ respersus, Spangebergium in Hassiam deducitur, quò publicus cum conuentus exciuerat. Hîc luctuosus Præsulem casus oppressit: cum inimici eousq; prosecuti, in ostio cameræ deprehensum, vitâ exuerunt; siccâ an cruentâ morte, acta non exprimunt.

Desiit 1382.

Cœpit 1383.

LV. FRIDERICVS Romrodt, haud magnificentiùs sacro munere perfunctus, obæratam Ecclesiam, & bellis vndique quassatam, ægrè asserens. Buchenauiæ stirpis Landtgrauiorum armis suffultæ incursu, vstionum populationumq; haud exiguam cladem pertulit. Eo quoque sedente, Hamelburgum à Wirceburgensi Præsule obsessum, perhibet. Testatius id publicis historiis, quòd anno MCCCXCIII. Steineciæ domus nobilitate malè pacatâ, arx Poppenhusia trium Principum & aliorum auxiliariû copiis circumdata, Herbipolensis & Fuldensis Antistitum, ac Balthasari Thuringiæ Landtgrauij. quo minùs arx capta fuit, dolus obstitit nobilium Buchoniæ. Excussis itaque per machinas saxis, & iaculorum missiliumque variorum coniectu, sic arcis latera verberata & labefacta, vt quasi inhabitabilis arx inde staret. Hoc etiam tempore leges illæ Capitulares à primoribus Congregationis conditæ sunt; in quas leges ceu statuta à recèns electis iusiurandum postulari consueuit. Diem suum clausit hinc biennio pòst Fridericus.

Landtgr. Thuring. cap. 135.

Poppenhausia obsidio.

Capitularia Statuta.

Desiit 1395.

Cœpit 1395. Præfuit 45.

LVI. IOANNES à Merlaw in ætatis flore, stirpis & animi præclarus, eligitur; cùm ciuilibus exterisque bellis ardens Germania, fœdum in morem sua inter se viscera crudeliter committeret, ignauo interim sub Rege Wenceslao marcescens. Quantum & roboris & armorum primis annis superfuit, tantum excidiis hostiliû locorum & comprimendæ rebellium ferociæ dedit, felicibus plurimùm ausis insistens, virtutis secundæ præmio.

Anno MCCCXCVIII. postquam Bonifacij IX. priui-

Fuldensis basilica fulmine tacta conflagrat.

legio, feminis aditus, quod numquam licuerat, in templi penetralia datus est, ipsa cum Monasterio basilica fulmine de cęlo tacta, funditus propè flammarum & ignium exitio subiecta; quæ clades magnis Ioannem inde curis induit.

Bruckenauia S. Georgij ope ab hostium irruptione defensa.

Anno MCCCC. Bruckenauuia à nobilium factione, partis Schildecæ, stratagemate occupata. Sed diui Georgij martyris peculiari tutelâ, cuius festâ luce irruptio fiebat, vis hostilis detecta simul & depulsa. Quippe Caspar à Bibrâ, Steinruckij, Weyers, & Thüngen, aliique confœderati, militem vasis inclusum aurigarum ritu, ceu vina importarent, iam introduxerant. Sed populo ad arma ruente, subito concursū miles oppressus, fugaque dilapsus est. Oppidani beneficij memores, S. Georgium patronum legerunt, quem vulgus, hosti terrore iniecto, ibi tum apparuisse canit; iam annuâ quoque oppidi circuitione, elatâ in pompam venerabili Eucharistiâ, periculi depulsi memoriam frequentant.

Gerstingen dominium.

MS. archiui.

Mit gevvalt vnd vvider vvillen eines Abtz zu Fulda. i. vi & contra voluntatem Abbatis Fuld.

Anno MCCCCIII. annotat historia Thuringica, Balthasarum Thuringiæ Landtgrauium comparasse sibi Fuldense castrum Gerstingen; attexunt domestici, totum quęsiisse dominium eius loci, contra ius & priuilegia Monasterij Fuldensis. Sed in hac æquitatis ac legum caligine, nihil rarum, fas nefasque iuxtà haberi.

Bibliothecæ iactura.

Anno MCCCCXIV. Ioannes Constantiense Concilium adiit, duodequinquaginta equitum alâ pulchrè comitatus. Hussitarum conuellendo dogmati, lectissima Constantiam de suâ bibliothecâ volumina exportari iussit, quæ magnam partem deinceps restituta non sunt. Huius Concilij permotum auctoritate, crediderim, disciplinæ suorum instaurandæ aduertisse mentem. Quippe anno MCCCCXX. Congregationem prouincialem ordinis S. Benedicti, III. anno Pontificatus Martini Papæ, Fuldæ coiisse lego: ipsum anno regiminis vndecimo reuocasse ad regularem obseruantiam Noui montis seu B. Andreæ monasterium: at vigesimo eamdem disciplinæ lucem in Montis B. Virginis monasterium intulisse: denique multa opera pietatis à Ioanne profecta, in ornamentis ecclesiæ & basilicæ instrumento, exstare reperio. Censeas in his, ingentis soni & ponderis æramentum, cui

nomen

nomen Osanna dedit, inter Campanas omnium certè præstantissimam. Eius epigraphe rhythmis propè signata: *Campana Osanna.*

ANNIS BIS DVO C. MILLENIS QVINQVE TRIGINTA, *Campanarum vsus.*
DE MERLAW PRIMAS IOANNES CONTVLIT HOC VAS. *I. Steph. Durant. l. 1. de ritibus cap. 22. & Adr. Iun. animaduers. lib. 3. cap. 11.*
QVEM SALVET CHRISTVS, BONIFACIVS, ET BENEDICTVS,
SIMPLICIVS, FAVSTIN', PROCESSVS, MARTINIANVS.
DESTRVE TONITRVA, TV FVLGVRA, STELLA MARIA,
CVM SANCTO STVRMI, QVOTIES PVLSATVR OSANNA. *Lindanus Apolog. cap. 52.*

Tristior Ioannem extrema ætas nec merentē subiit; morbo quippe suadente, cum hortatu quoque suorum, consortem curarum Hermannum à Buchenaw cœnobitam lateri adsciscit. is tacitis artibus, &, quod pestiferum in viris Deo sacratis, consanguineorum pellaciâ opibusque fretus, obrepere ad supremos honores, & nomen imperij velle penes Ioannem, at vim apud se consistere. Delenificis itaque verbis senem eblanditus, Neueburgi vrbano castro in vicum Otershausen extrusit; & clauibus in suam potestatem redactis, ad cuncta, quæ istic reclusa, sibi viam fecit. Hinc, ceu omnium ignarus ageret, compositâ fraude, furtis, rapinis annonam Antistitis, & œconomiam vexari ac distrahi, insuper habuit. Ibant in apertam iniuriam consortis propinqui, cum questibus Conradum Moguntinum Archiepiscopum Ioannes, sed frustrà solicitat. Quare à Thuringiæ Landtgrauio ope quæsitâ, æmulum mox loco pellit, & reditus ad honorem tum quoque patefactus. Non inulti hoc ferre, qui Buchenauiæ gentis, nec Moguntinus dissimulare ęmulæ factionis studium, seu Landtgrauij, seu Ioannis aliàs incrementa succidens. Quare, vt in iusto bello, Fuldam clarigatum mittere. Anno MCCCCXXVII. Buchenauij, Bibersteinium arcem belli legēre. tum inde noxam igni ferroque proferre. Nec veritus Conradus Archiepiscopus magno copiarum numero prodire, ad cingendum obsidione Fuldam; sed auxiliis vndique contractis, vbi ventum in campos, qui indigenis Munsterfeldt, Landtgrauij præsertim virtute, retrò pulsus, magno cum dedecore, salutem expedire fugâ coactus est. Belli denique ac pacis arbitria in Cardinalis Legati Apostolici N. mode-

Hermanni à Buchenaw propera ambitio.

Buchenanius loco mouetur.

Buchenauiorum tumultus.

moderationem, partiū voluntate reiectâ, cuius auctoritate in optatæ Concordiæ faciem Fuldensis ecclesia rediit, XLV. annis inter tot cladium multiplices ruinas, vnius prudentissimi viri columine validè fulta ac sustentata. Eum Reginæ cæli mons Henricis duobus, quorum citima memoria, associauit. Sepulchri inscriptio:

*puta octaua. ANNO DÑI MCCCCXL. TERTIA DIE *EPIPHANIAE DÑI. OBIIT R. IN CHRISTO PR̄ D. IOANNES DE MERLAW Desiit ABBAS ECCLESIAE FVLDENSIS. CVIVS AĪA REQ. IN PACE. 1440.

LVII. HERMANNVS à Buchenavv Præpositus S. Ioannis, Cœpit & in spem successionis adpositus olim Coadiutor, Abbatis 1440. Præf. 9. honores adiit, hoc infeliciùs, quo immoderatior animo in Ioannem superstitem adhuc consurrexerat. Animaduertunt maiores, cùm nouis sacramento legibus olim constrictus de non alienando, quarum rogandarum & ipse auctor inter VVeterania Marca alienata. alios extiterat, quòd Marcam tamen Weterauiam, in veteri Wetereibæ pago longè diffusam huius Ecclesiæ ditionem, Die Fuldische marc in VVetereiba. Nassouiæ genti pœnitendâ in omnem posteritatem pactione vendiderit, & nobilem vectigalium partem cum damno Ita aliquot MS. abruperit. Laudem nihilominùs restitutæ montis D. Ioannis Monasterio disciplinæ, & piscinis aliisque possessionibus cum tectorum ornatu cumulatæ, tulit; quâ de re litteræ leguntur ab anno MCCCCXLIII. veteris pietatis vbique refertæ. Hinc & in eodem Monasterio die S. Paschæ vitâ functus, ac saxeo monumento tectus, anno MCCCCXLIX. câdem ad- Desiit modum quâ cetera epigrammatis scripturâ. 1449.

LVIII. REINHARDVS de Wilinawe, ex Comitum id no- Cœpit minis propagine, die sacro Georgij martyris eligitur. Is erum- 1449. Præfuit pente mox spoliandi licentiâ, pridie S. Gertrudis, validâ con- 27. Ebersbergū capitur. tractâ militum manu Ebersbergum occupauit.

Inde sequenti anno MCCCCL. XVI. Kalend. Maij, cùm Ioannes Waldensteinius à Behemorum nobili gente, vltionis priuatæ modo nullis inimicitiis indictis abreptus esset in vincula, Vrtzelliam arcem Reinhardus iustis copiis aggressus, cum vincto ac defensoribus suam in potestatem redegit.

degit. Hinc in exaltatæ Crucis festo die, solenni inauguratione consecratus Abbas; cui pompæ equites ad quingentos honoris causâ apparuerunt.

Benedictio Reinhardi.

Anno Domini MCCCCLIII. nouum hospitale S. Leonardi inchoatum. Nouum fortè, quia peruetus Colhusiâ viâ superest, à Spiritu sancto nominatum, sexui femineo exstructum. Eodem anno Ioannes Zigenhainij & Niddæ Comes vltimus suæ stirpis, prolis expers, naturę concessit: patruo Ottone sancto Treuerorum Archiepiscopo clarus, suâ tamen virtute clarior. Humatus maiorum sepulchris, apud Heinam Cistertiensis familiæ opulentum quondam suæ ditionis monasterium. Is cliens S. Bonifacij beneficiarius, documento fuit, quibus olim præmiis aduocatos suos, quorum ille herediâ creuerat, cumulasset; cùm amplissimos, moriens, comitatus duos ex Fuldensis Ecclesiæ patrimonio natos, Zigenhainium & Niddam cum oppidis & castris, omnique nemorum, amnium, culti inculti soli fructu, ad Hassiæ Landtgrauios, qui ab iis hodieque obnoxij, transmisit. Vnde nec dubitauit Ioannes Hennebergius Antistes, in suâ editâ defensione hæc ipsa beneficia Philippo Landtgrauio sigillatim annumerare, & ne eorum memoria excideret, quod dicitur, in acta mittere, Ioannis Comitis & progenitorum honorificâ factâ mentione.

Zigenhainium & Nidda Comit. feuda Fuld. Ecclesiæ.

Heina Monaster. Cistert. iam hospitale.

Hassiæ Principes adeunt Comitat. hos.

Ann. 1526.

Anno MCCCCLXVI. structura templi parochiæ, quæ vnica ciuitatis Fuldensis est, die SS. martyrum Ioannis & Pauli, post ædis antiquæ cladem, inchoata. At turris opus annis vno & viginti maturiùs exstrui cœpit.

Anno MCCCCLXVIII. bello Hassiaco, duobus Landtgrauiis fratribus arma in Buchoniam ferentibus, appetitus est Reinardus. Hoc motu, licet populando cremandoque damna plurima data; & hostis fallendo, intra mœnia receptus; militaris tamen disciplinæ recentibus adhuc in Buchoniâ vestigiis, virtus in æquo versari visa, cùm Reinardus hostiles carpendo manus, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi, manifestus esset. Quare Ioannis Hennebergij Comitis, inuicti animi & prudentissimi iuuenis ductu auspiciisque, & Ecclesiam præsenti discrimine liberauit, hoste fugato, & ne ex-

ternæ virtuti obnoxius ageret, virium virtutisque domesticæ copiis effecit. Sed longè huic equidem laudi concedere, studium illud arbitror, quo montis S. Petri Monasterium complexus, auitis illud & optimis S. Benedicti legibus, quæ inertiâ maiorum diffluxerant, rursus astrinxit; iamque ætate ingrauescens, anno MCCCCLXXII. Hennebergium, probante Capitulo, sibi Coadiutorem adlegit; cuius & integritatis iuxtaque potentiæ celebris latè fama, fastigio tanto par existeret. Abiit vitâ anno MCCCCLXXVI. XVI. Kalend. Aprilis, in ædis primariæ peristylio iuxta maiores suos conditus. *Desiit 1476.*

Capit 1477.

LIX. IOANNES II. ex Principum Hennebergij Comitum illustri stirpe, Reinardi iudicio & commẽdatione, summæ rei admotus; quam ipso defuncto, vti dixi, integram accepit. Hic Wilhelmi tertij nepos, Wilhelmi quarti filius, matre Catharinâ Hanouiâ Comite natus, anno MCCCCXXXIX. II. Iulij. Aliquot ipse Cathedralium ecclesiarum illustria sacerdotia tenebat, sed Canonicam vitam Monasticæ tandem posthabuit; quam in ætatis flore, supra Principis ingeniũ & licentiam, submisse, moderatè & sanctè habuit, ea fama pudicitiæ, liberalitatis in egenos, pietatis & abstinẽtiæ in Ecclesiæ censibus, vectigalibus vtendis, recuperandis; munificentiæ in templorum cultu; vt *inculpati Principis, ac Pastoris vigilantissimi* confessionem, etiam parum religiosæ mentis hominibus expresserit. Et sæculi vanitatem omnem posuisse diceres, cùm primùm ipse monasticum habitum sumpsit. Pacem armis ferè illacessitam coluit, nisi quòd à gente Buchenauiâ, & ab arce Raussenburgo Cattorum armis interpositis leuis motus, sed breui considens, extitit.

Ioannis Henneberg. mores. Chronic. Hẽneberg. lib. 5. c. 32. de Ioanne prolixè. Valentin. Munzer Chronic. Caspar Brusch. in Monast. illustr. Centuriâ. *Monasticũ habitum sumpsit anno 1472. v. Maij.*

Burgfride.

Anno MCCCCXCVI. feriâ quartâ post Dominicam Misericordiæ, celebre fœdus percussum: quo trium Principum, Bertholdi Magontini Archiepiscopi gente item Hennebergiâ, Ioannis Abbatis, Wilhelmi Hassiæ, sociatis oppidis, consiliis, viribus, potentia coaluit. Vnde in posterum Ioannes Ecclesiam magnâ dignitate iuxtà ac religione, auctu vectigalium, recuperatione alienatorum, ærario locupletato, florentissimam habuit. Lancem argenteam, quoties se reficeret, da-

pis

pis optimæ ad lectulum ægroti, quisquis ope dignus, relegare
Præfuit 45. solitus. Vixit annis LXXV. præfuit quinque & quadraginta: *aliàs vixit annos 74. minus 6. septimanis.*
superuixit non Prælatis modò cunctis Maioris ecclesiæ, &
omnium in vicino Monasteriorum, sed Capellanis demptis
duobus, planè Cœnobitis vniuersis. Tumulatus maiorum
sepulturâ, cum epigraphâ monumenti:

PATRIS INCLITI & ILLVSTRIS COMITIS.

Anno partus Virginei MDVII. Hartmannum ex Burggrauiis de Kirchberg, nobilem Thuringum & iuris humani iuxtà ac diuini consultissimum virum Coadiutorem assumpsit.

Duos Imperatoriâ stirpe, præter aliam nobilitatem, quæ Fuldæ frequentissima tum rebus diuinis spreto sæculo operabatur, Gerlacum & Luduicum Nassouiâ domo Comites, *Nassouij duo Comites Monachi Fuldæ.* sub habitu & disciplinâ S. Benedicti, ridete posteri, educauit. Gerlacus anno MDVI. diem piè functus saxo conditur, cui ipsius effigies, monasticâ benè laxâ veste cum cucullo, insculpta. De Luduico in schedis coætaneorum sic lego: *Anno Domini* MDIX. *Sabbato, in Vigiliâ vndecim millium Virginum, generosus dominus Luduicus de Nassow, frater ipsius Gerlaci, cappam induit.* & de eodem: *Anno* MDXVI. *obiit generosus & religiosus dominus Luduicus de Nassou, Diaconus, & iuuenis ætate suâ multùm honestus & discretus; cùm esset in studio Francofurdiano ad*
Desiit 1513. *Oderam.* Porrò Ioannes Abbas humana reliquit anno MDXIII. die XX. Maij. *Vir probus, omni honestate & virtute praeditus, fidei parsimoniæ, religiosæ vitæ, bonorumque dierum plenus, vixit integrè castus.* Sic æqualis, auorum ætate, Scriptor. Quia verò difficilia deinceps & atrocia tempora ingredimur, quorum vnus quilibet aduersus cuiuimodi auctoritatem sibi censuram deposcit, iis seruire quàm calamo nimiopere indulgere visum, Chronologiæ tamen, quæ breuitatis amans, seruato tenore. Loquetur autem pro me Apollo de Vilbel, ecclesiæ primariæ Decanus, qui sui temporis hîc vir præstans, memoranda quædam litteris priuatim consignauit. *Styli moderatio.* *Apollo Vilbell, Decanus Fuld.*

Cœpit 1513. Præf. 7. LX. HARTMANNVS Moguntiæ Canonicus, vbi & eloquentiæ doctrinæque famâ, Iuris vtriusque supremos honores adiit. Hinc sanctioris Spiræ tribunalis assessor, de iure tam *Hartmâni doctrina & cursus honorum.*

accuratè diserteq; respondit, vt Raimundus Cardinalis, qui Germaniam tunc lustrabat, opinione scientiæ & probitatis inter familiares cooptatum, consiliis eum maximis adhiberet. Inde in Poloniam à Maximiliano Cæsare missus, componendo certamini, quod Regem magnumque Prussiæ Magistrum ordinis Teutonici ancipites distrahebat. Ioanni Abbati honore propè æquatus, anno MDVIII. Cæsarem adiit, regalia, quæ vocant, impetraturus. Sequenti Romam excurrit, quærendo honoris stabilimento. Decimo supra millesimum quingentesimum, vota solemnia ritu monastico nuncupat; & Præpositus salutatur Monasterij sancti Michaëlis. XIII. cōsecratur Abbas ab N. Suffraganeo Moguntino, adstantibus Volberto Riedeselio à Bellersheim Hersfeldēsi & Christiano * Solitariensi archimandritis. Præsagium hîc acceptum parum felicis secuturi regiminis. Nam vulgatissimum in Ecclesiâ SS. Ambrosij & Augustini canticū, lætitiæ plurimùm argumentum, eâ vocum confusione & hiatu, pleno in choro exauditum est, vt, quasi inexplicabili errore, versus nec intermissi recipi, nec dissonus cantus ad vllam quamuis simplicem harmoniam potuerit reuocari, admirantibus quotquot pompæ intererant, vel extremam & supinam canentium negligentiam, vel ineuitabilem & perpetuam vocum discordiam. Eodem anno summo probante Pontifice, & Maximiliano Cæsare, Hersfeldensis vicina Abbatia Fuldensi adunata iunctaque, factæque transitiones, & honorum mutua communicatio; datis acceptisque fidei & obsequij sacramentis. Volbertus Abbas Hersfeldensis S. Andreæ Monasterio, alij aliis Monasteriis præpositi. Atque huius consilij fons, ab oppressâ Monasterij prænobilis libertate manauit; quam cùm Hersfeldenses incolæ passim temerarent, nacti ex facili tunc quoque patronos pupilli Landtgrauij tutores, ac prouinciæ moderatores, qui in conductuum controuersiâ, nec fori neque causæ competentes, in Volbertum sederant iudices, quem & grandis pecuniæ damnarunt. Sed vnionem hanc vix benè coalitam, Anna Meckelburgica Wilhelmi Landtgrauij vidua, Philippi mater, artificio discussit; quodque summis Principibus ratum, quod Hersfeldensibus iura-

Marginalia: * Schluchterensi. — *Omen sinistri regiminis.* — MS. Apollinis. — *Hersfeldensis Abbatia, quomodo Fuldensi vnita.* — *Hersfeldensis Ecclesiæ status.*

iuratum, irritum & iniuratum fecit; æmulo quoque comparato Georgio Bischoffrode, qui Hassiacâ fide tutelaque defensus, arma inultus huic Ecclesiæ, subditis vim inferret. Quin & anno MDXIV. Helmuerdeshausio Monasterio ad Dymollam Luduicum ab Hanstein ibi tum Abbatem accersiit, & Præpositis eligendum obtrusit.

Anno MDXV. Heimbachio & Vlffio castris æmulorum, Hartmanni copiis iure spoliatis; Georgius Bischoffrode vltionis auidus, sexaginta equitum alâ, & triginta peditum manipulo, Sastorffium villam inermem, & vix sedecim colonis habitatam subitus irrumpit. Quid agerent inopes & imbelles, vitæ, fortunarum, armorum periculo circumdati? Manu factâ implorant Dei summi numen, ac S. Bonifacij patrocinium. & mox eæ languidis affusæ vires, vt armis licet & numero longè impares congressi, globum illum equitum & peditum repentè disiicerent, ac cæde factâ, & equestribus armis spoliisque detractis, quatuor equos viuos abducerent, ceteros in effusam fugam agerent. Hoc totum Dei & S. Bonifacij fuisse, victores testati, armis templo pro anathemate suspensis, & cereo benè magno, supplicantium habitu ædi maximæ Fuldensi illato. Hæc Apollo pagani bellatoris ex ore, qui in hoc certamine bis telo toto corpore perfossus, pars huius victoriæ fuit.

Miraculum 3.

S. Bonifacius iuit iterùm in prælio adest.

Anno MDXVI. Congregatio Fuldensis Hartmanni moribus & profusione thesauri, à decessore tam impensè parti, offensa, submissè, & Regulæ S. Benedicti conuenienter, hominem iterùm iterumque frugalitatis & abstinentiæ maiorum, & leuandę per opes diu collectas Ecclesiæ, commonuit. Sed emolliri Hartmannus, spretis monitoribus, non potuit. Quare Congregatio nobilitati, ipse profugus cum gazâ præcipuâ & cimeliis litterisque, se oppidi Hamelburgi mœnibus credit; cuius in se fidem ita demeruit, vt nullis rationibus flecti potuerint Hamelburgij, quo in commune consulerent, omni popularium ordini, pręterquam vni Hartmanno, clausis suæ ciuitatis portis. Intereà Hersfeldensibus aliò traductis, Hartmannus priuatarum rerum studio, Hassiæ viduam affectans, non veritus Cęsaris Pontificisque litteras omnes, qui-

Cõgregatio corripit Abbatem.

Hartmanni fuga.

Hamelburgo recipitur.

Hartmannus studet Hassiæ.

bus vnio duarum Abbatiarum ſtabilita, condonare Principi feminæ, ſuaque manu iura demoliri, quæ recèns exſtruxerat.

Lutheri ortus & doctrina fructus.

Anno MDXVII. ab Apolline adſcriptum lego, *Martinum Luder hæreſiarcham tum primùm ſcriptis ſuam ſparſiſſe doctrinam.* Hinc mox vicinos Principes oculos adieciſſe ad Monaſteria, quæ plurima & opulenta paſſim florebant. Coactos monachos & moniales ad inceſtas nuptias, quò cultoribus vacua domicilia prædæ cederent. *Inde furum & meretricum quamdam extitiſſe ſegetem; quia id genus homines nec poſſent aliter, nec laborare didiciſſent.* O partum noui Euangelij felicem!

Hennebergius Vachiũ tentat.

Anno Domini MDXVIII. Wilhelmus Hennebergi Comes equitum peditumque agmine ſubito, oppidum Vachium tentauit, ſed, diſcuſſo conatu, vicina loca quædam depopulatus, retrò flexit. Eodem ſopiendæ Fuldenſi diſcordiæ remedium offerre, ſed irrito conſilio, parabat Haſſiæ vidua; vnde Hartmannus Abbas, annonâ Hamelburgenſi conſumptâ, Moguntiacum profugit, & Alberti Archiepiſcopi prudentiâ ac auctoritate copulandæ concordiæ viam patefecit; ſed & illa præſtructa, ob Germaniæ tum hæreſi exardeſcentis nimiùm quàm exuberantia mala. Quare ſequenti anno arbitria conſenſionis Cathedrali Moguntino cœtui commiſſa, qui hactenus litis ambigua compoſuit, vt eius gratia poſt annum diſſiliret.

Hartmannus Moguntiam confugit.

Mirac. 3. S. Bonifacij.

Hildeſienſe bellum.

Hamela ciuitas Fuldenſ Eccleſiæ, præſenti hoſtis periculo eripitur.

Anno ſalutis MDXX. cùm in Saxoniâ graue & acerrimum bellum, inter Ioannem Lauwenbergicum Hildeſienſem Epiſcopum, & Henricum ac Ericum Duces Brunſvicenſes, pęnè ad excidium ditionis exarſiſſet, correpti quoque flammæ ſcintillis Hamelenſes. Eſt autem Hamela Saxoniæ ſeu Brunſwigiæ ciuitas, à Carolo Magno, ex quo Longobardorum Regis & Patricij Romani titulos aſſumpſit, cum vniuerſo vectigali & capitum cenſu, quanta fuit, huic Eccleſiæ donum oblata; cui hodieque manet beneficiario iure obnoxia; & S. Bonifacij olim apprimè memoriam, ceu communis patroni, venerabatur. Hæc eius belli impetu ab hoſte repentè capta, ſic vt muris & vallis iam occupatis, magnitudo periculi extremum incolis metum afferret. vnde fuga, clamor & trepidatio: mox ſpes à ſupernis, & hac vnâ in re fidu-

fiducia, vt viri, coniuges, liberi, omnis ætas & ſexus, ad Dei & S. Bonifacij opem in templum confugerent. hîc in preces cum lacrymis ſe venerabundos abijciunt: & ilicò, Deo terrente, & prohibente S. Bonifacio, hoſtis, qui muros & vallum tenebat, diſſipatus; & quaſi lapidum iactu varióque miſſilium genere propulſus, ſponte fugam capeſſiit. Quídni laudes gratéſque ſacras tunc ciuitas tam illuſtri vindicata tutelâ, Deo, tutorique ſuo Bonifacio diceret? Affuit Fuldæ per Legatos ſuos, anno MDXXI. & miraculum hoc coram preſbyteris & ſcribis publicâ fide conſignatum S. Bonifacio liberatori ſuo acceptum tulit; cuius & memoriæ ſignum, cereum, liberationis monumentum, fixit.

Comitia Imperij eo tempore Carolus Cæſar VVormatiæ indixerat. Huc Hartmannus Abbas, reſciſſâ Moguntinâ reconciliatione, de nouo queſtum abiit, etſi parum ſecundis procerum auribus, quas ibi tum Martini Lutheri ad eum diem inauditus in orbe Chriſtiano fremitus oppleuerat. Lectus itaque Cæſaris iuſſu ſupremus litis cernendæ iudex & arbiter VVilhelmus Hoenſteinius Argentinenſis Epiſcopus, receptuſque partes ita compoſuit, vt Hartmannus vim principatus omitteret, titulum Abbatis, ſaluo regalium iure, conſiliiſque bonis, retineret; aureos in victum annuos ſexcentos, mille nongentos ſemel acciperet æri alieno diſſoluendo, liberando pignori; denique Ioannes Hennebergius Wilhelmi principis filius ei Coadiutor ſubueniret: Pactionis huius formula Wormatiæ, XXVI. Aprilis. Cæſaris auctoritate, ab Alberto Moguntino Archicancellario perſcripta: & explanatæ conditiones, verbis diſertis; *queis de Abbatis legitimâ ceſſione, adlectione Coadiutoris, de ſubditorum ſacramentis & obſequiis in hunc transferendis, eique, ſi quid humanitus illi accideret, ſurrogando nouo; de iuredicundi denique conſortio modoque, inter Abbatem & Capitulum, accuratè & prudentiſſimè tranſactum eſt; ſancitâ quoque perpetuâ præteritorum omnium amneſtiâ & obliuione.* Porrò in regiminis conſortium plerumque Philippus Scenckius Decanus, in conſiliorum non rarò ipſe venit Hartmannus. Atque ita quinquennij ampliùs interregno, variè Eccleſia Fuldenſis, bello attritis & malignè tractatis S. Bonifacij

Hartmannus VVormatiã abit ad Comitia.

Lutheri inſolita doctrina.

Hartmãni reconciliatio.

Quinquennij aliàs VI. ann. interregnum.

fun-

fundis, iactata est. De Hartmanno in actis Lutheri Cochleus ad hunc annum & diem XXIII. Aprilis, qui S. Georgio martyri sacer, cuius honori & sodalitio Cæsar tunc prolixiùs indulgebat: *Missam cum ministris*, ait, *maximè solenniter celebrabat Abbas Fuldensis, velut Capellanus ordinarius Imperatoris, & Princeps Imperij, Dominus Hartmannus* Comes à Kirchberg, vir quidem disertissimus, sed eo tempore à subditis suis eiectus & exsul: quem postea Cæsar suis reconciliauit, per annuam pensionem, vt priuatus viueret Moguntiæ in suo Canonicatu; permissa rerum administratione vni ex Comitibus de Henneberg.*

Hartmannus coram Cæsare fungitur Capellani officio.

** Burgicomes seu Burggrauius.*

Concessit tandem naturæ Moguntiaci Hartmannus anno MDXXIX. atque ibi inter nobiles Canonicos sepultus elogium accepit:

QVID MORTVI VIVENTIVM LEGITIS EPITAPHIA?

LXI. IOANNES III. Hennebergius, Canonicus variarum illustrium Ecclesiarum, iam pridem in successionis spem à * Congregatione assumptus; ab Hartmanno inuitatus quidem, at mutato pòst consilio derelictus est. Sed interuallo temporis, vbi partes fœderibus coaluere, communi earum consensu est receptus. Itaque anno MDXXII. Parisiis euocatus, vbi bonis artibus ingenium expoliebat, à Wilhelmo parente eius nominis VII. Fuldam magnifico comitatu perducitur; & ineunte autumno pro Coadiutore primùm sacramentis in Capituli leges adactus; inde ab incolis & ordinibus Buchoniæ, obsequij fideíque vicissim sacramenta, adstante patre, accepit. Et ingenij laus & eruditio par indoli adolescentiam ornabant; comitate stirpi insitâ anteibat summis æquè ac infimis. Maternum illi genus è Brandeburgicâ domo. Mater Anastasia fuit, Alberto Marchione nata, qui Achillis Teutonici nomen meruit. Principia regendi in arduo habuit, animis iam tum vt totius passim Germaniæ, sic & huius prouinciæ, ab omni publicæ pacis & antiquæ religionis patientiâ auersis.

Cœpit 1521. Præfuit 20.

** an. 1516.*

Hoc anno Præpositus montis S. Ioannis vir nobilis, doctrinâ & rectè factorum gloriâ clarus, Melchior Kuchemeister, dum, Comite Philippo Schenckio Decano Fuldensi, ab expedi-

Melchioris Kuchemeister Præpositi S. Ioannis cædes.

peditione Holtzkirchianâ reuertitur, hostilis periculi metu nullo, haud procul ab Reusseburgio castro, lapsus in insidias, fœdo latrocinio à Coniuratis Georgij à Thungen traiectus hastâ, occubuit. Duodecim ex comitatu facti captiui; Philippus Schenckius, summis olim gerẽdis honoribus, Dei prouisu seruatus. In Melchioris laude, Mons S. Ioannis tot ædificiis nouis, tot vectigalibus, veste, libris auctus; & Mõtis S. Floræ parochia, addito nouo templo, cùm olim Hartmanni socius trans Alpes Romam petiisset, à Sede Apostolicâ, Monasterij sui bono, parta. Sequenti, id est MDXXIII. Fulda duos ex Lutheri scholâ noui Euangelij præcones habuit, Adamum Crafftonem & Balthasarum Rayd, illum popularem artificem satis bonum, & Ioanni Principi per eruditionis opinionem pro ecclesiaste obtrusum; sed ingratum infensúmque etiam iis, quorum studio suggestum adierat. hunc ore tam propudioso & in res venereas lasciuo, vt palàm sexum imbecilliorem, & puellas innuptas Fescenninâ licentiâ, quam pudor exprimere vetat, pro concione stimularet ad copulam. *Lutheriani præcones se Fuldæ insinuant.*

Hoc eodem anno, decessit Vdalricus Huttenus, equestri familiâ, nouæ sectæ Germanorum poëtarum acerrimus. Lutheri hyperaspistes; sub cuius mordaci satyrâ & nigerrimo sale, non intutiùs ille, quàm Teucer sub Aiacis clypeo, latuit. Huius me Apollo noster, vt meminissem, aurem vellit: *Fuit enim*, inquit, *monachus Fuldensis, & vitam in ærumnâ maximâ, morbis & egestate clausit.* De illo Cochleus æqualis: *Maximè accendebat animos* (in odium Cleri) *non modò procerum & nobilium, verùm etiam ciuium & rusticorum, Vlricus Huttenus, eques Germanus, vir & nobilis familiæ, & acerrimi ingenij; qui & anteà, priusquam Lutheri nomen orbi notum esset, multa pro libertate Germaniæ, contra pensionum quæstus, & citationum vexationes, quibus Romana curia Germaniam grauare videbatur, scripserat, non solùm carmine, verùm etiam solutâ oratione, vehemens & acer.* *Vdalrici Hutteni præconium.* In Actib. Luth. anno 1519.

Sed tacitus pasci si posset coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ minus. Hor. epist. lib. 1.

Ac præclarè B. Augustinus: *Non expertum se peiores, quàm qui in Monasteriis cecidissent.* Epist. 137. ad Hipponens.

Georgius Wicelius hoc eodem tempore, Dominicâ post

Georgij VVicelij periodus.

A re vxoriâ perit.

S. Iacobi festum diem, Ioanni Hennebergio supplicem libellum obtulit, quo, ipsius pace, vxorem domum ducere sibi licere sacerdoti, cupiit. Id quod primò docere contendit, exemplis etiam exoletæ legis, inde scitis maiorum; statuitque tandem & parum Christianè decretum, vt à matrimonio temperent sacerdotes, & sibi priuatim, ob incentiua expertæ veneris, onus id cælibatus parum conuenire; nam, quòd mulierem peregrinam haberet in deliciis, propalàm esse. placere proinde sedando fomiti, iustiore copulâ virginem innuptam thalamo adsciscere, idque coniugium ratum fore. Nec æqua nec honesta postulanti, neque annuit neque renuit Princeps. sed ea tamen erant tempora, vt eiusmodi postulatis lasciui homines ora Principum sublinerent. Wicelium induximus; & quia non edita ipsius haud pauca in manibus habemus, ex annali & priuatis epistolis eius, quæ speculum affectuum & cogitationum, indicta adhuc aliis nonnulla intexemus. Origine fuit ille Buchonius, oppido Fagensi, Vacham appellant, natus honestis & Catholicis parentibus, anno M D I. Adolescens varia studiorum gratiâ loca adiit, Schmalcaldiam, Isenacum, Hallam; ac demum, anno MDXVII. Erfordiæ, biennali philosophiæ curriculo, academico more, Magister renuntiatus est. Ludum hinc in natali solo moderatus, anno MDXX. vberioris disciplinæ causâ Wittenbergam adiit, atque ibi Lutherum & Carolstadium audiit. Melanchthonem, Franciscum Gallum, Pomeranum, præceptores habuit. ad hos omnes crebras, postquam profugus ab Ecclesiæ castris, ipse litteras dedit varius argumenti; quo irreuocabilem morum pessimorum licentiam succrescere Euangelio tamquam zizania queritur, sine vllo remedio velut præcipites in ruinâ cohibendi, ni ad Papatum leges reuocet suas. Arboris fructum agnoscimus. Annos vix natus vnum & viginti, patre iubente, cui Senatus Vachensis sacerdotium obtulerat, inuitus, vt videri voluit, Mersburgi sub Adolpho Anholtensi, sacris Ordinibus initiatur. Vix in medio tres menses, cùm calcatâ sacerdotij reuerentiâ, femina concubina admittitur, atque id probrum, illi ferè toto hæsit biennio; cùm tandem ad incestas nuptias, non sine riualium certamine, prosilit.

Nec deerant stimuli à prauis exemplis. Henricus Fuchsius Plebanus Hersfeldiæ, & Lutheriano dogmate propagando non instrenuus illinc, at hinc Fuldâ Adam Craffto, primæ infausti dogmatis tubæ canebant. Quarum sonitu excitatus hoc eodem anno Wicelius, Vacham oppidum ditionis Fuldensis prauis doctrinis imbuere cœpit. Quâ de re gloriatur in epistolâ ad Philippum Hassiæ Principem anno MDXXIX. datâ: *Iam si quærat C.T. quis sim epistolæ huius auctor, dicam ingenuè. Vachus ille sum, C.T. seruorum infimus, qui ante septennium Vachæ, verbum regni aduersus antichristianismum rogatus* καὶ ἀμισθος*, nec sine periculo, euangelizaui. Pòst relictâ necessariò patriâ, Thuringos docere cœpi.* Nam credibile, Ioannem Antistitem, pium & eruditum paruisse Cæsaris edicto, quod iubebat sacerdotem maritum spoliari beneficio: nec tolerasse super hæc Lutheri doctrinam; quod vtrumque variis in litteris & annali suo aperit Wicelius: *Anno* MDXXIII. *cœpi*, inquit, *in patriâ concionari Lutherista. Eo anno fiebat occasus sacerdotum; & accedebat scholarum internecio, per occasionem exorientis sectæ. Compellebantur ergo è Clero plurimi ad operas manuarias. ipse malui scriniarius, quàm coriarius esse, sed menstruus. statim à tabulis ad libros.* Item anno MDXXIV. *Ob vitandam* pornian* γαμεῖν *oportuit; & id, consulto antea Antistite, qui animo magis quàm calamo respondit ad sententiam. quo tempore, obtemperans edicto VVormatiensi, hieraticâ cessi possessione.* Iam verò in epistolâ de Adamo Fuldensi præcone ab anno MDXXII. *Aiunt*, inquit, *Abbatem Fuldensem erga te referre Annam veriùs, quàm Abbatem; & odiosè admodum tibi reluctari: quæ res bis me commouet, partim quòd videam exitium tui gregis procul imminere; partim quòd timeo, ne onus illud humeris excutias.* Ipse profectò Isenacum in Thuringiam profugus, iuxtà alibi Curionis munus tantisper occupauit, donec conflatæ per rusticos publicæ seditionis & adulterij falsò insimulatus, à Theodorico Farenrodo satrapâ, anno MDXXV. factus extorris, & amissis omnibus, ærumnosus inde cum feminâ coniuge, & trimestri infante, primò Erfordiam, hinc Wittebergam in Lutheri fidem se contulit. Flebiliter casum hunc suum Georgio Rupelio perscribit, qui nouis inde doctrinis Vachense oppidum inficere perrexit. *Exactis in exsilio septem*

Henricus Fuchsius Hersfeldiæ corruptor.

VVicelius ex sacerdote Catholico fit præco Lutheranus.

* *gratis*

Ex prædicante fit scriniarius.

* *fornicationem*

* *nubere*

VVormatiense edictum Antonomia cõtrarium.

Ioannes Henneberg aduersatur Lutherano præconi.

Georgius Rupelius Vachum peruertit.

VVicelius à Luthero promouetur.

septem mensibus, ex insperato accidit, vt Luthero fortunæ meæ innotescerent, qui, siquidem res ita requirebat, me in oppido Nimetiâ vltra VVittenbergam sito, diplomatum principalium auctoritate, constituit. Eo enim pacto his temporibus vocantur prædicatores.

Vocationis & missionis ritus.

Hic ille linguarum studio, Hebrææ præsertim & Chaldaicæ, abreptus, cùm propiùs paulò noui Euangelij faculam intuetur, velut à luculento sole coniectus in tenebras, neque consilij locum habere, neque auxilij copiam; & tum in hac, tum plurimis epistolis aliis, ad hæresiarchas quaque missis, palàm hasce voces iacere: *Conqueror ego apud omnes & vbique, clamo & vociferor; res ad interitum deuerget, ni diabolo & tenebrarum operibus obuiàm eatur. Peiùs enim & licentiùs vbique viuimus ab accepto Euangelio, quàm anteà. Sacra minore in pretio sunt: pietas vilior: charitas rarior: mundus iucundior: Crux inuisior: scelera & fraudes latiùs patent. Quod cùm videant columnæ, dissimulant, & velut ad leuicula conniuent. Hoc est quod macerat, excruciat & tabescere facit animum meum. Sæpè dolore victus, constitui abdicare ministerium; sed reuocauit nescio quæ spes.* Hæc tunc in moribus Lutheranorum; at crebris inde quoque in fide dissidiis, tamquam inter Cadmęos fratres enascentibus, euoluit ex illâ tandem se pestilenti opinionum turbâ. Præcipitem impulit Lutherus ipse; qui Wicelianâ censurâ mores Wittebergensium euangelistarum acriter perstringi, notarique non ferens, Nimetiam furens iratusque excurrit, & anno Christi MDXXX. cinctus forensi ministerio, periculosâ discussione, Wicelium inopem & frugi hominem, inuidiosè postulauit. cuius disceptationis causâ, impotentis & fanatici spiritus in Luthero per omnia plenum lucis argumentum, ipse Wicelius priuatis monumentis annotauit; meminitque obscuriùs in annali, XXIV. Martij: *Dedi pœnas lupo, eò quòd turbasse fonticulum diffamarer, procul infrà licet bibens ouis.* Ab hoc conflictu Nimetiâ extrusus, in patriam redit; vbi, anno MDXXXIII. præclaram fidei Catholicæ professionem edidit. Quippe à nobili satrapâ vocatus in Senatum, cùm assedisset, proscriptionis edictum, quasi à Landtgrauio profectum, legitur contra ipsum; & mox in certamen de religione vocatur. At Wicelius, arte ingenioque longè superior, & aduersarium disputando fregit,

MS. lib. Epistol. ad Georg. Rupel. Episc. Vachens. an. 1528. Epistolâ ad Nicolaum Ambsdorf, item ad Franciscũ Gallũ, &c.

VVicelius deprehendit Lutherani Euangelij improbitatem.

VVicelius ab hæresi resipiscit à Luthero vexatus.

Catholicã fidem palàm profitetur Vachij, quod seduxerat.

git,& popularium animos,quos olim ſeduxerat,vehementer erexit. Poſthæc, Iſlebium euocatur ab Hogero Mansfeldiæ Comite; vbi quinquennium, in dubiâ ſacrorum functione vixit. Inde Lipſiam, ſed partibus Lutheri tam infenſis, vt illicò totâ Miſniâ exactus,anno MDXXXIX. vix in Bohemiâ tutò lateret, Berlini hinc in Marchiâ, poſt varia cum Principe colloquia peſſimè habitus, per Hercyniam, Luſatiam, Sileſiam, centum viginti milliarium periodo vagus, infelix, & naufragi inſtar, anno MDXL. Wirceburgo in patrium ſolum eiicitur; vix à Ioanne Hennebergio,quietis ac domicilij capere locum permiſſus. Hæc me, priuatim cognita & fortè parietibus domeſticis obducenda,etſi rei non tantæ,eloqui coëgit hominis in Germaniâ decantati fama; quâ quidem ipſe, ob linguarum & controuerſiarum peritiam, lucubrationum copiam, in Comitiis, Principum aulis, doctorum hominum ore tantum eualuit, vt inter propugnatores Eccleſiæ Catholicæ,non poſteriores ætate ſuâ ferret. Vnum non ſileo, hæſiſſe in gratiæ magnâ parte apud nonnullos Antiſtites,ſed minore illorum emolumento,quàm periculo. Nam in Wicelio planè Deus poteſtatem oſtendit ſuam, vt qui ſciens videnſque per mulieres olim perierat,is per mulieres, tertiùm inito coniugio, nec ad integrum Orthodoxæ fidei conſenſum perueniret. Secundis nuptiis Moguntiaci clàm initis,ancillam domi matronam fecit, quam & anno MDLXII. morientem, accerſito parocho cum teſtibus, palàm ſibi iuſtæ coniugis loco eſſe voluit. Et animi quoque ſui lineamenta in dialogo quodam ipſemet expreſſit, quem anno MDXLVIII. Fuldæ dictauit. vbi Liuio interroganti reſpondet. L. *Maritus es & pater?* R. *Quin & paterfamilias; idque in ſtatu ciuili, præſertim vt nunc ſunt tempora.* L. *Idem *Hiereus, ni fallor.* R. *Inficias haudquaquam eo. ſed quandoquidem officio publico prohibeor, obeo munus pontificale nedum ſacerdotale, nimirum lucubrando, qui præcipuus fructus eſt ſacrorum ſtudiorum.* L. *Publicis etiam actionibus in Eccleſiâ functurus, niſi præpediare?* R. *Pro virili functurus.* L. *Ecquid verò præpedit?* R. *Quid? niſi *gamia Preſbyterij?* & infrà: L. *Horis Canonicis dáſne operam?* R. *Præter hoc, adhortor ad eaſdem alios, & abrogatas reſtituo, reſtitutas denique Germanicè transfero, vt fauo-*

Iſlebij viuit ærumnosè.

Titulus MS. Fuga & afflictio Athanaſiaca G. W. regnante in Germaniâ M. Luthero.

Mulieres perdidere VVicelium.

MS. ipſius G. VV.

VVicelius qualis presbyter.

** Sacerdos,*

** coniugiũ*

fauorem apud auersos laicos, Ecclesiæ nostræ conciliem. Posthæc, L. *Quos tibi fines scribendo constituisti?* R. *Vt destructâ hæresi, reædificetur Ecclesia. hæc nostri summa laboris, ac eadem doloris.* L. *Nil quæris aliud?* R. *Nil aliud, aut peream de terrâ viuentium.* Habes imaginem Wicelianæ mentis, quam doleas, præ fluxo vxoriæ rei gaudio tantas res postputasse, & ab vnione tandem Catholicâ longiùs etiam abiisse.

Optimus scopus, sed mala iaculatio.

Anno Domini MDXXIV. feriâ tertiâ Pentecostes Fuldæ in iride tres soles conspecti; & trabs ignea, siue aëria columna, à monte S. Petri in B. Virginis ascendere, ac versus Hassiam occumbere visa; multaque alia tristia portenta cladem sequentis anni prænuntiarunt. Pago Dipparsio tunc pseudopropheta se continebat turbidus, & accédendo Marti promptus, qui vrbanorum impudentiam supergressus, peregrinationibus & votiuis suppliciis bellum palàm indicebat; cogebatque ad signa, ex oppido Fuldensi viciníſque pagis, nemine prohibente, multitudinem; quæ mox, odio in monasticum & Cleri ordinem, & mutuâ contagione insaniens, arma sumpsit.

Ostéta varia.

Pseudopropheta.

Anno Christi MDXXV. Rusticorum coniuratio in Germaniâ adoleuit, magnáque alienâ & suâ cæde, & clade sacris iuxtà profaníſq; miserabili, varia loca perbacchata est. Circa Fuldam, sub Christi ab inferis existentis gloriosum diem, ferunt paganos ad decem millia coiisse, qui nocte sacrâ, scloporum & bombardarum fulmine strepitúque cuncta terrore latè complebant. Christiani ac fraterni cœtus titulo se factio velabat; & quod in eâ speciosum, assumpserat nomen *Selectorum ex Communi ditionis Buchoniæ.* Fœdus iis sanctum, aut certè fœderis professio fuit, cum turmis Nigræ siluæ, quæ pars Hercyniæ; quarum exemplo, postulatorum XII. capita circumferebant, quibus magistratuum omnem vim, nomen & auctoritatem exstinctum ibant. Porrò hæc tumultuantium coitio, nimbi in morem, tam repentè assurgebat, vt momento vicos, pagos, oppida ceu flammâ & turbine corriperet. ita periculi magnitudo consilium, remedia vis mali superabat. Vnde Ioannes Princeps, ardente patriâ mœstus, consiliíque inops, multa cum animo voluere, & secum reputare,

Rusticorũ belli exordia & progressus.

Rusticorũ multitudo circa Fuldam coëuntium.

putare, crederétne se exorienti procellæ, & caput furenti multitudini obijceret. Verùm vndique incedebant nuntij, vix in Germaniâ quidquam prę paganorum vesaniâ stare tutum aut pacatum: & iam ilico antè de suis agmen expeditorum miserat Wilhelmo Patri ac Archiepiscopo Moguntino suppetiatum; quo promptiùs rebelles Præsulem nacti inermem, feriâ secundâ Paschæ ciuitatem & arcem occupant; & fauente multitudine pars oppidanis permisti fas nefas pro libidine miscent, pars per colles & vicina loca sparsi, Monasteriorum spoliis inhiant. Montis S. Petri sedes, ostento miro, periculi admonita est: nam eodem die, primâ vigiliâ noctis bruchus seu locusta, immenso agmine ac alarum stridore, in aream Decaniæ sese infudit, & densatâ velut acie concurrens, denique fessa illic humi concidit. Sequenti mox luce, affuit agrestium factio, quæ contra fidem Apollini summo Decano datam, nullo sacri profanique discrimine, omnia diripuit. Effusa tum ibi in terram sacrosancta hostia, & cœtus Monachorum cum Decano suo in vrbem compulsus, iungere se Congregationi maiori iussus, addictâ in victum & cultum necessariâ annonâ, quam nemo præstitit. Hoc eodem impetu vesaniæ, Montis B. Virginis Monasterium scelere Ioannis Sueui agrestium ducis spoliatum, & subiectis crematum facibus; excussâ Ratgarij tertij Abbatis vrnâ, ossibus eius cum ornatu sacrilegè dispersis. Hinc, datis velut licentiæ frænis, ceteris Monasterijs & suburbanis & primario adhibitę manus; expulsis incolis prędaque abactâ, reliquiis, & quidquid vsquam sacrum, proculcatis, iuxta noui-Montis Monasterium sub vexillatione crebrâ & sonitu tympanorum habiti delectus.

Mirac. 4. seu potiùs ostentum futuræ cladis.

Monasterij montis sancti Petri direptio & profanatio.

Mariani mõtis Monasterium flãmis deletum.

Inter hæc feriâ sextâ Paschæ coniurati Fuldæ, dant litteras ad Ioannem Principem. Motus hos ciuiles & tumultum certò crederet ipsius causâ non sumi; se verò potiùs quotquot istic in armis essent, laudi nominis eius & Reip. bono coire, paratosque vel capitis & fortunarum periculo, tempestatem exortam sedare. Itaq. id vnum omnes perquàm submissè rogare, vt die crastino ipsemet adsit ad horá octauam, nec alibi quàm in ciuicâ domo, nec pluribus quàm decem comitatus equis.

Rusticorũ vrbana dissimulatio Abbatem euocantium.

equis. Eâ namque ſe erga ipſum ſpe & fiduciâ eſſe, vt quæ Reip. causâ cum ſuo Principe conſtitutum ſit agere, hæc nimirum exiſtiment fore, vt ex animi ſententiâ gerantur, & ipſo auſpice, vnà feliciter eueniant. Additi litteris oratores de ſecuro Principis aduentu, & fide publicâ gentium præſtandâ; qui hoc ardentiùs cunctantem etiam impellebant, quòd agi dicerent ſalutem innocentium, & multorum ciuium bonorum fortunas, qui à rebellium ſtudiis conſilia ſua ſeiunxiſſent, ceſſuri vtique improborum ſceleri & amentiæ, ſi eorum cauſam ipſe neglexiſſet.

Ioannes incautè ſe multitudini factioſæ credit.

Iam Sabbati altera lux aderat; & ſimul in conſpectu ſuorum erat Ioannes: verùm fluxa rebellium fides tum retrò abierat. quippe ingredienti clauſis à tergo portis, actutum poteſtas & animi libertas erepta. Venienti in Senatum rebelles XII. articulos offerunt, de iis ſententiam rogant, & ſine morâ reſponſum, velit nolit, *non vel ita, ex Euangelij normâ*, pronunciare iubent. Hic ſerò Ioannes, notos interpellans, cùm negarent vllam eo loco fore tergiuerſandi vel ſecedendi copiam, *metu ſuperatus*, vt ipſe de ſe loquitur, *qui in virum fortem caderet*, ſceleratorum furori conceſſit ad tempus: atque in propoſita capita, hac lege aſſenſionem contulit, ſi ſolida ea, & à religione Chriſtianâ conſtitiſſet haud fore aliena. Verùm hæc cuicuimodi Ioannis diſſimulatio viam improbitati non interclufit; nedum præſenti malo remedium, quod ſperabatur, attulit.

Hersfeldienſium motus.

Vicinia Hersfeldienſis itidem tum malè pacata erat, concurrentibus ad arma eius agri ruſticis cum ciue permiſtis. Horum ſtudia factioque Buchoniis confinio loci cauſæque iuxtà benigna & grata; vnde conſiliis & armis in commune collatis, vbi ſignum ab his Buchonij accepere, ruente ſimul incolâ Fuldenſi ad opitulandum & vim proferendam, Herſfeldiam properant.

Quibus ſe Buchonij implicant.

Recepti mœnibus egere innoxij, nullo dato damno in præſens memorabili. Excitus intereà huius coitionis famâ, Philippus Haſſiæ Landtgrauius appropinquabat; cui Hersfeldiæ tutela iam pridem ceſſerat. Is in expeditionem hanc manum pedibus & equo non exiguam coëgerat; ſuorum haud magis motus veritus, qui apud Rhenum ſeſe oſten-

Philippi Hassiæ Landtgrauij in Buchonios expeditio.

oſtendebant, quàm aliorum, quos à tergo relinqueret. Ab Hersfeldienſibus itaque fit belli initium. At verò certior antè factus Landtgrauius, Ioanni Antiſtiti à ſuorum rebellione non leues obiici difficultates, verſarique eum in medio tumultuantium æſtu, Legatos mittit, qui ad componendũ turbida operam profiteantur, reconciliandiſque mutuò partibus promittant tranquillitatem. At Ioannes, vt putabat, tempeſtate iam in parte defunctus, cùm longiùs quoque prouectus eſſet, quàm vt externa conſilia ſeditioſi ſuis admiſceri paterentur, ſuſpecto Landtgrauio modeſtè in præſentiâ negandum putauit; quem ancipitia & acriora moliri paratæ copiæ ſatis arguebant. Et ſanè Buchonij ad famam aduentus ipſius, Hersfeldiâ relictâ, metu ſpontè dilapſi fuerant. Quare, cùm datis in vincula Conſulibus, & ſontibus pro merito plexis, nihil iſtic eſſet ad bellum reliqui, arma in Buchoniam conuertit, quos, ceu laceſſitus, vlciſci decreuerat. Fructus hinc expeditionis vberior oſtendebatur; & facilis ante oculos victoria, nimirum de imbellibus, metu iam propè exanimatis, & nil fortiter auſuris: qui, vbi ſecundis caſtris, nam prima Ratiſdorphij metatus erat, audiunt Landtgrauium vltorem in ſe venire, vltrò confeſtim miſêre deprecatum iras. Sed arma ponere, ſe ſuaque dedere iuſſi, mitiora ſcilicet opperiri & tentare malebant. Ergo ad Ioannem Principem iam ſupplices demum confugiunt, quem implacabiles antè non ſuſtinebant. Nec ipſe dubitauit, ſequeſtri ritu auctoritatem interponere ſuam, ſubiectorum Eccleſiæq; ſuæ detrimenta iuxtà æſtimans. Quare, obſide relicto Poppone fratre, obuiàm proficiſcitur armato Philippo, ſanguine, fœdere, clientelâ, multis aliàs nominibus obnoxio. Occurſus amborum patenti campo, propè ab oppido Hunfeldiâ. Salute datâ redditaque, ſermonis initium ab expoſtulatione: & palàm Ioannes ceu conſcius & laudator etiam tumultus ruſticorũ, à Landtgrauio arguebatur. At excuſantis in morem multa præfatus Antiſtes, forti demum oratione animoque, facti inuidiam & ſuſpicionem amoliri; inde, cuius gratiâ venerat, maiorem in modum obteſtari, vt omiſſâ vi, & poſthabitis armis, æquitati & clementiæ darę locum, & amicè tranſigi reorum cauſam velit;

Fuldenſis faꝺtionis inclinatio.

Ioannes Abbas fruſtrà Landtgrauium auertere conatur.

posse enim quanticumque delicti culpam siue iniuriam, æstimatione & bonorum arbitratu, obrui diluique. Iam emollitus propè Landtgrauij animus inclinabat, sermoque iniectus de duodecim millium aureorum lytro, & arbiter honorarius simul dabatur Philippus Comes Solmensis Myntzebergi dynasta; cùm subito Landtgrauius irritamento belli recalescens, auidusque, vt sunt cupidorum mores, carpendi vicina, pacis consilia abrumpit, vnaque se *capita seditiosorum & fortunas petitum ire, denuntiat. Ioannes certum hoc omen accipiens, Fuldenses iisque coniuratos haud fore inultos, è vestigio nuntiat, abiectis armis portas venienti Landtgrauio patefaciant, supplices sese dedant, omnia faciant, quò Principis irati animum mitigent ac leniant.

Hostilis aditus P. L.

** Leib vnde gut. i. quo vitam bonaq; Fuld. petit.*

Hunfeldia deditur.

Intereà loci Hunfeldia oppidum infirmum deditione capitur, & Landtgrauij Strategus, tormentorum metu Monte Mariano deiectis rusticis, multisque ex iis fugatis & cæsis obuiis, multitudinem reliquam in oppidum fossasque mœnium & arcis fugere compellit; quare Philippus Fuldam ingressus, trepidam hanc oppidanorum & agrestium manum, ceu gregem, adspectu disiiciens, de sontibus supplicia sumit; acriùs arma & leges exerciturus, ni Ioannes & ipsa cum nobilitate Congregatio grauiores iras auertissent. Verùm, vbi cuncta iam armis & arbitrio vindicis cessissent, seriem vltionis, ordine præpostero, non tantùm à reis, sed à Ioanne Coadiutore, Capitulo & nobilitate, qui vltima quæque à rusticis perpessi, ordiri placuit. Quippe Landtgrauius expeditionis bellicæ, quantum diurno itinere perficeret ratione subductâ, sumptum exigere; spoliorum redempturam æstimare; licitari quoque supellectilem templorum rusticis excussam; denique beneficij specie & meritorum, quæ vel reclamantibus insinuata, ob conseruatam scilicet Ecclesiam, præmia deposcere. Et procliue erat à perculsis, & omnia grauiora metuentibus, armatum impetrare quæ vellet. Ioanni igitur, postquam aditus in oppidum petenti datus, mox tum ipsi, tum aliis, qui ex Congregatione & nobilitate aderant, leges oblatæ, vt lenissimè dicam, parum decoræ; quibus imperatum, vt sectione oppidi Fuldæ, sumptum & onera belli redimerent, ad xv. millium

Fulda patefit Landtgrauio.

Is pro imperio rem contra Abbatem & Ordines patria capessit.

Conditiones tamquam victo præscripta.

lium

lium aureorum æſtimationem oppidi parte dimidiâ reuocatâ, quæ cum fructu & iure prætorio Landtgrauio pignus daretur, donec ea pecuniæ ſors exſoluta fuiſſet. Adhæc lytron ſpoliorum quatuor millibus florenorum æſtimaretur; vt ita pignus ad vndeuiginti millium ſummam excreſceret. Id quoque auctarium ſortis, Salmonaſterienſe territorium cum arce Stoltzebergiâ dudum oppignoratum, fas fore Landtgrauio ſibi habere, ſuo commodo redimere; denique clauſula ſeruilis, vt Ioannes ſuæ ditionis obſequia, vires, auxilia ſubditorum clientium, pro ſe poſteriſque, Philippo Haſſiæ Landtgrauio & poſteris eius perpetuùm addiceret, dempto Cæſare, militaturus in quemuis: ipſe, & Eccleſia, viciſſim ab ipſo poſteriſque tutelam, arma, auxilia, in quemuis, excepto Cæſare, exſpectaret. Leges hæ, pactionis formula, Ioannis nomine & quorumdam ex Cõgregatione tumultuario conſenſu, actore plurimùm Philippo Solmenſi Comite, feriâ ſextâ poſt Dominicam Miſericordiarum perſcriptæ: ſed Capituli ſigillo non obſignatæ.

Pactio cum Landtgrauio inita.

Erectior hîc ordo equeſtris, tam libertatis & honoris amans, quàm ſeruitutis impatiens, animo ſtetit; qui, vt ſacramenta, quod flagitabatur, mutare noluit, ita Congregationi auctor fuit, quo ne in pactionis eiuſmodi genus ſigillum vnquam accommodaret. Abbas Hartmannus etiam, epiſtolâ Moguntiaco ſubmiſſâ, grauiter officij Congregationem & Decanum admonuit, ſe Cæſari conqueſturũ denuntians, ſi tantâ cum regaliũ & veteris iuris iacturâ, Eccleſiam & principatum, hac iniquæ pactionis inuidiâ onerare pergerent. Dum igitur Ordines importunũ hoc iugum pro virili excutere adlaborant, & Philippus Landtgrauius Ioannem Hennebergium, ceu fidei & ſponſionis manifeſtum, ad ſatiſdandum vrget; grauium hinc offenſionũ offuſa nebula, quæ publicis querimoniis & chartis dentatis, inde à Landtgrauio præſcriptione, hinc apologetico, quo acta ſua Hennebergius propugnat, in apertum prolatæ, typiſq; diuulgatæ ſunt. Nos breuitatis compendio neceſſitati tantùm inſeruiuimus, ſeruitutis diſcrimen indicaſſe contenti; quamquam Ioannis apologiam, vt poſteriorem, in hoc Chronico ſequi haud pœnituit.

Hartmanni Abbatis commonitio pro libertate Eccleſiæ.

Fulda sectionis subijcitur.

Landtgrauius posthæc sacramentum ciuibus nouum apud se dicere iussis, & oppidi dimidij pignore occupato, mulctam grauis æris vniuersè subditis indixit; & hinc, pecoris metalliq; ac æris Campani haud mediocri exportatâ prędâ, ciuitate excessit. Vna sequebatur abeuntem cura, vt pactorum tabulæ Capituli demum integro consensu laudarentur; in quo, vbi falli spes suas, & varias intelligit ad frustrandum misceri ambages, iudicis in suâ causâ sumere personam, quàm alienum iudicium expectare, maluit.

Alsfeldia. *Absvvald.* *Phil. Lādtgrau. pactionem vrget.*

Anno MDXXVI. Philippus Alsfeldiæ degebat. Oppidum id in Hassiâ frequens, origine Fuldanum, & religione vetustum, ad ingressum saltus Abbatialis iuxta Schvvalmam riuum, beneficiario iure subiunctum Hassis. Huc Philippus copias cogebat, quas infestas iterùm in Buchoniam immitteret. Ioannes Princeps pactionis initæ solus haud compos, promissorū tamen fidem solus debere visus; ita litteris, nuntiis, minis premebatur, vt exsolueret. Sed, cùm æquitate fretus, iudicis omnino nullius tribunal recusat, nullâ defensione efficere potuit, vt ab iis inuidia discederet, ad quos numquam culpa accessisset. Quare post Conuersi Apostoli Pauli memoriam feriâ v. epistola mittitur Alsfeldiâ à Philippo Landtgrauio Ioanni Coadiutori, Decano & Capitulo Fuldensi in hanc sententiam scripta: Quandoquidem fœdera ab ipsis negligi satis perspiceret, neque ea præstari, quæ ob merita sua, & honesti respectu, iustè ab iis expectasset, æquum esse, vt quæ non aliter quàm vi pactionis nuper eis condonasset, hæc, pactione non seruatâ, repetitum veniat. Ita sibi nunc constitutum, pacta conuenta non seruantibus, nec fidem se seruare. Simul hæc nuntiata, & simul belli vis in foribus. Oppidum Hunfeldia primùm, inde arx & ciuitas Fulda præsidiis occupata. Ciues vtrobique antiqui * fœderis conditione socij, iam in hereditariam subiectionem sacramentis deiecti, vectigalia eorum, totiusque Centæ, fisco adscripta, quantum libuit in capita tributi vel lytri nomine impositum. Hoc loco Fuldensis res erat, cùm Wilhelmus Hennebergi Comes, & filius Ioannes Coadiutor, questu, miseratione, æqui iustique obtentu, id apud Imperij proceres, ipsumque Ferdinandum

Verba Philipi Landtgrauij; Den nit haltenden nit halten. Non seruātibus non seruare. *Ph. Landt. iterùm occupat omnia.* ** Burgcd.*

Archi-

Transactione per Imp. proceres Ph. Landt. placatur, & occupata dimittit.

Archiducem, Cæsaris tum absentis vicarium, effecerunt, vt controuersiæ cognoscendæ, dirimendæ, iudices æquos daret. Lectus inter primos Ericus Brunswigæ & Lunæburgi Dux, vicinus & vtrique parti beneuolus, cui adlecti collegæ Philippus Marchio Badensis, Bernardus Tridentinus Episcopus, Casimirus Marchio Brandeburgicus, qui partes item interponerent suas. Concessum vtrimque in amicitiam, si hęc indicata fecissent; nempe Philippo Landtgrauio Ioannes, Ordinesque Buchoniæ, duodeuiginti florenorum millia expensa tulissent, eique annuum fructum permisissent captæ regionis, & quidquid bellici instrumenti ac prædæ iam antè exportasset. Vicissim Ecclesiæ Fuldensi Landtgrauius oppida, iura, cum litteris & rationum tabulis, conditione quâ optimâ restituisset, gratiamque fecisset initæ pactionis; quam chirographis redditis placuit penitus aboleri, obliuione decretâ iniuriarũ, & cautione damni, quod partium assectis immineret. Quæ quidem ita Spiræ primùm in Comitiis maturè constituta transacta, inde Allendorfij in Thuringię finibus, apud Werram amnem perscripta signataque sunt, pridie SS. Apostolorum Simonis & Iudæ. Atque ad hunc modum Philippus Landtgrauius ditione cedens, Hennebergio ad S. Martini ferias locum dedit; & Ecclesia hæc à periculosæ tempestatis iactatione aliquantisper respirauit.

Hassia heresin amplectitur.

Annus idem insigni conuersæ religionis orbe notabilis, quando nouo in Hassiam, finitimaque hæc loca, euangelio illato, Philippus Landtgrauius, auitæ maiorum fidei palàm nuntium remisit. Quippe conuentu Homburgi indicto, Cleri & monasteriorum Primores euocauit, iisque per Franciscum Lambertum Auenionensem apostatam, XXXIII. noui dogmatis propositiones discutiendas obtulit. Celebre Chronicon recèns editum in Hassorum manibus est: in quo ad Caroli Martelli ætatem scribitur, *Bonifacius monachus Româ missus à Gregorio Secundo, Euangelium annuntiasse gentilibus Thuringiæ & Hassiæ populis.* Quibus, sanè conuenienter, hæreticus auctor ad annum MDXXVI. addit: Articulis à Philippo propositis, & in disputationem adductis, *Hassos, compertâ doctrinæ eius luce, & aliorum erroribus, se primùm tunc ab Ecclesiâ Romanâ*

sciunxisse, id est ab Euangelio, quod Gregorij Pontificis nutu sanctus Bonifacius eorum maioribus prædicarat; quoque germanè Christianos, absque Lutheri vel Caluini doctrinâ, fecerat.

Fulda Monastice vergit in peius.

Annus MDXXIX. illuxit, cùm extremum propè discrimen antiqui status Fuldense Monasterium adiit. Iam moti sedibus suis plerique Cœnobitæ, palantes vagiq; Lutheri deliria delirabant; & ipsius quoq. mores scitè exprimebant. Odium & execratio habitus vitæque Monasticæ tanta apud summos, infimos; vt qui Fuldæ adhuc restiterant, hominum adspectus & congressus non sustinerent. Buchoniæ quanta maxima pars, maiorum sobrios castosque mores habebat irrisui. Itaque vicinorum dynastarum magno applausu, vbi audaciâ contemptuque libero mali bonis insultant, fatiscentis Monasterij pondus inclinare cœpit. Nulli, qui alleuarent; qui lassatum impellerent, passim plurimi. Vnicum tunc remedium, Ioannes administrator ceterique Capituli præsides reperisse sibi visi; vt scilicet Cæsaris & Pontificis auctoritate, ex Abbatiâ fieret Episcopatus; atque hoc tolerabiliore conditione, prolapsa religio conualesceret, pubesque nobilis faciliùs in hoc institutum concederet. Actum hac de re cum Carolo V. hoc eodem anno per litteras, quibus ea, quæ diximus mala, exaggerantur. Et licet impetratum nihil, mores tamen prisci despreti plurimùm, & à maiorum normâ longiùs discessum est. Extant & Alberti Archiepiscopi Moguntini Cardinalis litteræ, quibus & Ioanni, vt de iure suo concederet, & Episcopatum Fuldæ consurgere pateretur, postulanti respondet, id sine maximi collegij sui suffragiis annuere non posse. A quo, si impetraret, quod difficile quidem non foret, tunc & concessurum ipsum, eâ tamen conditione, vt & Suffraganeus Metropoli Moguntinæ Fuldensis subesset; &, ex Sanctorum corporibus vnum quodlibet à se nominandum, extra S. Bonifacij reliquias, sibi donum transmitteret.

Habitus & vestu monastica odiosa fit. Ex MS. ipsius Hennebergij & Capitularium.

Episcopatus pro Abbatiâ sollicitatus. S. A. auctoritatâ non excludit.

Anno MDXXX. Fuldæ quæstio habita in violatæ fidei reos; multique de sectâ Rebaptizatorum gladio cæsi.

Hamelburgensium ab orthodoxâ fide defectio.

Anno MDXL. Hamelburgensis oppidi ciues, cùm à vigesimo quarto huius sæculi anno per rusticanam factionem nouo-

nouorum dogmatum ſcabie infecti, peſſimè Catholicos ſacerdotes haberent, Wirciburgẽſis Eccleſiæ primarius Clerus, penes quem ius patronatus, eorum in præſentiâ ſaluti conſulere ſuperſedit. Et comminatus dira fuerat Wilhelmus Princeps Ioannis Abbatis pater, ſi nouis rebus inſiſterent; & Ioannes Abbas opitulari periclitantibus, in primis optabat, & vrgendi diœceſanos finem non faciebat: verùm, vt turbarum & audaciæ ea fecunda erant tempora, accurrebant certatim vndique hiantes in prædam lupi. Et primus hîc ex Haſſiâ repertus eſt Ioannes Spangebergius, qui peſtiferæ doctrinæ venenum, luce palàm, in hoc ouile ſpargeret. *Ioannes Spangenberg.*

Deſiit 1541. Anno MDXLI. Ioannes Hennebergius, ditione ab agreſtium procellâ feliciter tranquilleque gubernatâ laudatus, ætatis XXXVIII. ante diem, & huic Eccleſiæ nimis fortè maturè, mortalitatem expleuit x. Maij. Conditus in ædis primariæ porticu ad S. Bonifacij cryptam.

At in Ioannis occaſu, animaduerto, generoſi ſanguinis, & longinquâ ſerie virtutis & religionis ſupra mortalium inuidiam euectæ ſtirpis Hennebergiorum orbem conuerſum. Nam quæ Caroli Magni ætate effloreſcere in Henrico & Poppone filio cœperat; & in Bertholdo X. ob rerum geſtarũ magnitudinem anno MCCCX. ſe Principatus faſtigio ſuſtulerat, hæc in Georgio Erneſto Ioannis noſtri fratre, ad ſolſtitium auitæ gloriæ peruenit: cùm hic anno MDXLIV. nouæ religionis ſpecie captus, Wilhelmum patrem diu licet renitentem anno denique MDXLVII. Smalkaldici belli velut incuſſo ariete, ſuam in ſententiam pertraxit: & alterâ etiam vxore domum deductâ, prolem non ſuſcepit; cuius ſpem abundè tamen, Wilhelmus pater, ſeptem maribus procreatis, aluerat. *Hennebergica ſtirpis occaſus. An. 780. & 800. Bertholdus primus Princeps Henneberg & Vaſall. Fuld. VVilhelmus VIII. & Georg. Erneſt. F. qui obiit 1583. religionem mutans.*

Cœpit 1541. Præf. 9. LXII. PHILIPPVS SCHENCK à Schweinsbergh, nuper Decanus, inde Præpoſitus S. Ioannis Monti, & ob Iuris prudentiam peritiámq; rerum Ioanni à conſiliis; facundiâ publicóque Academiarum Maguntinæ & Agrippinenſis iudicio, pereruditi viri palmam adeptus, XII. Maij electus eſt.

Senatus ciuitáſque Fuldenſis inter initia honorem illi gratula- *Fulda Lutherizat.*

tulatus, *Euangelium seu verbum Dei purum putum sibi petijt annuntiari, Eucharistiam sub vtraque specie præberi, iura libertatemque pristinam conseruari.* Responsum tulit, Cæsarem religionis causâ Ratisbonam cogitare cum aliis Imperij proceribus; ibi quod in rem hanc constitutum sanctumque fuisset, eius Principem rationem habiturum. Tum ibi mox Senatus, inuidiam nouæ religionis deprecari; id enim, quod postulasset, populi causâ postulatum, qui sedari aliter in præsentiâ non posset; se interim in eius imperio & obsequio futurum.

Senatus integer & Catholicus videri vult.

XXVII. Iulij Carolus inuicti nominis Imperator litteras ad Philippum dedit, quibus comperisse se nuntiat, quo tempore Abbas variis ipse locis inauguratus, sollicitatum à subditis, vt concionatores & sacramenta daret ex præscripto Lutherianæ sectæ; idque adeò alicubi iam contra suum decretum fieri, ex voto sollicitantium. Cùm itaque conciones eiusmodi satis notum sit esse tantùm auribus mulcendis imperitæ multitudinis, quæ nouis inde rebus inflata, tumultus & odia gignat, quæ in certissimam redundent Reip. Christianæ perniciem: iccircò pro potestate monere se iubereque, ne committat, vt eiusmodi pestiferæ conciones ac noua dogmata in Fuldensem Ecclesiam importentur. Quin optare velleque se, vt quibus in locis ea exorta mala, inde continuò aboleantur, idoneaque consilia & rationes exquirantur, quibus in officio & tranquillitate, partes quoque saniores contineri queant.

Caroli Cæsaris admonitio salubris de hæresi glisc ête.

Caroli iudicium de concionibus Prædicantium.

Fuldensibus non permittitur noua religio.

Anno MDXLII. missoex conuētu Noribergensi diplomate, Philippus à Paulo III. ad Concilium œcumenicum Tridentum inuitatus est. quod licet ob Principum discordiam, & Cæsaris externa bella, tunc non procederet, Philippus tamen, & senectâ morbisque fractior, & discrimine multiplici parum tutus, vacationem eius suscipiendi itineris petiit, & Ioanni Constantiensi, Mauritio Eistatensi, Iulio Neumburgensi, & Friderico Viennensi, grauissimis & doctis Episcopis, plenissimam suo nomine suffragationem permisit, ad omnia, quæ Synodus religiosè sanctèque decerneret. Eodem anno Philippus Abbas Scyllæos inter scopulos, in magno Circæorum canum vndique circumlatrantium fremitu, minacibus & importunis peruicacium postulatis, denique huc loci

Philipp. ad Concil. Trident. inuitatur.

loci compulſus eſt, vt in ſæuientis peſtilentiæ rabie, nonnulla ſubditis etiam Fuldæ concederet, nouitatis iam tum prurigine captis, quibus ceu feneſtrâ patefactâ, tortuoſus errorum coluber ſenſim in animos eorum obreperet. Fuldæ tunc priuatis conſiliis operam Philippo nauabat Georgius Wicelius, præduri ſenſus homo, in concordiâ Eccleſiæ hîc conciliandâ cum ſectis, vbi numquam partes coaleſcerent. Et virgulam ipſe Cenſor, domi, foris regebat, miro ſe zelo rebus implicãs, quas numquam expediret. Huius itaque conſilio Philippus necdum auctoratus, Conſtitutionem eccleſiaſticam de religionis & Sacramentorũ vſu ſanctiore factam, primò ad Albertum Cardinalem Archiepiſcopum Moguntinum recognoſcendam miſit, & ſimul opem ab illo, afflictis Eccleſię ſuæ rebus, & idoneos concionatores obnixè petiit. Extat epiſtola in archiuis, feriâ tertiâ poſt Dominicam Quaſi modò ſcripta. Ceterùm, dum Moguntiæ in arduâ re nihil expeditur, & ſæuiente lue, vehementer Philippum populi voces accendunt, & defectionem molientis, & ſine viatico paſſim pecudum ritu occumbentis, conuocato vtriuſque ordinis primorum concilio, ob Turcici belli ſubſidia, ſimul decretum de religione in medio propoſuit, & de communi ſuorum voluntate, nullo tamen appreſſo ſigillo, Conſtitutionem vndecim capitibus diuiſam euulgauit. Verùm emanante rei famâ, cùm inopinata laxiorque religio ſermonem daret hominibus, publico ſcripto XXI. Auguſti, in arce Biberſteiniâ, cauſas Philippus expoſuit ſui decreti; & inter tot nobilium Eccleſiarum & Epiſcopatuum ruinas, *inhiante in omnem occaſionem viciniâ*, præcipite in res nouas iam tum populo, extremis periculis & temporibus hoc datum oſtendit. Iam etiam Georgij Wicelij ſuper hac laxitate verba proferam, ex commentariolo ſcripto, cui titulus, *Quas ob cauſas Reuerendiſſimus & Illuſtriſsimus Antiſtes & Princeps Fuldenſis reformationem hanc Chriſtianam ſuâ in ditione obſeruandam euulgarit*. Præcipuum eſt, quod ſummâ contentione ſubditi expetierunt; nimirum *Communicatio calicis. Tametſi hoc ipſum ita* (Philippus) *temperauit, vt priſtinum ſumptionis vſum euacuatum nolit, rectè conſultum cupiens conſcientiæ vniuſcuiuſque hominis.* Alterum eſt, quod conceſſit

Hæreſis oſtiũ aperitur Fuldenſibus.

VVicelij non bona conſilia.

Alberti Cardinalis opera fruſtrà implorata.

Philippi Abbatis perplexus animus.

VVicelij laxitas.

cessit expetentibus; nempe, *vt Exorcismi ac precationes baptismales, notâ vulgo linguâ pronuntiarentur, nec interim quidquam de receptis circa Baptisma cærimoniis prætermitteretur. Denique totum hoc, quod permittere cogitur, iustæ definitioni Concilij subijcit, instituto haud grauatim cessurus, si legitimè conuinci possit, quòd vel Sacrarum litterarũ fidem, vel veterum Decretorum auctoritatem soluerit.* ita Wicelius ibi: sed cautiùs in Germanico scripto Philippus, *saluâ per omnia Concilij futuri auctoritate.* Ceterùm, obrogatum à non nemine huic decreto, & robore caruisse suo, in annali priuatim deplorat Wicelius: *Eodem,* inquit, *anno rogatione Principis de integro operam ecclesiasticæ* Catorthosi dedi; sed per armatas Landtgrauij Hassiæ preces, res aliò cecidit.*

Elenchus hic, minimè necessarius morigeris Ecclesiæ filiis.

** reformationis*

Spiræ Comitia.

Anno MDXLIV. Comitiis Spiræ Philippus Abbas interfuit, multorum procerum, Episcoporum, Regis & Imperatoris præsentiâ claris. Adiit & hæc Comitia, Principum accersitu Georgius Wicelius, mirâ tum Palatinorum, tum præstantium Antistitum & Legatorũ ambitione ad epulares ac eruditas alias dissertationes de religione passim expetitus. Quâ de re locuples ipse sibi diarium descripsit, in quo ad Dominicam Iudica, meminit, Ottonis Augustani immortali virtute Cardinalis studio gratiaque, librum Imperatori se obtulisse inscriptum, QVERELA ECCLESIAE. Quem cùm Albertus Cardinalis Moguntinus tum ibi legisset, & occultis machinis Catholicæ fidei, & tribunalis Cæsarei sanctimoniam, iis in Comitiis maiorem in modum oppugnari haud nescius esset, ad Wicelium ille, *Vereri se* aiebat, *ne parum eâ querelâ suâ proficeret; Diuinum numen proinde exorandum, vt spiritum rectum innouet in Christianorum visceribus.* Meminit & ad hebdomadis sacratioris quintam feriam, vidisse se deuotione Hispanorum frequentissimorum calentia templa; mirandam gentis religionem; vltroneas verberationes; Cæsarem lauantem pedes XII. pauperum, edentibus ministrantem, donantem veste, pecuniâ. Porrò in annali suo sic loquitur: *Iusserant proceres nonnulli, vt Spiram denuò ad conuentum Imperatorium proficiscerer. Illic tres ampliùs menses commorans, testimonium Catholicæ veritati perhibui, inuidiæ victor, Ecclesiæ zelotes, vim patiens, vsquequò Domine?*

VVicelij florens tum existimatio.

Alberti Cardinalis de VVicelij libro iudicium.

Opera pietatis in Comitiis.

Cæsar lauat pauperum pedes.

Anno

Anno MDXLVI. bello sociali Schmalkaldico contra Cæsarem Carolum redintegrato, cùm Ioannes Fridericus Saxonicus Elector ab Ingolstadiẽsi expeditione, re parum prosperè gestâ, domum repetit, vndeuigesimo Decembris Fuldam ingressus, Buchoniam exercitu quater millium equitum, peditum viginti duorum millium, insedit; & quatridui morâ, magnis pecorum ac fortunarum aliarum damnis prouinciam afflixit. Philippum Abbatem & Ordines patriæ, exinanito licet ærario, mutuum, ceu lytron spolij triginta millia florenorum, annumerare continuò iussit. Incolas Lutheri euangelio cum primis fauentes, parum Christianè iniuriis exercuit. Et tessera tamen prætensa vexillis illa Luthero solennis: *Verbum Domini manet in æternum.* Wicelius in annali; *Fusis* (Ingolstadij) *coniuratis, dum alius aliò sese confert, Saxo recollectis perditorum hominum reliquiis, è Sueuiæ finibus in Thuringiam hiberno tempore properat, plusquam præclara facinora designaturus. Quâ profectione, Fuldam immeritò oppressit, & hostiliter expilauit, iuxta euangelium suum.* Inde narrat, Wirceburgum se profugum, vim hostium effugisse: domumque per absentiam omni annonâ despoliatam: *Quod vnum poterant,* inquit, *ad offendendum absentem, vexilla sua, Verbo Domini manente in æternum gloriosè picturata, per fenestras hypocausti triumphaliter ostentarunt, quasi verbo Domini offenderer, & non potius abusu eius, ac barbarie, à verbo Domini longè seiunctissimâ.* Exportatis hinc copiis, lixarum haud exigua manus cum ægrorum turbâ Fuldæ restitit; famaque erat, Saxonem militi ciuitatem permisisse diripiendam. Quare, tumultuariâ incolarum manu coactâ, & ciuibus armatis, pridie Natalis Domini inutilis illa turba armorum terrore submota. atque ita Natalem omnem lætitiam ac religionem, templis occlusis, & silentibus sacris, Mars & furor bellicus occupauit. Verùm neque sic obduci potuit recentis vulneris cicatrix. Nam fœdo contagio ex crebris militum funeribus oborto, ciuium lectissimum quemque ea lues abstulit è medio.

A Schmalkald. bello

I. F. Saxo Fuldensem Ecclesiam opplet insolete milite.

Philippum Abbatem affligit.

Nec parcit Euãgelicis.

VVicelius metu Protestantium fugit.

Anno MDXLVII. Schmalkaldico bello finis impositus; victis à Cæsare captisque præcipuis coniurationis principibus, Ioanne Saxone, & Philippo Hassiæ. Reperio in Wicelij sche-

fchedis breuiculam collationem Schmalkaldici cum ruſticorum bello, dignam memoriâ poſteritatis.

Collatio Ruſticani & Schmalkaldici belli.

1. Ruſtici acceptâ famâ euangelij, putabant ſic ſe rem habere; & ideò tale euangelium poſtulabant per ſeditionem. Schmalkaldici non putant, ſed aſſeuerant, eſſe id Euangelium; & ideò inſaniunt contra veri Euangelij Confeſſores.

2. Ruſtici onerati variè, putabant ſe exonerandos, aduenientе ſcilicet libertate Chriſtianâ; ideò arreptis fuſtibus & verubus, rogabant onera minui. Smalkaldici non onerati, ſed onerantes, pręſumpſerunt dominationem ſibi congruere, occaſione euangelij ſui; & ideò ſumptis armis, bombardis, &c. exiere ſubiecturi dominio, quidquid à ſuâ factione alienum eſſet.

3. Ruſtici inermes & imbelles graſſabantur per Monaſteria & ædes nobilium quorumdam, vorantes, potantes, rapientes, & vno impetu deſtruentes: at Smalkaldici armati, minarumque pleni, *non Monaſteria tantùm, vel domos nobilium, verùm Epiſcopatus totos expugnarunt, diripuerunt, & poſſederunt; non helluando potandóque vaſtantes, ſed claues, theſauros, donationum tabulas, per vim adimentes, prædia & cenſus in emolumentum ſuæ factionis perpetuùm alienantes.*

Euangelij quæſtus & magnum vectigal.

4. Ruſtici non afflixerunt Principes ſæculares, multò minùs Regem aut Cæſarem ipſum. Smalkaldici, violenter eiectis Principibus ſæcularibus, Comitibus & Magnatibus, bona ipſorum pro ſuis tenent atque vſurpant. Arma tulerunt *in Cæſarem, perinde ac contra Turcam*; atque duplici ſcripto, eum publicè hoſtem patriæ declararunt.

In Cæſarē Chriſtiana & euãgelica modeſtia.

Feinds-brieff vnd Trotzbrief. i. hoſtilicatis & inſultationis.

5. Ruſtici, cùm iſtiuſmodi patrarunt, horrendis cladibus attriti ſunt. bona eorum qui euaſerant, confiſcata. Schmalkaldici . . . hîc premit. In annali autē ſuo: *Comitia inde Auguſtæ haberi cœpta, quæ vniuerſalem pacem polliceri videbantur. Accitus ego illuc, iter arripui; treſq; menſes iſtic, dum de ſarciendâ Eccleſiæ concordiâ laboratur, conſumpſi.* Ceterùm in his Comitiis, formula religionis illa ciuilis, imperij ordinibus pręſcripta receptaque, quam, donec Cōcilium œcumenicum, quod omnes ibi probabant, ſaniora præſcriberet, tolerari intereà, recipique poſſe, Principum conſenſus fuit. INTERIM appellarunt. quod

Da bleibs diſsmal. i. Hîc maneat in præſentiâ.

Interim. formula religionis.

Anno

Anno MDXLVIII. Philippus Fuldæ, Hamelburgi, aliísque suæ ditionis locis promulgandum curauit. Porrò, quia hoc religionis summarium Catholicis quàm Lutheranis fauere manifestiùs erat, certatim vndique à Misniis, Saxonibus & Hassis reiici, & aculeatis liuidísque chartis oppugnari cœpit. cuius generis in Wicelianâ bibliothecâ non paucæ repertæ. Vnum affine nobis scriptum, Hassiæ Superattendentium & quadraginta circiter Prædicantium; quo rationes exponunt, cur Philippi Principis sui mandato, in INTERIM complectendo, parere nequeant. Exordio: *Christi fidem non esse deserendam, ne, si vel Angelus aliud de cælo nuntiet.* Epilogo: *Si constanter* INTERIM *repudient forticuli, habituros se scire, & homines & dæmones aduersarios: homines mori, dæmones inferno damnatos teneri.* Sic illi cum Philippo tunc calamitoso Principe; quem in suæ dignitatis vitę ac principatus discrimen, inquieti nuper, impulerant. xx. Octobris Philippus Abbas, eximio studio flagrans disciplinæ veteris in ordine Monastico seruandæ ac restituendæ, dum Concilij œcumenici negotium fit tardius, saluberrimas leges Monasteriis omnibus sibi subiectis dedit, & promulgauit; quibus tantisper omnia iam in præceps ruentia sisteret, vsque Concilij sapientia fortius aliquod remedium subiiceret, cuius auctoritatem in omnibus amplexurum se, numquam ambiguus egit. *Hassiaca Ecclesia censura super Interim* *Dilemma argutum Theologorũ Hassiæ.* *Philippi statuta de vitâ monasticâ & suorum disciplina.*

Desiit 1550. Anno Domini MDL. XV. Ianuarij humanis exiit, decennali ferè munere, vt in turbido bellorum errorumque fluctibus Reip. statu tranquillè & magno subditorum desiderio perfunctus; maiorum conditoriis & ipse funeratus.

Cœpit 1550. Praef. 7. LXIII. WOLFGANGVS THEODORICVS ab Eusigkeim XXVIII. Ianuarij Philippo successor electus. Ingenio & memoriâ aiunt vsque ad miraculum excelluisse, à primâ ætate in monasticæ vitæ disciplinâ detritum. Historiæ vtriusque, sacræ, profanæ, & peregrinationum vsu, probitatis & iustitiæ laudibus ornat eum Centuriæ scriptor. Caspar Brusch. Centur. illustr. monast.

* Anno etiam hoc eodem sacerdotum suorum iniurias ac contemptum ab se haud negligi Deus liberator insigni miraculo ostendit. Herbsteinium oppidum est in montanis Bu- *Mirac. 5.*

 cho-

Herbsteinij Sacerdos à prædonum iniuriis mirè vindicatus.

choniæ, duodeuiginti passuum millibus Fuldâ distans in Occasum; peruigili id curâ Conradi Launij in fide Catholicâ perstitit ad annum vsque MDLXVIII. quo à spurco, arrogante ac loripede apostatâ, sensim in prauiora detortum est, antiqui ritus vestigiis, Lutheri vanitate superfusâ. Huius in oppidi viciniâ prædo ferox agebat Ioannes Leiningius, facinoribus famaque noxæ iuxtà notus. Hic sacerdotis Herbsteiniani Luduici Reitzij pij viri fortunulas sat lautas speculatus, insidias struebat incauto; nactusque fortè feniſecio rastellis maturando exercentem, admisso equo concitus in hominem fertur, vique abductum per socios equites deponit in propinquo nemore; humili veste contegit, velatque, quo dematur liberior prospectus. Inde mentitus longinqua itinera, errantem vario circuitu trahit per salebras & anfractus ingentis siluæ. Sub noctem, sueto loco sicarij recepti, manicas & compedes iniiciunt vincto, arcteque custodiunt per excubias. Hinc minæ, tormenta, & acuum cultrorumque stimulis vulneratæ manus, quibus iudicatum facere, & perscribi iubebant pretium lytri. Dum itaque peruellitur infelix, & magno simul mœrore pungitur, induxit animum, lytrum mille florenorum postulantibus adscribere. Hæc scriptura portis oppidi Herbsteinij clàm præfixa, iam propinquos aduertebat, quo pretij summam ilicò conficerent, asserendo captiuo. At captiuus eodem tempore animi mœrens, Deum poscere in preces attentiùs, & aliquam præsenti ærumnæ flagitare medicinam. Et ecce, paxillum cernit in stramine quo cubabat; hoc leuiter tactæ catenæ, quibus adstricti pedes, vltrò non secùs ac nix à sole defluxere. Quâ ille tam inopinatâ re, mox tanto incipit exultare gaudio, vt numellarum, quibus illigatæ manus, immemor, exitum quęreret. Et fenestræ eximendæ facultas fuit, & fiducia fugæ, quam glociens cum pullis calcata fors gallina, nequidquam prodebat. Nam fauoris diuini præsentior opitulatio, quindecim millium errore deuium in Lichenrodium pagum Isenbergici tractus abduxit; & perquisitorum secutam quamlibet intentam curam fallere docuit. Ergo Creinfeldianorum è vicino tractu, eo tempore patriæ ciuibusque suis & propinquis redditus est, quo prędibus iam

Prædonum ars vsitata.

Catenæ defluunt miraculosè.

iam & pecuniâ paratis, amici ceu nexum adhuc redemptum ibant. Huius diuinæ beneficentiæ testem Luduicus sacerdos catenam cum duobus claustris S. Iacobo maiori consecrauit, & in Herbsteinianâ æde, perenne monumentum suæ liberationis extare voluit. *Catena S. Iacobo consecrata.*

Anno MDLI. Wolffgangus Abbas, ex formulâ religionis nuper præscriptâ, & licentiâ gliscentis iam olim hæresis omnia in deteriora prolabi cernens, lege dictâ Parochis, Curionibus, Ecclesiasticis sibi subiectis mandatum feriâ IV. post Dominicam Iudica proposuit, quo deploratâ quorumdam subditorum peruicaciâ, qui religionis capitibus vsque ad Concilij œcumenici clausulam, auctoritate publicâ sancitis, cum Cęsaris iniuriâ palàm resisterent, in recens introductis & sub iudice controuersis adhuc dogmatis ac ritibus perseuerarent, Ecclesiasticis scilicet edixit, vt ad proximũ Pascha celebrandum ita se suosque instruerent, quo sine dissidiis & tumultuosis concionibus, omnia vetera instituta accuratè prosequantur cum cantu, lamentis, precibus, ieiuniis, palmarum cærimoniis, sacrificiis Latinis, vti mos antiquus habuit. Item cum lectione & concione Dominicæ Passionis, obseruatione feriarum Cœnæ & Parasceues, Confessione secretâ, & præparatione ad Communionem, sub vnâ vel vtraque specie, consecratione Fontis, oleo Chrismatis, Processionibus, cunctisque ritibus iis, quos piè salubriter & honorificè maiores frequentarunt: mandatum spernentibus graui propositâ pœnâ, & parochis exauctoratione sigillatim indictâ. *VVolffgangus fugientem religionem sistere studet.*

Anno MDLII. primo vere, Gallogermanicum bellum exarsit; id est Principum coniuratorum cum Francisco Galliarum Rege, aduersus Cæsarem & Imperium Romanum, ad pileum & libertatem vocantium. Belli duces Mauritius Saxonicus Elector, Albertus Marchio Brandeburgi, VVilhelmus Hassiæ Philippi filius, aliique. Huius belli tempestas in Buchoniâ quoque incubuit. Quippe Martij XIX. Christophorus Comes Aldenburgius pars magna Gallicæ confœderationis, Fuldam magnis cum copiis ingressus est, quas huic bello conscriptas Mauritio supportabat. Quàm verò hospitaliter Fuldæ se gesserit, documento fuit VVolfgangus Prin- *Gallogermanicum bellum.* *Comes Aldenburg. Fuldam opprimit.*

ceps,

ceps, quem conclaui cohibitum, & triplici custodiâ in arce suâ circumdatum, per centuriones & tribunos suos, tantùm non captiuum attinuit. Mutuum an lytron talerorũ decem millium annumerari Mauritio electori coëgit. Oppidum *Luterbach abducit.* Luterbachium, Philippi Schenckij nuper industriâ pignore diruto redhibitum Ecclesiæ, Riedeselıæ genti, curante Vol- *Bellica tormenta diripit.* berto stirpis capite, restitui compulit; quæque in arce Neuhosiâ sola supererant cum instrumento tormenta bellica di- *VVicelium ad necem quærit.* ripuit, & secum auexit. Georgius etiam Wicelius, ceu partium Cęsarianarum, & Catholicę veritatis propugnator, hoc tumultu ad necem conquisitus. Sed profugerat is maturè; quòd in vulgi sermonibus esset, ipsius tantùm causâ euersum iri patriam; incolumem autem hanc, ipso fugato, fore. *Mauritianæ factionis violentia.* Hæc à Mauritianis Fuldæ licet improbè gesta, honesto tamen libertatis & tranquillitatis publicę consilio prętexebantur; quando fœderatis propositum erat, omnes, qui contrà niterentur, aut opibus animísve segniùs adessent, pro hostibus habere. Itaque rerum gerundarum ratio non disciplinâ, non bellico adparatu, annonâ, pecuniâ fulciebatur, sed direptionis & rapinarum licentiâ. Hinc sacratorum bona egentissimo militi ductores tamquam prædam in antecessum dabant. Sic Aldenburgius pro duce suo, vt aiebat, mutuum flagitabat, id est pecuniam, quantam poterat, maximam cogebat; sic oppidi Luterbachij eiusque satrapiæ restitutionem imperabat, vt antè cum helluante exercitu, quàm imperata fierent, se abiturum hinc pernegaret. Quare nihil Wolfgango profuit, quòd lauto commeatu venientes excepisset; penum, cellam, horrea, cuncta eis aperta habuisset; quodque post Regis Galliarum publicam præscriptionem, Wilhelmi Hassiæ Landtgrauij intercessione, apud fœderatos militarium metationum immunitas Buchoniæ addicta fuisset. Et comiter tamen *Aldēburgij comitas.* Aldenburgius se Fuldâ discedere putauit, cùm ad Dominicam Exaudi, vndetricesimo Maij, relicto chirographo Mauritij nomine, debitorem se professus, idoneè Wolfgango cauebat de mutuo decem millium accepto, & tormentis muralibus exportatis; hæc omnia pollicitus bonâ fide aliquando huic Ecclesię restituenda. Verùm successit inde Batauis apud

Danu-

Danubium pacificatio, dicta Passauiensis, quâ Cæsar, icto cum Mauritio sociisque fœdere, bellum hoc sociale diremit. Philippum Landtgrauium & Ioannem Fridericum Saxonem è custodiâ liberos dimisit, religionis libertatem non cunctis vniuersè, quod contendunt aduersarij, sed proceribus iis tantùm, qui iam anteà secesserant, iniuriâ horum tumultuum ad tempus indulsit; denique, quod huius loci propriũ est, proscriptos & ab se fulminatos in gratiam ita recepit, vt iis quibus damna dedissent, contra ipsos reciperandi actio non daretur: modò in posterum tamen agerent quieti, & Cęsari Imperioque obsequentes. Sed vix est, vt Aldenburgium, qui inter præscriptos extitit, quietis annumeremus, aut à doli mali culpâ liberemus, qui Albertum Brandeburgium est secutus, hominem œstro quodam Martiali percitum, & ab omni pacis studio longè tum alienissimum.

Passauiense fœdus quoad religionẽ & damnorum præstationem.

Fr. Burch. Auton. par. 1. & 3.

Ceterùm Wolfgangus & præsentem futurósque casus æquè prouisu mentis æstimans, denique Brandeburgicâ excipiente vastitate, Francofurtum abiit, atque ibi, quod reliquum erat ætatis, extra teli iactum tranquillè exegit. Legitur Wicelij epigramma in tabulam huius Antistitis huic accommodatum tempori:

Hoc statuit signum rectæ pietatis amator
Abbas VVolffgangus stemmate clarus homo;
Sed virtute magis. Hic tempora ferrea vidit:
At miti vicit pectore, triste malum.

Anno MDLIII. Albertus Marchio Brandeburgicus, cùm infensus Cæsari, Imperio, Clero, bonis omnibus, magnâ ferocitate, flammis, populatione, luctu & terrore prouincias implet, Franconiam & Mœni oram persulcans, irrecuperabili damno Fuldẽsem simul Ecclesiam inuoluit. Est *Schwein-furtum oppidum Imperiale versus Orientalem Franciam proximum Hamelburgo & Fuldensi ditioni. Huc Antistites, admoniti iniuriâ temporum, Ecclesiæ suæ gazam, tamquam ad asylum sacrum exportarant, tabulas Reliquiarum auro gemmisque distinctas, calices aureos ad XC. pretiosæ vestis ad ornatum templi multiplicem synthesin. Capto igitur hoc oppido, licet permunito, & inflammato, narrant fide

* aliàs antiq Suinfortum.

Alberti Brãdeburgici bello apud Svvinfurtũ perit Fuld. Ecclesia thesaurus.

 digni,

digni, vniuersum illum thesaurum à milite fœdè direptum, & iusto Dei iudicio profanatum. Hamelburgum, tunc temporis sectionem bonorum, decem millibus florenorum redemit.

Hamelburgum secatur.

VVicelij discessus & exitus.

Anno MDLIV. Georgius Wicelius patrio solo prorsus emigrans, Maguntiam concessit, vbi vitę quoque spatia confecit. quâ de re in annali suo, & fugâ Athanasiacâ: *Hoc anno Fuldanæ ditioni omnino valedixi, adeò, vt ædes quoque meas, à filiis sæculi Lutherani spoliatas ac implacabiliter exosas, diuendere coactus sim. Cui enim vsui domicilium? in quo posthac habitare per tyrannidem hypereuangelicam minimè liceret. Adegere nos, vt mutaremus sedem* (vide hæresis hîç incrementa) *Centaurorum pariter & ciuium odia, minæ atque insidiæ; ne non aliquando mactor, posteaquam ante biennium mactandum, Aldenburgius frustrà me domi meæ quæsierat. Attamen Antistiti Bonifaciano hactenus* (à cōsiliis) *obseruio; nec erga patriam secùs, quàm eram, affectus sum. Fuldam igitur, quando Moguntiã mutaui, idem hîc quod illic ago negotium, asserendæ nimirum & decorandæ domus Dei. Plurimum temporis impertio libris, quos pro Repub. iam inde à viginti duobus annis edidi, corrigendis, mendisque, quarum nonnulli scatent, tollendis.* Hæc de Wicelio; quem totiuga monumentorum lucubratio, pro fidei Catholicæ vindiciis, & ærumnæ tam variæ hac de causâ susceptę, meritò vindicent ab obliuione. At alicubi lapsus est. Ita quidem res habet. Et scitum illud; *Periculum ex aliis facere, tibi quod ex vsu siet.* Nec immeritò quoque ab illis ipsis patriâ exactus, queis, vt fræna laxarent Abbates, auctor fuit, *suaso sacerdotibus coniugio, laicis communione calicis.*

Status hæresis inualescentis Fuldæ apud omnes ordines.

Terent. Heauront.

Comitia Augustana.

Anno MDLV. Ferdinandus Rex pro fratre Cæsare Comitiis Augustæ præfuit; vbi inter fluctus ciuilium bellorum, & Turcicæ cladis vestigia, frequens de religionis & publicæ tranquillitatis negotio habita deliberatio. Et tandem pax, etiam inter Catholicæ & Augustanę confessionis partes, quędam inita; in quâ vt Principibus & imperij statibus, quos iam pridem antiquæ religionis pertæduisset, fidem suam impunè & liberè habere permissum est, ita, qui sacerdotiis præditi, aut cleri muniis alligati, si à religione veteri desciuissent, eos loco excidere ac fructibus destitui placuit: porrò qui neu-

Religionis pace qui comprehendantur.

neutrubi profiterentur, vt Retincti & Reformati, decretum est huius pacis formulâ non comprehendi. *Qui excluduntur.*

Sed grauis tunc de subditis Ecclesiasticorum incidit altercatio, quos pacis beneficio frui obnixè cupiebant Protestantes. Verùm, cùm eorum postulatis varia inesset captio, petitio isthæc Catholicorum Principum actione & Ferdinandi constitutione refutata in irritum cecidit.

1575. Quare iam id à me silentio præteriri non debet, viginti abhinc annis, Matthiæ Flacci Illyrici studio supposititium quoddam & spurium Decretum emanasse, IC[ti] cuiusdam ingenio, vt fertur, concinnatum; quo, in gratiam Fuldensium malè Balthasaro Principi suo tunc morigerorum, inquieti homines finxerunt, Ferdinandum Regem XXIV. Septembris Augustæ hoc anno, ordini equestri, ciuitatibus & Communi, Ecclesiasticorum ditioni subiectis, pacem dedisse confessionis Augustanæ; cuius decreti inane commentum & vanitatem, proceres Catholici in Comitiis Ratisbonensibus detexerunt, anno MDLXXVI. vt Franciscus Burchardus præclarè docuit, in Autonomiâ suâ. *Parte 1. c. 6. & parte 3. ad finem.*

Desiit 1558. Anno MDLVIII. XXIX. Aprilis Wolffgangus Abbas Fraco-furti die supremo functus est; quo & eodem anno homo Germanus non infacũdus edito libro, quem à Scipione inscripsit, speciosiùs quàm modestiùs Wolffgangum ornauit, cũ cum Catone contendens. *Habuit Cicero tantus vir neminem, quem Catoni præferret. Ego verò quem huic anteponam, non solùm habeo, sed quem ostendam; tantum omnes Catones rigidos superare, quantum in hoc sideribus exornato mundo solem ceteris luminibus magis splendere videmus. Is siquidem est senex ille optimus, VVolffgangus Fuldensis Collegij dignissimus Abbas; is, ex Francorum veterum antiquâ prosapiâ, & verè Germanâ ingenuitate pollens, etiam id à naturâ consecutus est, vt non contemptioris formæ, sed specie & staturâ adeò nobilis, liberalis, & tantæ dignitati adpositus nasceretur. Studium fuit prisco illi, vt vicanis suis oppressis patrocinaretur & opem ferret, eâ quam summopere exercebat, elocutione commodâ & perfectâ: ac licet iuuenis Græcas disciplinas contemneret, eas tamen senex didicit. Hic verò noster, optimis disciplinis à puero imbutus, ad diuinæ laudis patrocinium, & mentem & cogitationem, insuper* *Pasil. Ioan. Herold. Scipio de discip. gratitud. Dialog. 2. de discip. ingrat. Nero.*

 etiam

etiam omnem sermonem transferendum duxit, affabilis, voce plenus, & suauis. Ille, vt Romanus, cuius nemo erat omnino immunis, ex lege rei militari operam, hic suâ sponte dedit; armorum disciplinam & fortitudinem imitatus, factisque exprimens honorificam & gentilitiam; pro rebus benè gestis, præmia fortis viri omnia consequi potuisset, si summam appetere, aut humanam gloriolam cælesti philosophiâ commutare voluisset vmquam. Regressus igitur ad pietatis scholam, atque iis quæ iuuentutis delicta videbantur, expiatis, sodalitatis instituta & præcepta pientissimè & solertissimè obseruans, mox à Principe suo, familiaribus domesticisque negotiis præfectus, continentiæ exemplis, frugalitate & diligentiâ ita cuncta administrauit, vt non priuatam domum, vel tanti Collegij res gubernandas suscepisse visus sit, sed regni incommoda instaurare. dilapidatas pecunias, exhaustum ærarium, & imminuta vectigalia, magnâ religione, summâ fide, breui ex minimis maxima reddidit: laborem vnus, cui vix multi satisfacerent, in se suscipiens ingentem, magnâ tolerantiâ, maiori & infracto animo; in quo etiam eum se præbuit, qui sinceritatis laudem ab omnibus ferret, absque iactantiâ, nullius suspicione afflaretur. Hæc ille. Benedictionis munus per temporum iniurias dilatum, non diu ante obitum tamen indeptus est.

LXIV. WOLFFGANGVS II. Schutzpar à Milchling, quem ex militiâ Teutonicâ nobilem Commendatorem, decessor sibi pro Coadiutore adlegerat, Abbas creatus eodem anno. Hic, magno Wolffgangi decessoris iudicio, assumptus erat, quò præsentem quasi hæresis pestem, visceribus sui corporis implicatam auerteret, sed illa tamen, huius ope, fugata, non est. *Cæpit 1558. Præf. 9.*

Anno MDLXVII. Prid. Kalendas Decembris Wolffgangus Abbas mortalitatem expleuit. *Desiit 1567.*

LXV. GEORGIVS Schenk à Schweinsberg, trimestre non ampliùs gubernauit; & ob morbi vim, captus ferè membrorum officiis, maturè ereptus est: nam *Cæpit 1567. Præfuit M. 3.*

Anno MDLXVIII. XXV. Februarij vitâ excessit. *Desiit 1568.*

LXVI.

Cœpit 1568. Præf. 2. Desiit 1570.

LXVI. WILHELMVS Claurius, vitæ modeſtiâ, & moribus antiquis ſpectatus.

Anno MDLXX. hac luce migrauit.

Cœpit 1570. Præfuit 35.

LXVII. BALTHASAR à Dermbach, cognomento Grauel, in Haſſiâ Petro Dermbachio & Clarâ Claudiâ nobilibus parentibus ortus, ex Decano Eccleſiæ primariæ, ipſâ memoriâ Conuerſi B. Apoſtoli Pauli, rerum ſummam adiit. Electus canonicè, quamquam ætate minor, à Maximiliano regalia, à Pio V. confirmationem accepit. Recens tum magni zeli, & auctoritatis doctrinæque non modicus, ex vrbe venerat Nicolaus Elgardus Erfortenſi Eccleſiæ à Daniele Archiepiſcopo datus Proëpiſcopus, ſiue Suffraganeus. Is à Pio Pontifice ad Balthaſarum mandata ferebat, vt muneri gnauiter inuigilans, huc ſcilicet animum aduerteret, quo Eccleſiam domi foriſq; longè famoſiſſimam, peſtiferis erroribus & hæreſi liberaret. Nec vlla hîc cunctatio. Anno quippe MDLXXI. de auxiliis & idoneis operis ad eam rem gerendam motæ curæ. Et ad prælibandum operæ fructum, à Friderico Landauo, qui vir conſiliis & fide in Principem ſpectatus, Wirciburgo euocati interuallo ſacerdotes de Societate IESV.

Nicolaus Elgardus Lutzeburgius Suffrag. Erfortenſis.

Inter hæc Daniel Archiepiſcopus Moguntinus anno MDLXXI. die X. Decembris currentem benè Balthaſarum excitat, & miſſâ parænesi, de complectendâ Societatis IESV operâ, calcar addit. Atque iſta eius Ordinis incunabula Fuldæ naſcentis exſtitere, quæ mox

Societatis IESV Collegiũ Fuldæ inchoatur Daniele Archiepiſc. Moguntino fauente.

Anno MDLXXII. adoleuerunt; & gratulatione, benignoq; fauore Capitularium etiam excepta ſunt. Vnde aperto gymnaſio, & collectâ iuuentute,

Anno MDLXXIII. ſtabiliùs quoque, quæ tenera creſcebant, lætis iuxtà aduerſiſque radices egêre.

Balthaſar etiam in æde Societatis, quæ à Franciſcanis derelicta, benedictione ſolenni affectus à Stephano reuerentiſſimo Suffraganeo Magontino.

Balthaſar benedicitur Abbas.

Conſtitutiones itidem tunc ſalubres edidit, diſciplinæ monaſticæ ſanciendæ & releuandæ; eaſque per principis Ec-

Formulam vitæ correctionis edit.

clesiæ Decanum, Hermannum à Windthausen, promulgari, & in vsum reuocari voluit, ac certè optauit.

Et hoc tempore, Oswaldus Redlingius & Christianus Haluerus, Societatis IESV Theologi, concertatione non ignobili, Matthiam Flaccum Illyricum, è grege Centuriatorum vagum erronem oppugnarunt. At impar hæresiarcha, quod in præsens nequiit, mendaci pòst edito libello præstare conatus est.

Matthiæ Illyrici disputatio cū Societatis IESV Theologis.

Henricus Valesius Poloniæ rex Fuldæ degit.

Per idem tempus fine anni, XXIII. Decembris, Henricus III. Galliarum, iam tum Poloniæ Rex electus, magno procerum Gallicanæ Polonæque stirpis agmine Fuldam introiit, & mirificam in Balthasarum Principem, atque etiam aduersus Societatis Collegium, beneuolentiam declarauit. Natalem Christi Domini diurnâ nocturnaque prece, communicato quoque Christi corpore, religiosissimè in æde Societatis exegit.

Tumultus Fuldensis exordia.

Sequenti biennio fluxêre in diuersa ordinum huius ditionis animi, Balthasari egregios conatus, & insolitæ lucis incrementa, suasu non optimorum, sibi posterisque rati fore damno iuxtà ac discrimini. Per lenta itaque & obscura, & vt factio se rarò premit, denique per aperta ruunt, ad Balthasari cogitata consiliaque, ceu parum instituto suo commoda, palàm infringenda. Verùm hæc acta angustis Chronologiæ tabellis includi nequeunt.

Anno MDLXXV. Matthias Flaccus Illyricus, Philippi Melanchthonis, omniumque Adiaphoristarum & Interimistarum acris insectator: sudes in symmystarum suorum oculis, ex quo Peccatum non accidens, sed substantiam esse docere cœpit: denique subsessor ouilis Fuldensis, extorris ab omni ferè Protestantium cœtu, Francofurti ad Mœnum peste è medio tollitur.

Balthasar Abbas deponitur.

Anno MDLXXVI. XXII. Iunij Hamelburgi Balthasar Abbas, coitione partium, abdicare cogitur. Nec facilè dixerim, quantam ea molitio animarum iacturam & pestem secum traxerit. Exstat informatio iuris scripti, & æquitatis. ex huius præfatione, qui volet, vberiorem facti narrationem hauriat.

Ceterùm Balthasar Hamelburgico tumultu elapsus, cùm

iam

iam ſecurior ageret; intereà partium primores Natali S. Ioannis Baptiſtæ Fuldam ingreſſi, in verba ſua ciues ſacramento adegere. Legati cum Imperio in ciuitate relicti; ex quibus Nitthardus à Thungen Wirceburgenſis Eccleſiæ Decanus; qui poſteà Præſul Bambergæ factus eſt.

Fulda nouu dominis iurat.

Nitthardus à Thungen pòſt Epiſc. Bamberg.

Eodem quoque tempore, per Maximiliani Cæſaris Legatos, mandatis interpoſitis, acta Hamelburgenſia reſciſſa, & apparere apud Cæſaris tribunal iuſſi rei. Balthaſar Hamelburgo digreſſus, perfugium in arce Hauſenâ Moguntinæ ditionis habuit. Inde Francofurtum abiit; vbi aliquot diebus in Dominicanorum monaſterio commoratus, Ratisbonam ad Comitia proficiſcitur. Hîc Maximiliani Cęſaris intempeſtiua mors, reſtitutionis præſentem quaſi ſpem diſcuſſit. At Præſul, nihilo ſeciùs annum integrum, quatriduo minùs, haud ſine magnis impenſis illic ſubſtitit.

Ratiſbonæ Comitia.

Annus MDLXXVII. iam proceſſerat, cùm Rudulphus II. patris ſucceſſor, multis ſuper Fuldenſi cauſâ conſiliis agitatis, dum controuerſia magis liqueret, Sequeſtratu ditionem hanc regendam ſtatuit. Itaque nominatus Adminiſtrator, Henricus à Bubenhauſen ordinis Teutonici magnus Magiſter, qui XXIII. Aprilis cum Achille Ilſungo Cæſaris Legato Fuldam veniens, ditionis gubernacula ſuſcepit, exeunte Georgio ab Ehrtal, qui pro Reuerẽdiſſimo Iulio, Wirceburgenſi Præſule, magiſtratum gerebat. Porrò vice Henrici, primus inde Proprinceps datus Ioannes à Gleichen ordinis Teutonici, pluresque interuallis ſubmiſſi, functione modò temporariâ.

Sequeſtratur ditio Fuldenſis.

Henricus Teuton. Ordin. Magiſt. Adminiſtrator per ſuos.

Anno MDLXXVIII. Balthaſar Abbas Sextili menſe Viennam ad Cæſarem profectus, quadrimeſtri illic poſitò, Mauritium Winckelmannum, virum conſilio, religione, vſuque rerum præſtantem, morte amiſit. Ortus ille erat ex Brunſwigiâ, ciuitate Gottingâ; & in Prætorio Spirenſi clarus olim Aſſeſſor, inde Fuldæ Cancellarius, magnitudinem ingenij ciuiliſque peritiæ, multis documentis approbauit. Ceterùm, Balthaſar, Viennâ reuerſus Aſchaffenburgum, Danielem Archiepiſcopum adit; cuius gratiâ ſtudioque, Seligenſtadij ſedem fixit, quoad Cæſaris decreto attributa Biberſteinia pręfectu-

Mauritius VVinkelmannus.

fectura, ac certa pecuniæ pensio, tum dignitati sustinendæ, tum prosequendæ liti.

Balthasari secessus. Anno MDLXXIX. in arcem Bibersteiniam secessit; & moderationis, patientiæ, hospitalitatis officiis indulgens, doctrinæ pietatisque studiis ita se totum tradidit, vt in summâ ac diuturnâ vacatione, otij parum, negotij ei plurimum superesset.

Eius Apophthegmata duo. Ceterùm honestissimum hunc Balthasari secessum magis quàm exsilium, iuuat egregio ipsius diuerbio claudere. Quippe sciscitanti, ecquo tandem animo ferret, qui lædere voluisset neminem, prodesse suis vel maximè, tamē odia non euitasset, & principatu ac honore simul excidisset? respondit, *illius temporis venire in mentem, cùm nec Princeps, nec Abbas fuisset*. Et Deum adhuc plus sibi, quàm optârat, reliquisse. Causam quidem suam, hortante conscientiâ, non negligere; at inimicorum nemini solitum irasci.

Alius ex familiarium numero hortabatur, vt in tam acerbâ fortunâ staret animo, Deoque fideret. Atqui ille: *Deo sanè quidem fidendum est; sed, vt tam lautè, quàm adhuc, me habeat, sperare non debeo; etsi de pane & aquâ prorsus securum esse me iubeat.* Habes certè mentis honestæ facem; inde à Patientiâ immortali, hinc ab animi magnitudine lucentem: quæ quidem Balthasari ornamenta propria, & in paucis illustria fuere.

Anno MDLXXXIV. Gregorij XIII. Pontificis, orbe toto cantatâ munificentiâ, Balthasaro adlaborante, & Rectore Collegij Soc. IESV, Petro Loppersio Frisio, curam exhauriente, in Fuldensi gymnasio nobilium adolescentum Seminarium institutum est, qui ex Septemtrionibus orti, in spem collapsæ maiorum fidei resuscitandæ, gratis hîc alerentur, & in liberalibus disciplinis castè pieque educarentur. Salutare id, & Germanis vtilissimum inuentum. Hinc namquē fecunda ingeniis ac auitâ pietate plurima iuuentus educta, Saxoniam, Thuringiam, Westphaliam, vicinaque loca, quin & Sueuiam aliasque Germaniæ prouincias, fidei Catholicæ, ac elegantioris litteraturæ famâ fructuque compleuit. *Seminariū nobilium adolescentū Fuldæ institutum.*

Anno MDLXXXVI. Henrico ordinis Teutonici supremo Magistro se abdicante, XX. Februarij Maximilianus Archidux

dux Auſtriæ Rudulphi Cæſaris frater, & Magiſterium ordinis, & Fuldenſis Eccleſiæ ſimul adminiſtrationem accepit. Miſſi itaque Fuldam Legati, Ioannes Euſtachius Weſternachius, & Leonardus Kircheimerus Marienthemij Cancellarius, qui Principis nomine ſolennia muneris capeſſerent. Eodem item anno XVII. Septembris ipſe Archidux Fuldam ingrediens, à Præpoſitis & nobilitate honorificè excipitur. Idem anno ſequenti à procerum parte Rex Poloniæ electus eſt.

Maximilianus Archidux Henrici ſucceſſor.

Anno MDXC. XI. Martij Fuldam iterùm acceſſit; & ſecundâ Aprilis abiit.

Anno MDXCI. Chriſtiani Electoris Saxoniæ auſpiciis, duce Chriſtiano Anholtino, magna vis equitum peditumq́. Galliam petiit. Ex his, qui à Thuringiæ & Brunſwigiæ finibus Rhenum ſpectabant, pars Fuldæ intra mœnia recepta, in Iudæos conſurrexit; quorum domos etiam, ſuaſu quorumdam incolarum, rapinis, aliaque militari laſciuiâ, vexauit. Iudæorum etſi alij aliò plerique dilapſi, tumultu tamen ſedato, rei ipſi ſuæ non defuerunt; ſed & iniuriâ Cæſari expoſitâ, iuſtâ ſe vltione vindicarunt. Itaque Legati Cæſaris, duodecim millium florenorum indictâ mulctâ, ciuitatem portarum clauibus ſpoliatam etiam exarmarũt. At Comitiis poſteà Ratisbonæ habitis, bona pars mulctæ ciuitati condonata, Balthaſari deprecatione, & Optimatum patrociniis. Neque Saxo, aliiq́ ſe confœderati diu fuêre ſuâ expeditione læti. Electore enim morte rapto, miles cœpit in Galliâ tumultuari, ac inopiâ demum victus ac ærumnis, ad ſua ſpontè relabi.

Iudæorum depolatio.

Anno MDXCIII. Herſfeldenſem inclitam Abbatiam, quam Luduicus Landauus Abbas Cathólicus morte ſuâ deſtituerat, Craffto profanus & hæreticus inuaſerat, Ioachimus Rollius, à Luduico ex parocho Ordini inſertus, ne prorſus etiam nomen Catholicum amitteret, res enim dudum abierat, canonicè impetrauit; Balthaſaro præcipuas in eâ cauſâ partes agente.

Herſfeldtſis Abbatia ſucceſſio.

Anno MDXCIV. Balthaſar litis ſuæ gratiâ, & quærendi tandem exitus diuturnæ cauſidicinę, Ratisbonam ad Comitia iit; quæ tributis cogendis, & bello Turcico inſtaurando, indicta fuerant. Venerat anni exordio XII. Ianuarij Fuldam

Octauius Tricaricensis Episcopus Legatus S. A. Octauius Tricaricensis Episcopus, Sedis Apostolicæ Legatus, qui de restituendo Abbate, reconciliandisque partibus, curam quam potuit maximam, at frustrà adhibuit.

Anno MDXCV. equites Belgæ hac in Pannoniam aduersus Turcam profecti, sumptu militari ditionem onerarunt.

Sequenti Legatus Apostolicus iterùm affuit, Clementis Pontificis hortatu, concordiam partium vrgens in Balthasari deiectione.

Pestis. Anno MDXCVII. pestilentiæ lues Fuldam afflixit; ciuiumque salutem, Collegium Soc. IESV, aliquot etiam capitum iacturâ, redemit.

Hassiæ motus. Anno MDXCIX. Hispaniarum Regis hiberna apud Westphalos, in Imperij finibus, collocata. Quídni Imperij salus in dubium vocata, vindicetur? Ergo

Hassica terribili tremit horrida terra tumultu?

Sed tamen vt Buchonia in partem veniat oneris, pars militum, ex Cattis in hanc ditionem deportata, iners & otiosa hîc resedit; tanto colonorum & prouinciæ damno, vt in hanc vsque diem mali sensum circumferat.

Accessit & Archidux Fuldam XXIV. Septembris: ac Bibersteiniam in arcem comiter quoque Balthasarum salutatum iit. Inde Marpurgum profectus, iter flexit in Saxoniam.

Anno MDC. datus ex palatinis & domesticis Archiducis Fuldæ gubernator, nobilis vir, magnoque Catholicæ religionis studio, Vdalricus à Stotzingen; qui decimus & vltimus proprincipum extitit. Quorum hæc series: *Anno Domini.*

Crux præfixa, signū Ord. Teut. fuisse.

1. ✠ Ioannes à Gleichen. 1578.
2. ✠ Ioannes ab Hohrt. 1579.
3. ✠ Ioannes Georgius à Dachenhausen, vsque in sequentem annum. 1580.
4. ✠ Adam à Klingelbach. I. Hohrt, iteratò in seq. annum. 1581.
5. ✠ Ioannes Michaël ab Obentrautt, in sequentem annum. 1582.
   Adam Klingelbach iterùm. cui successit 1583.
6. ✠ Ioannes Eustachius à Westernach.
   I. M. Obentrautt iterùm. 1586.
7. Eustachius à Schlitz dictus Gortz, vsque ad XI. Iulij anni 1597. 1587.

Adam

1597. Adam à Klingelbach tertiùm.

8. ✠ Ernestus à Buseck dictus Munch.

1599. 9. Wilhelmus Katzmann ab Englis.

1600. 10. Vdalricus à Stotzingen.

Eodem hoc anno monstrifera forma partus hîc editus: vnica ei auris; os quale gallinæ Calecutiæ; duodeni manibus pedibusque digiti, sexus femina.

Anno MDCI. pons, quo Fulda versus D. Andreæ iungitur, opere insigni perfectus, curâ Archiducis, vsui & ornamento ciuitatis. Opus in longitudine pedes CCXXXVII. in latitudine colligit vicenos duos. *Pons Fuldanus.*

Annus MDCII. diuturnæ controuersiæ modum imposuit. Quippe Rudulphus Cæsar, iustitiæ & æqui memoriâ tactus, VII. Sextilis sententiâ secundùm Balthasarum pronunciatâ, lucem & vitam pressæ dudum causæ retulit; Principem & Abbatem Ecclesiæ ditionique suæ restituit, actores grauis mulctæ damnauit. Ipse Maximilianus administrator, bonæ causæ non affuit modò, sed per splendidos nobilesque Legatos, iudicatum exequutus est. Atque ita Cæsaris & Archiducis auctoritate, excitatis omnium ordinum studiis & obsequiis, XVI. Decembris Balthasarum, adparatu sanè non ineleganti, ecclesiam primùm, & mox ciuitatem suam ingredientem spectauimus. *Balthasari restitutio sententiâ Rudulph. Cæsaris.* *Maximiliani Archid. fauor.*

Compertâ sententiæ latę famâ, magni proceres ex Germaniâ, imò ex Vrbe Cardinales, atque adeò ipse Pontifex, honorem ac reducem felicitatem Balthasaro gratulati sunt. *Gratulatio.*

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex litteris dilectionis tuæ, extremo Augusto mense datis, tum etiam ex Cæsarei decreti exemplo, quod illis adiunctum erat, abundè cognouimus, quid actum, quidve definitum sit, in eâ causâ, quam in aulâ Cæsareâ, consiliisque illis agitabas. Nos autem qui licet immeriti & indigni, illius vices in terris gerimus, qui diligit iustitiam; & iustitia & iudicium correctio sedis eius; sanè semper & vbique voluptatem capimus, vt suus iustitiæ locus tribuatur. Te verò, fili, paternè in Domino amamus; & quem pium zelum ostendis pastoralis curæ sedulò exercendæ, fidei Catholicæ propagandæ, & denique animas

Christo, eius adiutrice gratiâ, lucrandi, valdè certè commendamus. Idque tibi feliciter euenire, in Domino optamus. Tibique intereà nostram Apostolicam benedictionem benignè impertimur. Datum Romæ apud SS. Apostolos, sub annulo Piscatoris, die XII. *Octob. Pontif. nostri anno* XI. Atque hæc summi Pastoris vox, non surdis auribus à Balthasaro excepta, vel segni studio prætcrita, territantibus licet, & frementibus etiam dynastis, qui antiquos mores, canamque maiorum fidem, hîc reuirescere nolebant.

Hamelburgum, Anno itaque MDCIII. Hamelburgo oppido, quod ab anno MDXXIV. hæresin imbiberat, honorificâ istuc legatione missâ, ad initium Septembris vetera sacra restituta. tumultu nequidquam excitato; qui, vbi Cæsaris mandato repressus, denique Pastori suo & Principi incolæ morem gessere. Impositus oppido nouus Curio, additiq; sacerdotes de Societate IESV duo, qui biennium illic circiter, rei Christianæ causâ, commorati sunt.

Fulda, Anno MDCIV. Ciuitas item Fuldensis ad Catholicæ religionis consensionem traducta, publicis eam in rem factis decretis; & in oppidi parochiâ, non sine adparatu doctorum & nobilium virorum, promulgatis.

Latéque plurima restituta Cathol. Eccles. Inter hæc, cùm iam oppidis, vicis, pagisque diuersis prisca religio palàm efflorescerct; & Romæ famâ litterisque percrebuisset, ad viginti millia hominum, manus dedisse veritati, litteras eâ de re Octauius Parauicinus Cardinalis, protector Germanicæ nationis, ad Balthasarum dedit. queis significabat, *Clementem VIII. Pontificem Maximum, exhilaratum eo nuntio, coram amplissimo purpuratorum Collegio Balthasari studium summamque industriam magnis extulisse laudibus.* At, vbi hæc ita Romæ gesta Balthasar cognouit, patrio sermone priuatim, ita se ad modestiam reuocauit, vt scriptum eiusmodi meditaretur, ex cuius autographo partem de verbo transferre placuit.

Balthasari Abbatis animi submissio. *Quod ad subditorum Fuldensis Ecclesiæ conuersionem, se non diffiteri, quin aliquot milleni iam nunc expiati, ritu Catholico sacram Synaxin adierint; & numerum adhuc superesse notabilem eorum, qui, tantùm auxilio opeque non destituantur, accessionem maio-*

maiorem facturi sint. Porrò, quòd huius rei quidquam industriæ operæque suæ adscriberetur, id verò numquam præ se tulisse: sed omnia, vti par, diuinæ Maiestati in primis, tum Cæsaris iudicio sententiæque latæ, ac denique Societati IESV, *bonorumque hominum studio tribuere, quorum vigilanti curâ in tam salutari negotio sit vsus. Et, quia aduersarij ferias non agant, sed in se ferociter incurrere haud dubitent, optandum esse, vt ad tam Deo gratum opus promouendum, Cæsarea Maiestas suam item opem conferat, & auctoritatem interponat.*

Anno MDCV. & citeriore tempore, leges in veneficas & sagas impigrè exercuit; nec sentinam hanc, assiduo licet Vulcano, exhausit. *Sagarum supplicia.* Hæc pestis incolarum non infimos ciuitate exclusit; qui religionem obtentui sumpsêre, vt saluas vxores educerent.

Hæc & id genus eminentiora Balthasari studia erant; cùm ecce mors subita, longè maiora interuertit.

Anno quippe MDCVI. vbi Martij quintusdecimus affuit, *Desiit 1606.* rem inter diuinam, plenus bonarum cogitationum, & recèns *Balthasari mors.* ab exomologesi, reumate venis oppletis, veterno constrictus est; quo ad secundam vsque vigiliam noctis laborans, totâ lugente aulâ, Deo tandem spiritum reddidit, ipsâ memoriâ S. Benedicti, cuius Regulam olim publicarat; & sequi se verè profitebatur. Sepultus ipse in exedrâ principis ecclesiæ, monumentum suæ erga Deum pietatis, altare reliquit, in templo Collegij Societatis IESV, mole, marmore, alabastro & *Altare ab eo relictum.* opere statuario excellens.

Luxerat octiduo antè, Ioachimi Hersfeldensis Abbatis *Ioachim Abbas Hersfeld. octiduo antè obiit nullo successore.* mortē, cum quâ testabatur, Ecclesiæ illius cuicuimodi reliquas spes, tamquam funere efferri. Hinc terrores ex composito improbi & multiplices Balthasaro obiecti; vt mortis ipsius priùs antecursores audiremus, quàm spectatores essemus. Sed hoc loco velum obtendere satius sit, quàm quis in hoc improuiso Principis casu, hominum affectus extiterit, prosequi verbis.

Cœpit 1606. LXVIII. IOANNES FRIDERICVS à Scwalbach, ex primariæ ecclesiæ Decano creatus Antistes, XXII. die Martij,

quæ hebdomadæ maioris erat feria IV. Natus is regionis Hassiacæ solo, Giessæ oppido, ad Loganam amnem; vbi stirpis paternæ domicilium. Maternum ei genus ab Hertingshausiis. Educatus Dilingæ, Fuldæ, & Maguntiæ, in Societatis IESV gymnasiis; imò contuberniis. Institutum S. Benedicti Fuldæ complexus est, anno MDLXXXIII. at corpori Congregationis sacerdos adscriptus, anno MDXC. Confirmatus anno primo regiminis, XIX. Kalend. Septembris, à Paulo V. Pontifice maximo, qui, per Leonardum Agricolam Procancellarium, præclarâ missâ parænesi, *ad vigilandum, idque præcipuè agendum hortabatur, vt Catholicæ religionis dignitas apud subiectos populos conseruaretur; & pietas Prædecessoris, prudentiá, vigilantiá, pari virtute & sedulitate expleretur.* Porrò regalia, & principatus alia stabilimenta, anno MDCVII. ineunte autumno, Rudulphus Cæsar impertiit.

Confirmatio I. F. 1606.

Inuestitura.

Sed, quia sapientum voce admonitus, *Virtuti laudes post funera rectiùs persolui*, & *ab exequiis maius venire nomen*, sat sciens sum; vela hinc contraham, & operi manum subducam, faciliùs ita fore perspiciens, vt & DEI MAIORI GLORIAE seruiam, assentationis speciem omnem effugiam; denique aliorum modestiæ, meæ verecundiæ iuxtà consulam.

IN-

INDEX
VERBORVM ET RERVM
INSIGNIORVM.

A.

Bra-

Episcopi

Theot-

APPROBATIO.

HI Libri ANTIQVITATVM FVLDENSIVM, *Auctore* R. P. *Christophoro Brouuero Societatis* IESV *Presbytero*, nil nisi Patrum priscorum pietatem spirant, qui multò magis religionem Catholicam promouerunt, quàm horum temporum haeretici destruere possunt. Digni igitur sunt, qui typis excudantur, ad horum temporum peruersos Nouatores confundendos, & piam antiquitatem defendendam. Quod testor

Egbertus Spitholdius, S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpiensis.

APPROBATIO ET FACVLTAS
R. P. Prouincialis Prouinciæ Rhenanæ
Societatis IESV.

EGo Henricus Scherenus, Collegiorum Prouinciæ Rhenanæ Societatis IESV Præpositus Prouincialis, primùm pro concessâ mihi ab Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiuâ, eiusdem Societatis Generali Præposito, potestate, permitto P. Christophoro Brouuero Societatis nostræ Presbytero, vt typis euulgare possit ANTIQVITATVM Libros quatuor, lectos & approbatos à peritis istarum rerum Societatis nostræ hominibus. Deinde verò, iuxta Priuilegium eidem Societati à Sacrâ Cæsareâ Maiestate xx. Septẽbris anno M. DC. II. concessum, do facultatem Balthasari & Ioanni Moretis Typographis Antuerpiensibus dictos Libros imprimendi, distrahendi. atque in vtriusq; fidem huic breuiculo subscripsi, sigillumque appressi. Fuldæ, XVII. Sextilis, Anno Christi M. DC. XI.

Henricus Scherenus.

Cum Priuilegio Serenissimorum BELGICÆ PRINCIPVM.

Signat.

Buschere.

LABORE ET CONSTANTIA